
M. A·L


SCHEGKII
Tractationes
Physicæ
et
Medica
1585







21/99

IACOBI SCHEGKII, PHILOSOPHI ET MEdici Tybingensis,

TRACTATIONVM PHYSICARVM ET MEDICARVM TOMVS VNVS, VII LIbros complectens, quorum catalogus octaua pagina exponitur.

FRANCOFVRDI

Apud Ioannem Wechelum,

MDLXXXV.

CLARISS. ET DOCTISS. V.

D. HIERONYMO BAVSCHIO, ARCHIATRO HAGANOENSI,

genero ſuo cariſſimo

IACOBVS SCHEGKIVS S. P. D.

EMISSIS *nuper in lucem libellis aliquot medicis, cariſſime gener, diu multumq́; cogitaui, & dubitaui, an in poſterum meorũ aliquid nondum editorum ſcriptorum publicè ſpectandum proponere conduceret. & hoc multas ob*

caussas: maximè verò, cùm quòd noua iudicia mihi subinde parata esse, perspectum haberem: tum propter summam quorundam hominum alienis plumis perpetuo se ornantium, audaciam. Hanc cogitationem & dubitationem vt planè abijcerem, deq; editione tantum sollicitus essem, multa in caussa fuerũt; præcipuè litteræ ad Brunonem Seidelium medicũ doctissimum datæ: in quibus me (Deo volente) Physica & Medica nonnulla breui in lucem editurum, receperam. Cogitanti itaq; mihi, & sæpenumero consideranti, cuius potissimum patrocinio, & auspicijs hos tractationum Physicomedicarum libellos in vulgus ederem, quo

citra

citra maleuolorum hominum criminationes, variaq́ue iudicia, in doctorum virorum manus peruenire possent, tu inprimis occurristi, cui hæc nostra dedicare atque consecrare deberem. Nam præterquam (nihil hic de necessitudinis vinculo dicam) quod te doctorum & litteratorum amantissimum cognoscerem, ipse nō solùm in solida Philosophia iam pridem vno omnium sermone iudicaris excellere, deq́ue omnibus controuersiis rectissimè grauissimeq́ue iudicare & pronunciare posse. Et vt omittam præcipuarum linguarum cognitionem, omniū qui te norunt consensu tributam, quis est quem lateat te Medicinæ vniuersæ scientiā exactissi-

mam consecutum; imo ita ad summa peruenisse, vt te vnum omnes principes viri ament, foueant, & summis beneficiis afficiãt. Et hæc ita se habere, non solum multis nobilissimis personis curandis ostendisti, verum etiam ipsemet ego expertus testor. Cùm enim nuper apoplexia correptus de vita mea periclitarer, tu, nullis laboribus parcens, omnem operam & diligentiam in me curando posuisti, nunquam a latere meo discessisti, & multas deniq; noctes insomnes duxisti: quibus omnibus Dei beneficio id effecisti, vt non solum mihi pristinam sanitatẽ fere reddidisse, verum etiã vitam restituisse videaris. Hæc quoties mecũ ipse reputo,

puto, intentius cõsidero, toties me plurima tibi debere video. Quæ vt aliquo modo soluam, ecce mitto ad te, cariß. gener, hosce tractationum Physicomedicarum libellos; quos non modo tibi, cum propter materiam ipsam, tũ propter dantem, quem, scio, amas, gratos & acceptos, sed etiam Philosophiæ & Medicinæ cãdidatis fructuosos, & perquam vtiles fore non dubito. Vale cariß. gener, & me, vt facis, ama. Tybingæ, Kal. Aug. 1585.

Catalogus tractationum I. Schegkÿ, quæ hoc tomo continentur.

DE OCCVLTIS SEV ABDITIS, ET MANEFESTIS MEDICAMENTORVM FAcultatibus viribusq́; ; necnon etiam de falſa opinione illorum qui ſola craſi elementorum & non etiam forma ſubſtantiali res inanimatas ſubſiſtere cenſent.

Auctore

IACOBO SCHEGKIO *Schorndorffenſe.*

DVAE feruntur ſententiæ hac noſtra ætate de viribus & facultatib. medicamentorum, quibus morbi depelluntur in humano corpore, quarum vna eſt Paracelſi, & eorum qui ipſum ſequuntur: altera eſt eorum, qui

Paracelſo ſeſe opponunt, omnino contraria opinio. Paracelſo videtur, quòd vires illæ medicamentorum ſint quodammodo conſubſtãtiales, ſeu vt Græci appellant συνούσιον quiddam, vt nimirum facultas medicamenti, aſſcribenda ſit ipſi ſubſtantiæ medicamenti, & non qualitatibus ſub ſenſum cadentibus noſtrum, quas vires ipſe vocat *occultas*, propterea quòd ſenſus noſtros non afficiunt, pro eo vt qualitates ſenſiles, noſtros ſenſus pellunt & afficiunt. Forma autẽ ſubſtantialis hoc nomine differt à reliquis formis ſeu qualitatibus, quæ accidunt ſubſtantiæ, quòd videlicet forma ſubſtantialis duntaxat mẽte & intelligentia percipiatur, vt autor eſt Plato in Theæteto: aliæ verò qualitates corporeæ ſenſibus apprehenduntur; quarum quædã primæ ſunt & dicuntur, vt quæ inſunt primis & ſimpliciſſimis corporibus, nempe elementis; reliquæ autem ſecundæ appellantur qualitates, quæ proueniunt ex elementorum, & primarum qualitatum mixtione, quæ afficiunt reliquos ſenſus, vt colores oculos, ſoni auditum, ſapores guſtatum, odores olfactum, ſi quæ præterea ſunt aliæ qualitates ſecundæ, quæ tactu percipiũtur.

Pri-

Primæ porro qualitates elementorũ, quatuor ſimplices, tactiles appellantur, quarũ vis & efficacia ad depellendos morbos in medica arte ſatis ſuperq; explorata eſt, & cognita. Secundarum autem qualitatum nulla vis eſt, ſi adhibeantur ad medicum vſum, vt verbi gratia, colorum nulla eſt efficacia ad depellendos morbos, neque ſonorum, neque odorum, niſi quoad ijs nonnunquam reficiuntur vires cerebri & cordis. Saporum differentijs diſtinguimus etiam medicamenta, non quatenus guſtatũ afficiunt, ſed quoad vim habent alterandi, aut afficiendi corpus, quoad morbis vel morbificis cauſis opponuntur: quo nomine amara abſtergere, auſtera & acerba adſtringere & cohibere, acria incidere & extenuare, ſalſa ſiccare dicuntur. Et ſic ſapores etiam facultatem dicuntur habere medicam, qua poſſint morbi & morborũ cauſæ profligari, de quibus Gal. in lib. de ſimpl. medica. facul. diſſerit, quæ in præſentia omitto. Primæ autem qualitates, quoad vſui ſunt in medicamentis, non eodẽ modo definiuntur à Medicis quo à Phyſicis. Nam à Phyſicis diuiduntur hæ qualitates in duas actiuas, vt in calorem & frigus, &

in duas passiuas, vt in humidum & siccum. Definitio autem caloris apud Aristotelem est, vt sit qualitas congregans ὁμόφυλα, frigus autem vt sit qualitas colligens & commiscens ἀλλόφυλα. Reliquæ duæ qualitates, nempe humidum & siccũ sic definiuntur, vt propter eas res naturales, pati aliquid intelligamus & non agere, vt humidũ sit, quo necesse sit alieno termino quippiam coerceri: siccum autem sit, quod suo proprio termino coerceatur, alieno non indigens. Quoad verò istæ qualitates considerantur in medico vsu, seu in medicamentis efficacia quadam, quam habẽt respectum pacientium corporum, definiuntur: vt nimirum apud Medicos calidũ sit, quod corpus calefaciat, & frigidum quod refrigeret, & humidum quod humectet, siccum autẽ quod humiditates consumat, etiamsi medicamenta talia non sint actu, sed potentia hac vi prædita, vt possint tales energias & actiones præstare, quæ in medicamentis insunt, non eo modo quo insunt in primis corporibus, nempe in elementis in quibus insunt sine mixtione. In medicamentis autem insunt vt in mixtis corporibus, & aliam formam substantia-

lem

ſem habentibus, qua forma generentur in medicamentis tales qualitates ſeu facultates, non paſſiuæ, ſed omnes actiuæ exiſtentes, quo ad conſiderantur reſpectu corporis humani, ſiquidem medicamentum & agens, refertur ad corpus morbo obnoxiũ, tanquam ad patiens. Quo loco Galenus ſine cauſa & immerito ſeſe Ariſt. opponit, lib. 1. de natur. facul. reprehendens ipſum, quod humidum & ſiccum qualitates, definierit duntaxat perpeſſione quadam & nõ actione, cùm tamen in medicamentis exiſtant qualitates iſtæ, non minus ad agendum & mouendum efficaces, quàm calidum & frigidum. Homonymian in his vocabulis non ineſſe cenſuit Gal. cùm alia ratio ſit eorum, quoad ex ipſis mixta corpora conſtituuntur, & quoad ijs diſtinguuntur facultates medicamentorum, quæ vt diximus conſiderantur, quoad vim habent efficiendi aliquid, & alterandi corpus humanum, reſpectu cuius medicamẽtorum, habent appellationem. Et hic primus gradus eſt inter eos, quibus Medici diſtinguũt omnia genera medicamentorum. In ſecundo gradu collocantur vires & qualitates, quibus medicamenta vim habent, vt

aperiant obſtructiones , vel vt claudant meatus, vel vt incidāt lentos humores, vel vt craſſos extenuent, aut digerant eoſdem, aut concoquant: quas vires nemo neſcit etiam definiendas eſſe actione & efficacia quadam. quę qualitates ſeu facultates quomodo medicamentis inſint & ingenerentur, poſtea videbimus. Tertius gradus eſt, quo continentur medicamēta illa, quæ excrementa corporis per meatus naturales expellere poſſunt, vt ſunt quibus prolicitur vrina, aut ſudores excitantur, aut quibus ſtercus per aluum ſubducitur. Quarto gradu autem medicamentorum continentur omnia illa, quæ reſpectu certæ cuiuſdā partis corporis, aut reſpectu certi humoris, vim & efficaciam ſuam præſtare ſolēt, quo nomine quædam appellantur capitalia remedia, q̄dam verò in primis cordi prodeſſe cenſentur, vt alia nonnulla iecinori, & alia ſpleni, & quædā ventriculo, aut vtero magis proſunt. Nec non etiam purgantia medicamēta, quibus certi humores euacuantur, quæ prolixius recenſere non eſt opus, cùm ſint notiſſima Medicis. Cuiuſmodi horum medicamentorum, iam propoſitorum, ſint facultates, inter medicos diſputa-

tur,

tur, qui vires omnes medicamentorũ, vel ad ſubſtantiam ſeu formam ſubſtantialem referunt, vel prouenire eas dicunt à certis quibuſdam craſibus elementorum, quemadmodum aliàs ſecundæ qualitates apud Phyſicos procreari dicuntur mixtione elementorum, vt non tam forma ſubſtantialis harum qualitatũ, quàm diſſimilis mixtura elementorũ cauſa videatur eſſe, cum quæcunq; inſunt rebus naturalibus πάθη, aut formæ, aut materię gratia inſint, vt autor eſt Ariſtoteles. Conſtat autem inter omnes recentiores Medicos, Paracelſum medicamentorum vires, non manifeſtis, & ſub ſenſum venientibus qualitatibus definire, ſed occultis quibuſdã & abditis atq; à ſenſu remotis facultatibus efficaces eſſe, quemadmodũ aſtra efficacia ſunt mouendis his inferioribus, occultis quibuſdam & ſenſum non afficientibus virtutibus. Atq; adeò nullius momenti exiſtimat eſſe manifeſtas qualitates, vt ne humores quidem humani corporis, diſtingui patiatur, elementorum primis, & ſub ſenſum venientibus qualitatibus: cenſetque omnes illas differentias humorum, certis quibuſdam eſſentijs diſtinguendas, & morbos etiam

ſubſtantiales eſſe fingit, & quodammodo aſtrales, vt ipſe loquitur, quibus medicamenta etiam ſint oppoſita ſubſtantię quadam ratione, ſeu quintæ eſſentiæ, quæ ſit in ipſis medicamentis quaſi diuina quædam vis, ad quã nullo ſenſu, ſed duntaxat mente penetrare liceat. Harum autem occultarũ virium cauſam eſſe, nõ mixturam elementorum, quæ ſint inania quædam, & expertia medicæ facultatis corpora, ſed generationis occultarum iſtarum virium cauſam eſſe, ſpiritus quoſdam mechanicos, in abyſſo naturæ abditos & recõditos, qui certis periodis ſeſe in generationibus medicamentorum proferant, ijsq; abolitis medicamẽtis, illos ſpiritus in abyſſis ſuis quieſcere aliquandiu, ac nullo interitu rerũ naturalium aboleri. Haud longe ſecus Socratici, cauſas generationis & ortus rerũ naturalium, ad Ideas ſuas retulerunt, quas in natura abditas ſpecies, generationum cauſas eſſe dixerunt, vt ipſæ tamen Ideæ, neq; naſcerentur, neq; interirent vnquã. Stoici autem omnium rerum ὀσίας, Deum ſua præſentia (quem appellarunt continẽtem cauſam) efformare dixerunt. Anaxagoras autem & ipſe ὀσίας principiorum, aboleri nega-

negauit, sed occultas in abysso naturæ, certis periodis sese proferre in lucem, συγκρίσει scilicet atomorum res naturales generari, & rursus interire existimauit, diacrisi substantijs ipsis atomorum perpetuis & sine interitu manentibus, quos atomos solitus est appellare panspermian. In eadem quoq; sententia fuit autor, qui scripsit tres libros de diæta, (nam Galenus negat horum autorem esse Hippocratem) & mea quidem sententia, Stoicus quidam fuit huius libri scriptor, qui & ipse formas substãtiales non interire scribit, sed rebus naturalib. intereuntibus, duntaxat occultari in abysso & ꝓfundo naturæ, scriptũ reliquit. His proinde omnibus errorib. opposuit sese Arist. disputando, partim in Physicis, partim in Metaph. libris, quę breuitatis causa cõmemorare nolo. Contrà dixit etiam D. Erastus accuratè exquisiteq; Paracelsi erroribus plurib. dialogis, qui hodie habentur in manib. studiosorũ, vt ne is quidẽ in præsentia mihi refellẽdus esse videatur. Venio iam-nunc ad alteram opinionẽ, quæ priori quodammodo sit opposita, quam sequenti capite explanabimus, quam & ipsam laborare absurdis quibusdã demonstrabimus.

CAPVT II.

QVI defendunt alteram opinionem, negant rerum inanimatarum formas esse substantiales: duntaxat enim animatas res, formas habere tales, substantiam constituentes, nempe animam, qua viuant & vegetentur. Certis autem temperamentis opinantur, constitui talium rerum* substãtias, quæ temperamenta, vt multa & varia sunt: ita quoq; multas & varias esse, rerum anima carentium substantias, non formis substantiam constituentibus, sed duntaxat temperamentorum causa discrepantibus inter se: vt essentia rei inanimatæ, nihil aliud sit, quàm crasis ipsius propria, quæ nimirum sit λόγος mixtionis, vt Arist. loquitur, & ὀσίαν ex elementis constitutæ rei. Eius autem craseos esse dicunt quasdã vires occultas seu abstrusas, quibus vim ad agendum aliquid habeant, vel ad patiendũ, quæ vis rei illius propria esse dicatur, seu ἰδιότης quędam ipsius, differẽs ab aliarum rerum proprietatibus, eamque aboleri & corrumpi, si crasis dissoluatur & intereat. quę opinio à vero aliena mihi videtur esse, quod vacantia anima omnia corpora, neget habere substantiales formas, & φύσις

eorum-

eorundem nihil aliud ſit, quàm mixtio alteratioq́; elementorũ, vnam quandã craſin conſtituentiũ, quæ tamen forma ſubſtantiã efformante nulla cõſtituatur: quo nihil dici abſurdius poteſt. Hunc errorẽ iam olim Ariſtot. reprehendendo Empedoclem confutauit, qui nihil aliud dixit eſſe naturã, quàm mixtionẽ & alterationem mixtorũ, quod ipſum hoc verſiculo expreſſit: φύσις οὐδενός ἐστι, ἀλλὰ μόνον μίξις τε διάλλαξίς τε μιγέντων. Suſtulit aũt hac ſententia Empedocles & negauit cauſam formalẽ, q̃ ipſam ſubſtantiam conſtituit cũ materia, q̃ forma ab Ariſtotele λόγος appellatur, quoad videlicet duntaxat intelligentia, & nõ ſenſu aliquo percipiatur, quę in materia φύσις ſolet appellari, cũ ſit alterum principiũ conſtituens οὐσίαν rei naturalis. Forma aũt ſeu λόγος eſſentiã rei naturalis conſtituens, princeps eſt cã rerum naturaliũ, craſes autẽ ſunt inſtrumentales cauſæ generationis, q̃ cũ ſint ſuapte natura indefinitæ, forma ſubſtantiali ſeu eſsẽtiali neceſſe eſt eas definiri ſub ratione finientis cauſæ. Sed in hoc Empedocles cũ pleriſq; veterib. Phyſicis hallucinatus eſt, q inſtrumẽtales cãs generationũ ſubſtãtiarũ ꝓ principalib. habuerunt. quales inſtrumẽtales cãs Ariſt. in ſecũdo de ortu

& interitu, organicas appellat, quando inquit, veteres Physicos nonnisi organicas causas rerum naturalium exposuisse. Plato autem in Phædone easdē appellat, Causas sine quibus Non, quas formæ seu λόγῳ, quo essentia rei constituitur seu substantiæ opponit. Forma autem seu natura principalis, principium est & diuinum quiddam, nec constitui concremento elementorum seu crasi quadam eorundē generabilis est. Quoniam principium omne per se ingenerabile est, vt docet Aristoteles in Metaphysicis, quando formam demonstrat, neque elementum esse, neq; concretū quiddam ex elementis. Quod autē forma nasci dicitur, id ei asscribitur, propter substantiā naturalem, quæ causa materiæ obnoxia dicitur esse generationi, cùm ipsa forma per se nō generetur. Hanc φύσιν principalem, Arist. aliàs λόγον, interdum εἶδος, nonnunquam μορφὴν appellat, his tribus vocabulis eandem rem significantibus sed rationibus diuersis, de quib. in Philosophia disputatur. Quin etiam Galenus haud aliud sensisse videtur quàm Empedocles, vt qui plerisque in locis & scriptis suis, crasin substantiam esse rerum memoriæ prodiderit,

&

& animam quoque ipſam nihil aliud eſſe dicat interdum, quàm craſin corporis. Quanquam alio quodam in loco ingenuè fatetur, ſeſe quid anima ſit ignorare. Tametſi verò Empedocles, φύσιν & ὀυσίαν rerũ, nihil aliud quàm craſin elementorum eſſe exiſtimat, nihilominus ab ipſa veritate coactus, vt Ariſt. ſcribit in fine primi lib. Metaphyſ. fatetur φύσιν, & non craſin eſſe λόγον ſeu εἶδος ſubſtantiam conſtituens rerũ naturalium. Idem accidit Anaxagoræ, qui, vt Plato in Phædone ſcribit, eum τῷ λόγῳ, id eſt formæ ſubſtantiam cõſtituenti principatum aſſcribat, & cauſam eſſe dicat omnium eorum, quæ fiant in natura, nihilominus in plerisque, quaſi oblitus prioris ſententiæ, Anaxagoras omnes effectiones naturales, cauſis inſtrumentalibus, & materiæ naturæ explicat, quodammodo à ſe ipſo diſſentiens. Mixtiones porro ſeu craſes naturales, nulla re alia differunt ab his, quæ arte fiunt & externa cauſa, quàm quòd illarum cauſa ſit natura ipſa, quæ forma eſt ſubſtantialis, harum verò cauſa exiſtat externa, opificio videlicet artificis dum fiunt, aliquid vnum per accidens & non per ſe vnum, quale eſt τὸ δέ τι, cuius vnitas forma

eſſentiali ſeu ſubſtantiali definitur. Hæc breuiter oſtendimus,vt craſin in naturalibus effectis ſeu rebus formam eſſentialem ſeu λόγον ſubſtantialem habentibus,ne exiſtimemus eſſe principalem cauſam, cum craſis non ſit principium, quemadmodum λόγος τῆς οὐσίας eſt principium, ſiquidem craſis eſt compoſitum quiddam, λόγες autem ſubſtantia ſimplex quiddam eſt & incompoſitum. Quamobrem perſpicuum eſt, non tantùm ſubſtantias animatas, ſed etiam expertes animæ, nempe naturales ὀσίας, præditas eſſe formis ſubſtantiã conſtituentibus. Quibus euidens eſt, vtramq; opinionem paulo antè recitatam aberrare à vero, & inconſentaneam eſſe cauſis naturalibus. Quæ porro noſtra ſit ſententia, deinceps planum faciemus.

CAPVT III.

Quod nulla res naturalis ſine forma ſubſtantiali craſin habeat, quemadmodum res & mixtiones ſunt craſes externis cauſis & non naturalibus conſtitutæ.

SVbſtantias differre ab accidentibus & à proprijs etiam affectionibus,quę ipſis inſunt

insunt (nam neq; propria πάθη neq; accidentia ipsa per se esse possunt, sed omnino necesse est vt in aliquo subiecto insint) generibus prædicamentorum manifestũ est. Nam quæcunque pertinent ad substantiæ genus, eadem τόδέ τι appellari à Dialecticis consueuerunt, quod nimirum substantiæ seipsis sint, nec in subiecto aliquo inesse possint. Accidentia autem & propria πάθη ex necessitate insunt in quodam subiecto, quod subiectum denominatiuè nomen suum habet ab accidentibus. Vt verbi gratia, substantia propter quantitatem nõ τόδέ τι, sed τόσονδέ τι appellatur, denominationem habens à quantitate. à qualitate item τοῖονδέ τι dicitur, itẽ à relatione πρός τι: idem sentiendum de reliquis accidentibus, quæ nõ nisi denominatiuè de substantia pdicari possunt. Quo liquet substantias naturales toto genere discrepare ab accidentibus, quo nomine crasin etiã seu mixtionem accidens substantię esse statuimus. Proprium autẽ πάθος substantię, tametsi in eodẽ genere sit in quo inest substantia ipsa, nihilominus substantia nõ est, sed qualitas q̃dã est substãtiæ. Veruntamẽ inseparabilis est ac realiter nõ differẽs à subiecto suo, cũ

accidentia realiter differant à ſubſtantia. Vocabulum autem ſubſtantiæ trifariam vſurpari autor eſt Ariſtoteles. Etenim forma ſubſtantiam conſtituens, nec non materia, ſubſtantiæ eſſe dicuntur, itemq; compoſitum ex vtrisque, nempe res naturalis, ſubſtantię habet appellationem, quod maximè ipſa res naturalis per ſe eſſe dicatur, tertio modo eorum quæ per ſe dicuntur eſſe in analyticis poſterioribus. Forma enim & vernacula formæ cuiusq; materia, ſeparatim & ſe ipſis non ſubſiſtũt, vt viſum fuit Platonicis, ſed propter hanc cauſam ſubſtantiæ dicuntur, quoniã conſtituunt ſubſtantias, vt de illis, & de re naturali conſtituta, vocabulum ſubſtantiæ quodammodo æquiuocè prædicetur, pro eo quod æquiuoca illa appellantur, quibus ad vnum ſeu πρὸς ἓν relatis multa ſignificãtur. Simili modo Ariſto. lib. 12. Metaph. & formam & materiam τὸ δέ τι nominat, cùm ſimpliciter tamen non ſint τὸ δέ τι, quoniam vt diximus non ſunt χωριστὸς, quod propriũ eſt ſubſtantiæ, ſed hoc nomine dicuntur τὸ δέ τι, quia conſtituant rem naturalẽ, quæ eſt ſimpliciter τὸ δέ τι. Propria πάθη porro ſubſtantiæ, ineſſe dicimus naturalibus tanquam

quam

quam ſubiectis, & non formæ ipſi, aut materiæ, ſed nihilominus formam aut materiam illorum propriorum, cauſam eſſe dicimus in re naturali. Omnium enim propriarum affectionum in re naturali, cauſa eſt aut forma ipſius, aut materia. Quo loco etiam diſtinguenda nobis eſt materia, quæ duplex eſt, nam aut immediatè ſubijcitur formę, quam Ariſtoteles οἰκείαν ὕλην appellat: vel eſt mediata, vt verbi gratia, mixtura elementorum mediata eſt materia in his ſubſtantijs, quæ generantur mixtis quibuſdam corporibus, nec non etiam prima materia, quæ commune ſubiectum eſt omnium generationum & corruptionum. Haud longe ſuis formarum quoque gradibus diſtinguimus ſubſtantiam naturalem ſeu perfectione & imperfectione. Quo enim forma ſubſtãtialis propius abeſt à materia prima, eo imperfectior eſt & ignobilior. Quo autem longius abeſt, eo præſtantior eſt & perfectior. Ignobiliſſimę formæ ſunt elementorum, quia proxime abſunt à materia prima, mixtis autem ſubſtantijs non niſi propter elementa ſubijcitur. Propter formas enim elementorum inſunt in ipſis elementis δυνάμεις, nempe

primę qualitates, propter quas miſceri poſſunt, vt propter quas videlicet corpora talia ſortiuntur appellationem elementorum. Quoniam, vt Ariſt. inquit, aliud eſt igni eſſe, & aliud elemẽto eſſe, quoniam aliud eſt ſubſtantia elemẽti, & aliud δύναμις ipſius, qua elementum miſceri poteſt, ſeu μικτὸν quiddam dicitur eſſe. Et hac ratione etiam elementũ, ſeu pars mixti eſſe dicitur, quippe elementum, vt pars refertur ad totum mixtum. In mixtis etiã & compoſitis, formarum gradus iſti differunt, vt proxima forma ſubſtantialis, à mixtione imperfectior eſt, ea forma, quę continet eam tanquã materiam, vt forma carnis, quatenus eſt animę expers, qualis in exanimatis corporibus exiſtit, ignobilior eſt ea carne, quę eſt pars animati corporis. Nam ꝓpter hãc formã, caro dicitur animata pars, & energia definitur motrice articulorum in animalibus. Deinde ſupra illam formã, perfectior eſt ea forma, q̃ in animalib. conſtituit partes, quę membra appellantur, ex multis ſimilaribus conſtituta, vt forma eſt brachij vel pedis, vel capitis. Totius autẽ animalis forma, continens omnes partes organicas ſcilicet, vt ſimilares, perfectiſſima omnium

eſt

eſt,& nobiliſſima, vt quę ab alia non poſſit perfici. Anima .n. eſt forma ſimpliciter,& vt Ariſt. loquitur in Metaphyſicis, ὅλως λόγος .i. ſimpliciter forma: quoniã ipſa compoſita non eſt. Reliquæ autẽ formæ partiũ corporis animati, q̃ conſtituunt corpus, nõ ὅλως λόγοι, ſed quędam materiatæ formæ, nempe quidam λόγοι ἔνυλοι exiſtunt. Proinde quo propiores ſunt à materia formæ ſeu λόγοι tales, eo minus euidentem habẽt & certam energiam,& quid ſint difficilius cognoſcuntur, vt caro mortua, difficilius definitur quàm caro viua, & viua caro minus apertam habet definitionẽ, quàm organica pars & compoſita ex partibus ſimilaribus, propterea quòd efficacia energiarum formæ cognoſcuntur, & ob id materia prima omnino eſt ἄγνωστος, quia prorſus nullam habet vim ad agendum, tantumq́; perficitur,& non perficit aliquid. Hos gradus accuratè & etiam eleganter diſtinguit Ariſt. circa finem quarti libri meteororũ. qui volet, inde requirat. Ex his quæ diximus concludendum eſt, non tantùm animatas ſubſtantias, ſed expertes etiã animæ præditas eſſe forma ſubſtantiali quadã, vt craſin nõ eſſe ipſam ſubſtantiã rerũ liquidò

appareat, nam ſine hac forma, ſubſtantia nihil dici poteſt, vt formæ rerum artificioſarum, non ſubſtantias ſignificant, ſed accidentia in ſubſtantijs, vt forma domus, forma annuli, forma panis, qualium rerũ ideas negauit eſſe Plato, vt autor eſt Ariſt. in Metaphyſicis. Accidentia enim nec ſe ipſis, nec per intellectum poſſunt ſeparari ſeu χωριςὰ eſſe, quemadmodum ſubſtantiæ ſeipſis ſunt χωριςὸν quiddam, & formę ſubſtantiarum licet non re ipſa, tamen intellectu ſeparantur, vt ideæ ipſarum, vt aliud eſſe intelligantur, quàm ipſa materia, aut accidentia, aut propria πάθη. Sed hæc hactenus de formis & ſubſtantijs rerũ naturalium dicta ſufficiant. Nunc deinceps, quid & qualis ſit vis, & efficacia rerum occulta ſeu abſtruſa diſſeremus. Vis & facultas actione ſeu energia intelligitur. Potior enim natura eſt, ſi comparetur materiæ, q̃ & ipſa eſt natura, ſed ignobilior formæ ſeſe ſubijciens, vt diuino cuidam principio, cuius vt Ariſt. inquit, perpetuo eſt appetẽs, propter ſui perfectionem. Conſiderantur autem in omnibus rebus naturalibus tria hæc, ſubſtantia videlicet ipſa, deinde ipſius potentia ſeu δύναμις, qua eſt efficax ad agen-

gen-

gendum. Tertium autẽ eſt ſecundus actus δυνάμεως, q actus & actio dicitur & energia. Facultas porro ſeu δύναμις, non eſt ipſa ſubſtantia, ſed eſt aliquid in ſubſtantia, nempe qualitas quædam, quæ vt proprium πάθος ſit inſeparabilis à ſubſtantia, vel qualitas eſt, quæ accidit ſubſtantiæ, quibus etiam efficacem ſubſtantiam eſſe dicimus. Etenim ſubſtantiæ naturales, aut mouere aliquid, aut moueri dicuntur, reſpectu autem vtriusq; potentia quadã prçditas eſſe oportet. Non enim vt expertis materiæ, formę diuinæ ipſa ὀσίᾳ ſunt energia quædam, cùm tales ſubſtantiæ non paciendo vel agendo aliquid definiantur, de cætero autem ſubſtantiæ naturales nullam vim habent ad agendum ſeu mouendum quippiam ſine contactu, vt autor eſt Ariſt. libro priore De ortu & interitu. Contactu enim vtriusque potentia, & agentis ſcilicet & pacientis in actum deducitur, neq; paciens quicquam aliud eſſe dicitur paſſione & potentia ſua, quàm id, quod actu eſſe dicitur ſecundo, & agens ipſum, id eſt actione ſua definitur. Quo ſenſu explicari debet, id quod eſt apud Ariſt. in Metaphyſicis & alibi, quando dicit, tale patiẽs eſt poten-

tia,quale agens eſt actu, quandoquidē eodem ad numerum motu cōtineatur actio & paſſio,vt Ariſt.autor eſt 2.lib. Phyſicorū, quod intelligendum eſt de actu ſecundo agentis ſeu patientis, & non de actu primo. Etenim actus primus agentis, idē non eſt in multis, qui eſt patientis actus, vt quando cœlum producit corpora quædam naturalia, alius actus eſt cœli, & alius act⁹ primus producti naturalis, vt cœlū ſi generet metalla, nemo neſcit quantū inter duos illos actus primos interſit. Item quando venæ generant ſanguinem ex chylo, amborum actuū diſcrimen manifeſtū eſt, cuiuſmodi agētia Ariſtoteles appellat κατ' ἀντιλέχθαν. Quando autē caro facit ex ſanguine carnem, tum eiuſmodi agētis actus ſimilis eſt actui patiētis, qui introducitur generatione, & quo informatur materia patientis. Huius generis agentia & patientia ὁμοειδῆ Ariſt. nominat. Quo manifeſtum eſt agētis actum nonnunquam differre à patientis corporis actu. vt dictū illud vulgatum, quo dicimus Tale eſt patiens potētia, quale agens eſt actu, non ſit intelligendum de actibus primis agentis & patientis, ſed de actibus ſecundis, nempe de actione & paſ-

ſione,

ſione, quæ ratione motionis ſunt numero & realiter vnus actus, quamuis formaliter differant, & non vnus ſint ſimpliciter, ſed ſimilitudine aliquid vnum. Et vt calefacere actus eſt ſecundus perfectus: ita calefieri eſt actus ſecundus imperfectus. Perfectum autem & imperfectum gradibus differre, & non ſpecie, & quodammodo ſimilia eſſe, cõſtat inter omnes. Propter ſpeciem enim vnam in actione & paſſione ſimilitudo ineſſe dicitur, quãuis gradu perfectionum diſſimilia exiſtant. Et hæc quidem ratio locum habet in vtroq; genere agentium, quorum vnũ eſt κατ' ἐντελέχειαν, alterum ὁμοειδὲς ab Ariſt. appellatur. Definiuntur porrò potentiæ omnes ſuis energijs, ſiue actiuæ ſint, ſiue paſſiuæ. Potentiarum autem cauſa agens tangere, & patiens tangi dicitur. Non enim tactum aſſcribimus formæ ipſi, cùm forma non ſit corpus naturale, & ſine tactu informet materiam. quin etiam materia ſine tactu informetur à forma. Quare ſolius corporis naturalis proprium eſt, vt tangendo agat & patiatur, ſed non ſine potentia, quæ vtriſque ineſt, aut vt proprium πάθος, aut vt accidens quiddam. Hactenus oſtendimus

corpora naturalia, ad agendum efficacia esse, propter formam substantialem, alias occultis & proprijs qualitatibus, quarum causa sit forma substantialis. Alias secundum accidens, qualitatibus inhærentibus, quarum causa sit alias natura, alias verò accidens externum quoddam, vt disciplinæ informationis causa est natura hominis, externa autem causa est, & secundum accidens, præceptor instituens & docens.

CAPVT IIII.

Quod nam discrimen sit inter abstrusas seu occultas, & manifestas sensui nostro qualitates.

DEmonstratum est hactenus, potentias rerum naturalium, quatenus sint naturales, à formis substantiarum dependere & nexas esse, non autem principaliter earum causam esse crasin, seu mixturã elementorum, quemadmodum alias artifices potentias & vires medicamentorum constituunt miscendo & componendo ex multis simplicibus medicamentis, quorũ medicamentorum, quòd formam habeãt non substantialẽ sed artificiosam, quæ nimirum sit accidẽs, vnũ per accidens etiam con-

constituatur ex multis simul aggregatis, idq; mixtis ne fiat, ipsum per se est manifestum. Aberrant itaque à vero, qui formas substantiales negant esse in corporibus naturalibus anima orbatis, & si quæ potentię sint in illis, ipsis duntaxat crasibus, & non formę substantiam constituēti, asscribunt. Proinde vt formæ gradibus inter se differunt, quemadmodum suprà fuit dictum, vt vna propior sit à perfectissima forma, altera autem propior sit à materia, sic etiã gradibus differunt inter se potentiæ taliũ substantiarum, vt nimirum potentia quædam sit formæ perfectioris, alia verò potētia sit, quæ magis à materia prouenire existimetur, vt potentia carnis, qua caro generat è sanguine carnē efformando seu vegetando, coniunctior est cum forma substantiæ carnis, quam ea, qua potentia generatur sana caro aut mollis, aut dura, quæ potentia respectu talium qualitatũ coniunctiorum materia esse videtur: nã propter materiam sanguinis tales qualitates carni inhærent. Et in hoc genere materiales potētiæ sunt omnes facultates sub sensus nostros veniētes, vt sunt colores, sapores, odores, & tactiles qualitates, quarum species

& genera mixturis elementorum defini-
untur, nihilominus eaſdem efficiẽte & de-
terminante forma ſubſtantiali, quæ forma
ſubſtantialis vt natura nobilior præſtan-
tiorq́; reliqua accidentia, quæ inſunt in re
naturali, determinat: quoniam, vt Ariſt. in-
quit: ἀρχὴ τῶν ἁπάντων ὁ λόγος. Nam extra
λόγον, quæ ſunt, indefinita ſunt, & propter
materiam eſſe dicuntur, quæ principium
eſt & cauſa τῆς ἀοριστίας. Sic habentibus
ergo his omnibus etiam inſunt rebus na-
turalibus φύσει potentijs agentibus aut pa-
tientibus aliquid, & quaſdam potentias,
videlicet ex ijs abſtruſas dicimus eſſe, non-
nullas autem manifeſtas & minimè oc-
cultas. Potentias autem definiri & intelli-
gi actionibus ſeu energijs proprijs, haud
dubium cuiquam eſſe poteſt: quoniam a-
ctiones & paſſiones ſeu energiæ priores
ſunt τῷ λόγῳ καὶ τῇ φύσει potẽtijs ipſis, tam-
etſi γενέσει ſint poſteriores. Nam in defini-
tione potentiæ includitur energia. Quare
priorem energiam τῷ λόγῳ eſſe oportet.
Quamobrem autem φύσει prior ſit ener-
gia, ſuprà oſtendimus. Minimè autem ob-
ſcurum eſſe poteſt, propter potentiam vnũ
habere rationem agentis, & alterum ra-
tionem

tionem habere patientis, vt agens & patiens facultatib suis sine relatione nequaquam possunt intelligi. Deinde etiam nemo tam rudis est, vt non exploratum habeat, non quoduis à quouis pati aliquid; nec agens cuiusq; patientis respectu appellari aut referri, sed habere respectũ ad certum quoddam patiẽs subiectum. Nihil .n. respectu sui ipsius agit aut patitur quippiã. Agentibus porro & patientibus coniunctis tactu quodam: id est sese mutuo tangentibus, ex necessitate actio & passio oboritur, nisi facultas seu potẽtia fuerit impedita, vt caro non efficit carnem, si facultas carnis, quæ Græcis dicitur σαρκοποιητικὴ, fuerit impedita morbo. Morbus enim est, qui non (vt Galenus censet) primo impedit actionem, sed primo impedit facultatem seu potentiam. Similiter caro non fit, si potentia sanguinis morbo aliquo impediatur. Cæterum potentiæ in substantijs aut impediuntur aut prorsus priuatione abolentur. Quæ abolitio nequit esse aut locum habere, nisi simul perimatur etiam forma & substantia rei. Priuatio enim, quæ hoc loco vsurpatur, opposita est formæ substantiali, nec ea significat

contrariam ſpeciem aliquam, vt morbus ſanitati contrarium ſignificat. Etenim vt contraria non perimunt ὀσίαν ſubiecti, cũ poſſint permutari inter ſe. Sed de priuatione hac ſubſtantialis formæ ſeu potentiæ, quæ ſequitur hanc formam ex neceſſitate, multa diximus in compendio noſtro analytico in librum peri herminias in capite de oppoſitis poſt tractatiõnẽ prędicamentorum. Quamobrem non ſequitur ſi quæ eſt facultas rei quæ non actionem ſuam in patiente ſubiecto præſtare poſſit, vt ob id vel ipſam vel formam ſubſtantiæ, peremptam eſſe dicamus & abolitam, ſiquidem vis & efficacia priuatione perfecta nõ fuerit abolita ſed duntaxat impedimẽto quodam παρὰ φύσιν impediatur. Quum enim ſubſtantiæ naturales ſint concretæ cũ materia, & facultates & actiones earundem impediri poſſunt, vt tamen ſubſtantia earum non corrumpatur aut pereat, vt verbi gratia morbis plerisq; facultates corporis animati impediuntur, ſed ob id non perimuntur ſubſtantiæ: reſtitutione enim ſanitatis impedimenta remouentur, id eſt morbi. Morbi enim ſunt (vt diximus) qui non primò actiones, ſed primò facultates impe-

impediunt, à quibus facultatibus promanant actiones. Sed de his dictum hactenus satis. Nunc quid sit facultas abstrusa seu occulta considerandum est. Suprà diximus efficientia quędam κατ' ἐντελέχειαν mouere & afficere sua subiecta, vt quod facit & quod fit non sint eiusdem speciei, nempe ὁμοειδῆ, vt quando dicimus ventriculum generare chylum aut quando venæ sanguinem efficiunt, κατ' ἐντελέχειαν suas exercent actiones, sed quando caro facit carnem ex sanguine, actio hæc est & dicitur ὁμοειδής. Ferme autem omnium medicamẽtorum actiones & energiæ quas exercent in corporibus humanis κατ' ἐντελέχειαν eas exercent, respectu patientium seu affectorũ corporum in ipsisq; insunt medicamentis propter formã substantiæ, quem aliàs λόγον appellamus, aliàs μορφὴν seu εἶδος nominamus, & quod eupatorij seu absinthij tales sint vires agendo & essentijs, seu formis substantiarum transcribitur. Formæ enim sunt causæ, & instrumenta crases, vt tales in ipsis proueniant facultates, quando κατ' ἐντελέχειαν alterant corpora nostra, & non ὁμοειδῶς, vt aliàs elementa solent nostra corpora alterare. Ignis enim, quia ca-

lidus eſt, conciliat etiam calorem corpori noſtro, qui calor ſimilis eſt calori ignis, licet non ſit idem. Ita quoque aqua humectat, & aër refrigerat, nec non etiam terra ſiccat viribus manifeſtis, qualitatibusque ſuis afficiunt patientia corpora. Verum non hoc modo non ſiccant aut calefaciunt eupatorium aut abſinthium, quæ vt actu ſint ſicca, tamen hac ratione non ſiccant aut calefaciunt, quemadmodum elementa, ſed virtute & efficacia ſeu facultate, quã habent à forma ſua ſubſtantiali, ſeu eſſentiam ipſorum conſtituente. Et huiuſmodi vires etiam hoc modo occultæ ſeu abſtruſæ poſſunt dici, qua ratione diſtinguuntur contra manifeſtas Qualitates elementorum, quæ, vt diximus, afficiunt patientia corpora ὁμοιῶδῶς, ſeu ſimilem qualitatem patientibus corporibus conferendo.

Quid ſint occultæ vires medicamentorum.

Deinde alia eſt ſignificatio abſtruſarum ſeu occultarum Qualitatum, quibus à tota ſubſtantia medicamenta dicuntur efficacia eſſe, non quod qualitates quaſdam ſenſu notas producant in patientibus corporibus, non vt quod calefaciant

ciant aut refrigerent, aut ſiccent, aut inci-
dant vel extenuent, ſed quod purgando
certum quẽdam humorem, aut roboran-
do certum quoddam viſcus ſeu partem a-
liquam corporis, ſint efficacia. Hanc e-
nergiam ignota qualitate, ſeu proprietate
quadam ignota exercere videntur medi-
camenta. cuius facultatis nullam aliam
cauſam habent, quàm formam ipſam ſeu
λόγον ſubſtantiam medicamenti conſti-
tuentem. Tales facultates Galenus appel-
lat ἰδιότητας τῶν οὐσιῶν, id eſt, proprietates
ſubſtantiarum. Sic enim ſcribit quodam
in libro de placitis Hippocratis & Plato-
nis: αἱ γὰρ τῶν ουσιῶν ἰδιότητες οἰκείας ἑαυ-
ταῖς ἔχουσι καὶ τὰς τῶν δυνάμεων ἰδιότητας.
Huiuſmodi facultas eſt, quæ adſcribitur
rhabarbaro, quoad purgat humorem bi-
lioſum, & eupatorio, quoad corroborat vi
ſua ſubſtantiali epar, & ſcolopendrio, item
aſpleno, quatenus proſunt lieni. Facul-
tas quoque totius ſubſtantiæ eſt, qua ven-
triculus concoquit & conficit chylum:
nec non etiam venarum facultas ſub-
ſtantiæ propria eſt, qua venæ gene-
rant ex chylo ſanguinem. His exemplis

promptum eſt intelligere, quæ nam ſint illa aut eiuſmodi, quæ propter formam ſubſtantiæ facultatibus occultis prædita eſſe dicuntur. Itaq; conſtituimus nos tres gradus ſeu differentias efficientium Qualitatum. Prima eſt manifeſtarũ Qualitatum, vt quando dicimus, calida actu calefacere, & frigida refrigerare, & humida humectare, nec non ſicca corpora cauſam eſſe ſiccitatis in corporibus. Altera eſt differentia qua continentur ea, quæ non actu, ſed δυνάμει tales Qualitates producunt in patientibus corporibus, cuiuſmodi ſunt medicamenta, quę ſupra primo ordine contineri oſtendimus. Tales facultates medicas eſſe dicimus, quas tamen ignorantes Empirici medici negant definiendas eſſe notis illis effectibus Primarum Qualitatum, quòd videlicet, omnes illas vires remediorum ignotas nobis eſſe exiſtiment, & quales ſint in corporib. ſanandis, & quod duntaxat nobis conſtet experientia & vſu tales remediorum eſſe vires. Quo factum eſt vt Pelops Empiricus, præceptor Galeni irrideret dogmaticos Medicos, qui deſcriberent talia remedia efficiẽtia quatuor Qualitatum primarum, redarguendo ſcilicet

eos

eos & irridendo, quod ſemper in ore habe-
rent vocabula hæc, quibus etiam balnea-
tores vtantur, calida ſcilicet, frigida, humi-
da, & ſicca remedia appellando. Nos hac-
tenus huiuſmodi remedia manifeſtis qua-
litatib. efficacia eſſe dicimus reſpectu pa-
tientium corporum, quæ nimirum affici-
unt manifeſtis qualitatibus, vt calore, fri-
gore, & ſimilibus. Quin etiam ſecundi or-
dinis remedia nondum abſtruſis qualita-
tibus ſeu proprietatibꝰ afficere corpus no-
ſtrum ſtatuimus, vt cũ incidere, extenuare,
concoquere, abſtergere, obſtructiones tol-
lere aut eaſdem facere dicuntur. Similis eſt
conditio eorum, quæ tertio ordine com-
prehenduntur, vt quæ facultatem habent
ciendi vrinas aut ſudores, aut ſubducendi
aluum, aut prouocandi menſtruum fluxũ.
quorum remediorũ, vt non abſtruſorum
cauſæ explicantur à Galeno in lib. de ſim-
pli. medica. facul. & præſertim lib. 6. in quo
differentias tales ſuis cauſis & rationibus
explanat. His omnibus appoſitæ ſunt qua-
litates, quarum cauſa res naturales paſſio-
nibus ſunt obnoxiæ, & quas vulgò patibi-
les qualitates appellant, quarum omnium
cauſas & differentias Ariſtoteles explanat

& recenſet lib. 4. μετεώρων, quib. hîc enumerandis ſuperſedebimus. Vltimus eſt & quartus ordo eorum remediorũ ſeu facultatum, quorũ cauſa ſubſtantia eſſe dicitur, & (quæ referuntur ad tertium illud genus ſuprà commemoratũ occultarum qualitatum ſeu virium) vulgò ratione totius ſubſtantiæ efficaces reſpectu ſuorũ effectuum & motuum, eſſe exiſtimantur, vt nulla ratio aſſignari poſſit, propter quam præſtare poſſint tales motus, præterquã quòd à ſua forma ſubſtantiali facultates tales dependeant, & nulla ratio dari poſſit, ꝓpter quã intelligatur eupatoriũ potius prodeſſe iecinori, aut ſaluiam, aut maioranam magis prodeſſe capiti, quàm alijs partibus corporis. Item quod alium humorẽ purget rhabarbarum, & alium folia ſenæ aut cnicus. Etenim vires iſtas omnino neceſſe eſt ad formã ſubſtantialẽ, quæ non venit ſub ſenſum, referri. Et hæ quidẽ ſunt abſtruſiſſimę facultates, quarũ nulla alia cauſa ſit, quàm forma ἐσιώδης, quæ forma, vt φύσι notiſſima eſt, ita nobis ſeu noſtro intellectui eſt ignotiſſima. Quorum .n. (vt Ariſt. inquit) manifeſtiſſima ſunt naturæ principia, ea ſunt nobis ignotiſſima, q̃ verò ſub ſenſum ve-

veniunt, horum notiores ſunt nobis ratio-
nes & cauſæ. quoniam nos à ſenſu colligi-
mus notitiarũ noſtrarũ principia. Quam-
obrem magnes alliciat ad ſe ferrum nulla
cauſa reddi poteſt alia, quã ꝙ facultas hæc
magnetis producatur à forma magnetis:
& quod ventriculus concoquat cibos, nulla
alia cã eſt quàm forma ſubſtantialis vẽtri-
culi: & ꝙ calidus eſt ignis, nulla alia cã eſt,
quàm forma ſubſtantiã ignis conſtituens,
quarũ formarum ſpecies, cùm ſenſum no-
ſtrũ effugiant, meritò occultæ & abſtruſæ
cauſæ eſſe dicuntur. Quòd aũt ignis calefa-
cit, cã eſt huius, ꝙ videlicet calore ſit prædi-
tus. Quorumcunq; igitur effectuum ſeu
motuũ & alterationum ratio quædã & cã
explicari pȏt, horũ non abditas ſeu abſtru-
ſas vires & facultates eſſe dicimus. Quorũ
autẽ nulla alia cã, quàm forma ſubſtãtialis
à nobis affertur, eas ꝓ occultis & abſtruſis
numeramus facultatibus. Et hæc de facul-
tatum differentijs dicta ſufficiant.

CAPVT V.

De ſubſtantiarum differentijs, in quibus proprietates illas occultas ineſſe dicimus propter ἰδιώδεις formas.

NOTAE ſunt omnibus differentię cor-
porum naturaliũ, quarũ vna eſt qua

animata omnia continentur, vt stirpes & animalia. Altera verò est expertium animę & vitæ corporum, quorum substantia non constituitur informatione animæ, sed formæ essentiæ cuiusdam, quæ materiæ mixtorum inesse dicitur, è mixtis scilicet, vnũ non per accidens constituens, sed per se vnum & τόδέ τι quiddam, quamuis & animata & inanimata omnia quasi instrumẽto mixtorum & κράσεων generentur. quæ si ita se habent, à vero necesse est eos aberrare, qui duntaxat animatorum τὺς λόγυς, id est formas substantiales esse dicunt. Inanimata autem non nisi crasi elementorũ aliquid vnum esse contendunt, quorum errorem satis superque suprà confutauimus. Cœleste porro corpus communis est causa efficiens omnium substantiarum naturalium, & animatorum quidem corporum communis est causa eo modo, quo Aristoteles dicit: Hominem & solem generare hominem. Expertium autem animæ & vitæ corporum, & cœlum ipsum per se causa est, materiam sibi idoneam in inferioribus apparante certis in locis, vbi tales substantias generare voluit creator Deus. Et postea huiusmodi materias informando perfe-

cta quadam forma, qui effectus speciem habeat naturalis duntaxat corporis, & non etiam animati, cuiusmodi corpora sunt lapides & metalla. Horum vnum, alterum propagatione gignere nequit, quemadmodum animata propagantur ab animatis. Proprium autem illud est substantię, vt non nisi à substantia produci queat & generari (autore Aristotele in metaph.) cum accidentia & à substantijs, & ab accidentibus alijs genere differentibus, produci possint. vt substantia rosæ producit in rosa colores & sapores, quę sunt qualitates rosæ: vt non necesse sit qualitates à qualitatib. produci, quemadmodum substantiam necesse est procreari à substantia. Simili modo qualitates etiam elementorum à formis & substantijs elementorum producuntur, & cœlestia corpora causa sunt mixtionū elementorum, cùm tamen ipsa nec in se qualitates habeant, neq; etiam per mixtionem constituta sint corpora, vt manifestum sit, τὸν λόγον ὀσίας principatū habere in procreandis omnibus rebus naturalib. & accidentibus. Nam vt ὁ θεῖος λόγος principium est principiorum omniū in natura, sic naturalis λόγος principium est omnium eo-

rum, quæ ſunt in rebus naturalibus. Reſtat iam nunc, vt de tribus his diligenter & exquiſitè diſſeramus, nempe de proprietatibus ſeu potentijs, de ſubiecto proprietatũ, nec non etiam de cauſis earundem, in quibus multæ & varię difficultates ſeſe offerũt diſputantibus, quibus ſatisfacere, & quas diſſoluere haud facilè ſit, niſi prius differẽtias omnes cognoſcamus & ſpecies harum rerum, & niſi prius etiã poſtulata certa & vera ſtatuamus, quibus tanq̃ principijs vti nos ad demonſtrationẽ oportet, cũ pleriq; falſis poſtulatis, falſa quoq; ꝓpoſita & concluſa aſtruere conentur. Hoc loco potentias, rerum naturaliũ proprietates appellamus, quarum demõſtrationes eſſe dicuntur, cùm accidentiũ nulla ſit demonſtratio, quandoquidẽ per ſe cauſa nulla accidentiũ exiſtat. Proprietates autem Dialectici gręci ἴδια πάθη nominant, vulgò ſcholæ nuncupant proprias paſſiones, ſeu proprias affectiones, q̃ ſeparari à rebus ſubiectis incolumi ſubſtantia nequeunt: quoniã ne definiri quidẽ poſſunt ſine ſuo ſubiecto. Differunt aũt inter ſe proprium πάθος, & propriũ accidens, & cõmune accidens. Proprium πάθος eſt, quod omni ſoli & ſemper ineſt

ſub-

ſubiecto, vt capax diſciplinę omni ineſt homini, & ſoli, & ſemper. Proprium aũt accidens ſoli ineſt ſubiecto, ſed neq; omni, neq; ſemper. Vtrumq; definitur ex appoſitione ſubiecti, cui ineſt. Accidens aũt definiri nequit, cũ nulli certo ſubiecto inſit, ac ſuapte natura ſit indefinitum. Propria accidentia ſunt, vt Grammaticũ eſſe, intelligere, concoquere cibũ. Cõmunia aũt accidẽtia, cõia ſunt multis, vt albũ eſſe, vel nigrũ, vel amarũ, vel dulce, q̃ per nouẽ genera diſtribuuntur, & nulla determinatione ſubiecti certi intelliguntur. Cæterùm propria πάθη duorum generũ ſubiectis inſunt. Quædam .n. cõcreta ſunt cum materia ſubiecta, cuiuſmodi propria rebus naturalib. inſunt, alia inſunt rebus ſecretis à materia, q̃ res dupliciter diſtinguuntur. Quædam .n. reuera & ſimpliciter materia vacant, vt diuina oĩa, & motus expertia, ſempiternaq́;, vt ſubſtantię ſunt angelicæ, nec nõ Deus quoq; ipſe, quibus vt in corporeis ἀΰλοις nulla ineſt materia, ꝑꝑ quam res mutabiles dicuntur eſſe. Alterum genus eſt à materia ſeparatarum formarũ nõ reipſa, verum ab ἀφαιρέσει intellectus noſtri, cuiuſmodi ſunt mathematica εἴδη, quorum proprietates Geometræ

& Arithmetici demonſtrãt. Tales proprietates in ſubiectis perpetuò inſunt, nec aboleri poſſunt ſaluis ſubiectis, nec impediri, quo minus inſint, accidente quopiã valent, quamuis formæ Geometricæ ſeu figuræ, quoad corporibus inſunt, earundem proprietates & alterari & impediri ſolent: de quibus tamen ſic habentibus Geometræ nihil demonſtrent, cùm different inter ſe, autore Ariſtotele, fabrorum & geometræ triangulus aut circulus: ſed de his dictum ſatis in præſentia nunc, deinceps de proprietatibus rerum naturalium, quæ nimirum nihil aliud ſunt, quàm potentia quædam, quibus agere aut pati aliquid propriè dicuntur, diſſeremus. Facultates proprias, quas vocabulo potentiæ ſumus complexi, ineſſe ſubſtantijs primò & immediatè ſuprà fuit demonſtratum, quarum quædam ſint propter quas efficaces res naturales eſſe dicimus ad agendum ſeu efficiendum quidpiam, quædam verò ſint propter quas ad patiẽdum aliquid ſint habiles: vt potentia effectrix eſt in carne, vt poſſit facere carnẽ, ſed in ſanguine eſt habilitas patiendi, vt ex ipſo poſſit fieri ſanguis. Potentiæ tales in ſubſtantia inſunt, vt earum cauſa ſit

sit forma substantialis. Tota autem substantia seu simplex seu composita sit, subiectum eius & δυνάμεις ipsius simul sunt,& simul abolētur cum substantia sua, & ipsis abolitis substātijs, simul etiam pereunt potentiæ. Hoc loco distinguenda est materia rerū naturalium. Quædam enim est prima materia, in qua est potentia, vt possit omnibus formis subijci. Alia est vltima materia seu vernacula, quam Aristoteles in metaph. ἐσχάτην & οἰκείαν nominat ὕλην. Ea non nisi vni formæ substantiali subijcitur, & cum hac forma simul est & simul interit. Deinde alia quędam est differentia materiæ, quod nimirūm quædam est respectu formæ immediata, quam diximus simul cum forma esse & simul aboleri. Hęc enim materia si informetur, nō aboletur, sed perficitur specie informante. Alia materia est quæ procedit generatione formam vltimam, quæ simul esse nequit cum vltima materia, sed materia vltima informata perimitur, priorq́; forma in materia aboletur & perit: vt si fiat sanguis, forma chyli desinit, & quando fit caro ex sanguine, sanguis species desinit esse in materia succedente forma carnis. Sunt autem quædam formæ γενέσεως priores in corporib. anima-

Aristoteles μετὰ φυ. lib. θ.

tis, quæ poſterioribus & perfectis formis, quæ nimirum ſunt ſpecies & naturæ, prouenientes & propagatæ ab anima ipſa in ſimilaribus partibus, quæ non poſterioribus formis abolentur & pereunt, neque formis iſtis corruptis, ipſæ etiam intereunt, habentq́ue rationem quaſi materiæ mediatæ, reſpectu perfectarum formarum. Harum formarum ſpeciem & eſſentiam non animatione, ſed quadam quaſi συμφύσει elementorum deſcribimus, cuius formæ interitum Ariſtoteles appellat putredinem. Talis forma eſt partium animalis ſimilarium, vt forma inanimatæ carnis, quæ γενέσει, vt præcedit animatam carnem, & animatione hac non perimitur, ita, nec quando amiſerit naturam animalis carnis, etiam non perimitur natura ipſius prior. propter differentiã hanc formarum aliquid dicimus naſci & fieri ex materia, vt ſi carnem ex ſanguine dicimus fieri, nempe perempta forma ſanguinis. Aliæ autem formæ dicuntur poſterius fieri, & quaſi ſucceſſione quadam perfectionis, vt poſterior non perimat priorem formam, ſed eam perficiat: vt ſi forma carnis viuæ perficiat formam præcedentem carnis,

nis, quam paulo antè συμφύσις elemento-
rum definiuimus, & propter quam ſub-
ſtantia carnis nõ morti, ſed putredini ſub-
iecta eſſe dicitur. Duplicem hunc modum
generationis diſtinguit Ariſtoteles, lib. ε.
ἐλάττων Metaphyſ. nempe vt quædam di-
cantur fieri aliquid ex aliquo, vt ſi quid fiat
poſterius perempta prioris materiæ ſpecie
ſeu forma: aut ſi quid fiat poſterius & prio-
ris materiæ ſpecies non perimatur ſed per-
ficiatur. Et hoc modo poſterius non ex
priore, ſed poſt illud, quod prius fuit, fieri
& generari dicitur, vt nihil aliud ſit illud
fieri, quàm prius à poſteriore perfici: vt ſi
dicamus è puero fieri virum, non quod viri
perfectio ſuccedens, corrumpat naturam
priorem pueri, ſed quod cum gradu ætatis
perficiat. Sic dicimus poſt æſtatem eſſe au-
tumnum, quòd videlicet autumno perfi-
ciantur, non quod pereant quæ prius ge-
nerata erant in æſtate. His quæ diximus li-
quet quaſdam præcedere materias, quæ
informantur ſpecie συμφύσεως perfectio-
nem formæ animatæ, vt verbi gratia,
hanc σύμφυσιν ſimilarium partium ac et-
iam organicarum partium connexionem
& cohærentiam, præcedunt formæ ſub-

ſtantiales,quas adipiſcuntur informatione animæ, qua nimirũ forma dicitur quidpiã eſſe caro,aut cutis,aut mẽbrana, aut neru⁹. Et his per mortẽ deſinentibus formis poſterius, etiã forma hæc συμφύσεως nihilominus perdurat, & alio quodam genere corruptionis (de qua paulo antè dictum) aboletur, nempe aut putreſcendo, aut alia quadam violenta corruptione, vt ſi comburatur. Nulla proinde eſt craſis naturalis, quæ forma ſubſtantiali careat, quo differunt naturales craſes ab his mixtionibus & compoſitionibus, quæ fiunt artis induſtria, nempe externo principio, quod pro natura ſeu forma ſubſtantiæ haberi nequit. Similem formarum deſcriptionem habent, quæ vegetantur duntaxat, vt ſtirpes & herbæ, & arbores. In his princeps forma eſt anima ipſa,quę in corpore organico potentias ſuas incluſas habet, quibus exercet ἐνεργείας vegetationis. Nec non producit etiam anima hæc formam quandam & ſpeciem,quę ſit cauſa potentiarum ſeu facultatum & virium medicarum,quas hominum cauſa Deus opifex in ſtirpibus creauit. Quandoquidem, vt Ariſtoteles inquit,homines quodãmodo ſunt finis, gratia

tia quorum inferiores res naturales ſunt conditæ. Natura hæc ſeu φύσις primò cauſa eſt συμφύσεως mixtorum in illa re naturali elementorum. Deinde cauſa etiam eſt producens medicas vires & facultates in tali corpore: quod quamuis vegetatrix anima perimatur, nihilominus non amittit ſpeciem illam ſubſtantiæ, quam diximus cauſam eſſe συμφύσεως, vt ſtirps vel herbæ expertes animę, ſimilis ſit carni aut neruo, aut cuti expertibus animæ, propter quam priuationem animæ mortuæ dicuntur tales ſubſtantiæ. Omnia porro creauit Deus opifex aut pleraque, vt vel alimenta eſſent hominibus vel medicamenta. Nam vtrisque vitam noſtram tuemur, & à morbis atque morte vindicamus. Naturalis autem corruptio ſubſtantiæ putredo eſt, quæ duplex exiſtit. Vna eſt qua ſubſtantia ſimpliciter putreſcit, altera eſt qua ex parte putreſcit, & ex parte commutatur in nouam quandam ſubſtantiam. Hanc Ariſtoteles in 4.Meteor. ἐκ μέρους σκέψιν appellat, qualis eſt putredo alimentorum in ventriculo, qua prouenit chylus, qui eſt ſuccus alterius ſubſtantiæ, quam fuerit alimentum. Deinde prouenit eadem putredine inutile ex-

crementum, quod per aluũ vacuatur, quæ pars alimenti perfecta putredine corrumpitur. Imitantur hãc putrefactionem chemici quoq; sæpenumero, vt nimirum vtile & purum, ab inutili & impuro excremento ſeparent facilius, putrefaciendo ſcilicet. medicamentum per aliquot dies, non hoc modo vt tota ſubſtantia putreſcat, ſed vt pars quædam, quæ naturam habeat excremẽti, putredine corrumpatur, deinde ignis commertio facilius ſeparetur, quod futurum erat efficax & vtile medicamentum. Hæc, vt dixi, ſimilis eſt putrefactioni alimentorum in ventriculo, quæ nimirum ab Ariſtotele ἐκ μέρυς putredo appellatur, de his plura & copioſius ſcripſimus in lib. de calido & humido natiuis. His perſpicitur quod animatis rebus peremptis, ob id non deſinat omnis forma ſubſtantialis eſſe, vt nihil ſuperſit aliud, quàm craſis iſtarum: quandoquidem craſis naturalis non poſſit eſſe, niſi forma quadam ſubſtantiæ determinetur, cuius corruptione naturali Ariſtoteles putredinem definit. Multæ etiam ſunt ſubſtantiæ in corporibus animatis, quæ tamen animata non ſunt, ſed duntaxat formas naturales obtinent. Quo perſpi-

ſpicuum eſt, ſi animæ expertia ſint, quæ prius animata fuerunt, idcircò non amittere naturas ſuas, quibus vtilitatem aliquam aliquam nobis exhibent, vel reſpectu nutritionis, vel quoad medicamenti rationem habeant: vt caro vſum habet in nutritione cùm cibus ſit, quæ tamen, vt ſubſtantia quædam, nutrimentum eſſe dicitur, quamuis anima careat. Nemo enim (vt Varro de re ruſtica inquit) viuis piſcib. veſcitur, ſed morticinis. Quin etiã in viuo animali, exempli gratia, ſubſtantiæ ſunt, q̃ tamen nõ ſunt animatę, q̃uis producuntur & generantur ab animato corpore, vt ſanguis, lac, item ſperma, nec non ſpiritus, qui ſunt in corpore. Nam ſanguis & ſperma duntaxat δυνάμει ſunt animata, ſed non actu. Simili modo producuntur etiam ab animatis ſtirpibus fructus & ſemina, quæ non ſunt animata, quando perfecta fuerint: quoniam quando vegetari deſierint, tum non amplius animantur, quamuis ſubſtantiæ naturales non eſſe deſinant, vt maturi fructus, & matura ſemina. Fructus enim autore Ariſtotele eſt, quod ex alio naſcitur, ſemen autem eſt ex quo aliud naſcitur. Quis enim neſcit matura poma

vel pira, item vuas anima carere, ita quoq; herbæ si maturuerint anima destituuntur, vt nihilominus maneat substantia naturalis, retineantque vires suas medicas, quamuis vegetari & adolescere desinant, vt vinũ producitur à vite: vitis enim generat botrum, qui maturus desinit animari, & ex eo vinum exprimitur: quod, quamuis anima careat, nihilominus formam naturalem habet, essentiam ipsius constituentem, & nõ duntaxat crasis q̃dam est forma ipsius, cúm, vt alias res, ita quoq; vinum naturale corpus appellemus. At vinum illud, quod appellatur mulsum, sola crasi definitur, quę sit accidens, non autem substantiam totius compositi: quoniam totius est compositio hæc seu mixtio, & nihil aliud quàm crasis quædam substantiam seu essentiam nullã constituens, cùm sit artificis effectus quidam. His perspicuum est, non si quid animari desinat, ipsum ob id ὀσίαν naturalem non esse aut amittere formam ὀσιώδη, quę sit causa efficiens crasεως, & non ipsa crasis. Nonnunquam in vna substantia nonnullę species naturalium rerum miscentur, tametsi in omnibus mixtis insint quatuor elementa, vt verbi gratia lac substantia est, cui

δυνά-

δυνάμει insunt tres illæ species οὐσίᾳ differentes inter se, nempe butyrum, caseus & serum ipsius. Vna autem specie essentiæ lactis continentur hæc tria, vt ὁμόφυλα, calore autem lactis extincto vnà cum specie ipsius, tum in actum se proferunt hæc tria, & fiunt ἀλλόφυλα, quæ nõ tantùm κράσει, sed etiam οὐσίᾳ inter se differunt, cùm sint effectus naturales. Veruntamen quædam sic miscentur, vt separari tamen non possint, vt verbi gratia sapores in rosa mixti, amarus, dulcis, astringens sic miscentur, vt separabiles non esse videantur, chemica arte destillatoria: quamuis infusione amarus sapor à reliquis separetur, qua separatione videmus purgans medicamentum ex rosis effici, nempe syrupus rosaceus aluum ciens. Et sanguis mixtus est ex quatuor humoribus, qui tamen vtrum separari omnino possint, ambigo. Quod autem inutiles & redundantes, qui nimirum habeant rationem περιττωμάτων separari possint à sanguine, dubium non est, alioqui quatuor humores simul nasci cum sanguine constat inter omnes, vt nullus sit in corpore sanguis idoneus ad nutriendum, nisi ex his humoribus mixtis sit constitutus,

cùm tamen nihilominus lactis partes vsum quendam habeant, si inter sese separentur, quod, vt dixi, in sanguine non euenit, vt ob hanc causam minus etiã separabiles mihi videãtur esse. Aliæ sunt quæ miscentur per accidens, vt metalla, q̃ chemica arte separantur. Per accidens autem misceri dico, quia apta nata sunt, vt sapores, & sua propria materia & forma generantur. Lactis aũt species aut sanguinis nõ separatim, sed simul omnes species substãtię mixtiles generantur. Quamobrem horum, vt naturalium corporum species, vna est, substantiam earundem continens, qđ tamen in mixtis metallis nõ euenit. pręterea quędam non miscentur, sed componuntur: vt in malo granato cortex, succus & grana, mixta non sunt, sed composita sunt. In stirpibus etiam varia compositio est, vt frondium, foliorum, fructuum, seminum, quæ non necesse est vt semper eandem speciem habeant substantiæ, quemadmodum alias mixta corpora habent vnã substantiæ formam. In separandis autem mixtis naturis admodum ingeniosa est ars chemica, vt digna sit admiratione, & minimè contẽnenda & negligenda à medicis. Nam purissi-

ma

ma quæq; ſeparãtur à ſuis tanquam excrementis & quiſquilijs quodammodo, ſeu in puris partibus quib. commiſcentur, vt hoc nomine in vſu medico ſint efficaciſſima. Exemplis rem declarare non opus eſt. His autem ſecretionibus, ſubſtantiæ naturales neque generantur tanquam ſi prius non fuerint, neque vt prius exiſtentes, ſeparatione hac corrumpuntur. Quicquid porro naturali forma ſeu ſubſtantia pręditum eſt, id omne ſecundum eam formam vel agit vel efficit quidpiam, vel patitur, vt id quod neque agit, neque patitur, huius cauſa nulla ſit naturalis, & pro re naturali non ſit habendum, quamuis ſpeciem habeat rei naturalis: vt rhabarbarum ſi facultates nullas habeat, quibus alioqui præditum eſt à natura, pro rhabarbaro non eſt habendum, quamuis colorem & ſpeciem quandam adumbret rhabarbari, vt videatur eſſe. Idem ſentiendum de reliquis medicamentis, ſi priuentur ſuis facultatibus, quæ Ariſtoteles tanquam euanida & nullius efficaciæ in quarto libro Meteorων ἐξίτηλα appellat. Ac ratione etiam putreſcentiæ omnia euanida ſeu ἐξίτηλα poſſunt dici, vt euanidum vinum ſeu

vapa, quod nullam vim habent, nullumq; ſaporem, hoc modo euanidum dicitur ſeu fugiens, cùm tamen acetum non ſit dicendum ἐξίτηλον, quod corruptione alia quadam vini prouenit, ſed non perfecta corruptione, qualis eſt putreſcentium, vt ſi ex viua fiat mortua caro. Quo fit vt Gale. etiam acetum per metaphoram mortuum vinũ appellet. Quare non rectè ſentit idẽ Galenus, ſi ſcribat acetum fieri, ſi putreſcat vinũ eo modo, quo vapam fieri dicimus: nam aceto vim & facultatem quandam ineſſe, medicis atque etiam vulgo notum eſt. In partibus autem animalis organicis differentia hæc inprimis eſt explorata & nota, vt dubitationem nullam habeant. Non enim vt rhabarbarum ſpecie ſua nonnunq̃ imperitos decipit, vt videatur eſſe, quod tamen non ſit: ita quoque oculus à corpore euulſus, aut brachium amputatum haudquaquam pro oculo aut brachio habetur, non plus, quàm ſi pictus aut ſculptus oculus erutus dicatur eſſe. In his enim manifeſta eſt vocabuli ὁμωνυμία: nam quod neque agere neque pati poteſt, quod oculus agit & patitur, idipſum nemo habet pro oculo, quoniam actionibus & paſſionibus pro-

proprijs, earundemq́; potentijs vulgò homines dijudicant res naturales. Quamobrem pro nihilo habetur & pro ſimpliciter corrupto ſic ſeſe habens oculus, quando ſeparatus fuerit ab animato corpore, vt organicum membrum mortuũ perinde ſit, atq; ſimilaris ſubſtantia: putreſcens ſiquidem putredo nihil aliud ſit, niſi varrago & concrementum quoddam quatuor elementorum ſine forma ſubſtantiali mixtorum. Ita quoq; oculus ſeu brachium mortuum eſſentiam ſuam amiſit, vt quatenus organicę ſunt partes nihil aliud eſſe dicantur, quàm quòd ſunt .i. corrupta quædam ſimpliciter ſubſtantia: quemadmodũ corruptæ dicuntur ſubſtantiæ ſimilares, quæ diſſoluuntur putredine in quatuor elemẽta. Partes autem organicę differunt à ſimilaribus hoc modo, vt organicæ partes non tantùm nomen ſuũ & appellationem, ſed etiam ſubſtantiam & naturam & eſſentiã à ſubſtantia totius habeant. Caro autem quamuis ſeparata à toto, nihilominus naturam quandam retinet & φύσιν ſuã, qua pati aliquid poteſt κατὰ φύσιν, & non tanquam organica pars. Nam caro mortua actionem & paſſionem non habet, quam

obtinet, quoad eſt pars organici membri, & quoad appellationẽ habet muſculi. Oculus autem & brachiũ vitæ expers vt organicum eſſe amittant, ita quoque priuantur omni actione & paſſione organica, vt pro nihilo ſint habenda, vt alias putrida pro nihilo habentur. Ariſtoteles porro in primo politic. libro partes quaſdam ſcribit à toto habere ſuam non modò appellationẽ, ſed etiã eſſentiã, à quo toto ſi fuerint ſeparatæ & auulſæ, vt nomen & eſſentiam priſtinam amittant. Quod ipſum quomodo ſit accipiendum modo viui corporis organici exemplo declarauimus. Ex quo perſpicitur organicas partes à toto ſuo inſeparabiles eſſe. Inſeparabilis etiam eſt forma naturalis à materia ſua vernacula, quam ſuprà appellauimus ἐσχάτην ὕλην. Ariſtoteles in 12. Metaph. vnam duntaxat formam phyſicam excipit, quæ ſeparabilis ſit, nempe animam humanam, quam immortalẽ eſſe conſtat, poſtquam exceſſerit è corpore, & vt forma ita quoq; materia vltima ſeu vernacula inſeparabilis eſt à forma ſua. Simili quoq; modo potentias ſeu facultates proprias inſeparabiles eſſe dicimus, ac ſimul eſſe & ſimul interire cum ſuis ſubie-

ctis.

ctis. Quanquam hæc inſeparabilia ſunt, nihilominus in rebus naturalibus plurimę ὠσίαι, quibus vna quædam ſubſtantia eſt compoſita (ſiue compoſitis ſine mixtione, ſiue cũ mixtione aliquid vnum cõſtituentibus partib.) diuiduæ partibus exiſtunt: vt lac diuiduum eſt in partes lactis ſubſtãtiales: & rhabarbarum diuiduum eſt in ſubſtantiam ſui ſucci, & ſubſtantiam terreſtrem, quæ aſtringentem & non purgantem habet facultatem. Innumera ſunt exempla quibus liquet, ſubſtantias totas expertes animæ diſtrahi in partes & ſubſtantias, quæ nihilominus ſuam eſſentiam habeant, quamuis ſeparatæ ſint à toto, vt non quemadmodum animatæ partes organicæ, quando ſecretæ fuerint, eſſentiam priorem amittant. Et hæc omnia machinata eſt natura conſulens generi humano ad ſuſtentationem vitæ, quoad videlicet pleraq; ſunt, quæ aut victus rationem habent, aut medicamenti, quo ſanitas vel conſeruatur, vel amiſſa reſtituitur. Proinde cum potentia ſeu facultas propria inſeparabilis ſit καὶ ἀχώριστος à ſubiecto, cui ineſt, quæritur in præſentia, an ſemper, ſi res naturalis compatiente ſuo proprio ſit

coniuncta, vim habeat ad agendum aliquid, vt ventriculus an ingeſtum cibum ſemper concoquat, atque etiam an ſemper poſſit concoquere, cùm interdum nõ tantùm actione, ſed etiam potentia actionis (vt ſi morbo affectus ſit) priuetur. Suprà oſtendimus formam ſubſtantiæ cãm eſſe, vt in ſubſtantia, tanquam in ſubiecto inſit potentia ſeu facultas agendi quidpiam. Quod autem producitur ab his, nempe à cauſa & ſubiecto (potentia videlicet eſſentialis) nõ ſemper ineſt ſubiecto, & ſine qua potentia ſubſtantiali nullam habet vim ad efficiendum quidpiam ſeu ad agendum. Et hoc ipſum ſine quo potentia ſubſtantialis non habet vim & efficaciam aliquam, pro accidẽte numeramus ſubiecti, quoad accidens phyſici appellant potentiam naturalem, quæ poteſt permutari cum impotentia naturali: vt verbi gratia ventriculus potentia ſubſtantiæ ſuæ creatus eſt ad concoquendos cibos, quam tamen efficaciam non habet concoctionis ſine accidente ſanitatis, quo tanquam cauſa inſtrumentali conficit & alterat cibum intra ſe contentum. Hæc potentia ſi permutetur cùm impotentia naturali, tum ſubſtantiæ poten-

tiam

tiam essentialem ventriculi non est necesse aboleri, sed duntaxat impediri, cuius impedimenti multæ causæ esse possunt, quæ notæ sunt medicis. Et hoc modo & potentiam impediri & ἐνέργειαν quoq; ipsius seu actionem impeditam esse dicimus, integra & incolumi existente potẽtia substantiali. Haud longè secus potentiam in homine quoq; dicimus esse, qua sit γελαστικὸς aut capax disciplinæ, non qđ semper possit ridere, aut quod possit informari doctrina aliqua. Quidam enim in historijs leguntur nunquam per omnem vitam risisse. Nonnulli tam stupido sunt & obtuso ingenio nati, vt vix pro hominibus habeantur, nedum vt doctrina aliqua informentur. Quòd si hæc propria sunt πάθη hominis, qui fit, vt potentia in his permutari actu non possit? Respondemus, in rebus naturalibus id secundum naturam inesse dici, quod in plerisque talibus insit & plerunq;, non quod semper aut ex necessitate aut omnibus. Etenim substantiales potentiæ non possunt sine potentijs naturalibus sese proferre ad actum. Potentiæ autem naturales rebus insunt propter materiam, cum qua forma naturalis ex necessi-

tate eſt concreta. Quare fit interdum, vt homo vix præditus mẽte videatur eſſe, nedum facultate intellectus, qua ſit capax diſciplinæ, quando ſcilicet ſic temperatum fuerit ipſius cerebrum, vt facultas hæc naturalis ab anima producta, ſit prorſus impotens & impedita propter diſcraſian potentiarum eſſentialium ſubſtãtiæ, qua homo capax diſciplinæ dicitur eſſe, id eſt, ſubiectum ſcientiæ & diſciplinarum. Simili modo dicimus vterum priuatum eſſe potentia naturali propter ſterilitatem, non quod potentia eius ſubſtantialis ſeu eſſentialis ſit perempta. Nõ enim propter morbum aut propter impotentiam naturalem peremptum aliquid dicitur ſimpliciter eſſe aut ſubſtantialiter, quemadmodũ nec ſimpliciter propter ſanitatem. Vtraque facultas, nempe ſanitas & potentia naturalis, λόγος appellatur accidentalis. Nam & craſi vteri, quæ nimirum eſt qualitas quædã ſub genere potentiæ naturalis, Hippocrates in aphoriſmis ſterilitatem prouenire dicit, ſi vterus τῷ λόγῳ κράσεως fuerit priuatus. Quo voluit intelligi craſin & qualitatem, non autem ſubſtantiam vteri, ſeu potentiã eſſentialem, qua vterum ſimpliciter eſſe dicimus.

cimus. Quod in animatis corporibus accidit, idipſum quoq; in ſtirpibus euenire ſolet. Etenim quaſdam arbores frugiferas, & alias infrugiferas eſſe conſtat, eiuſdem ſpeciei exiſtentes, vt palma, quæ in quibuſdam regionib. frugifera eſt, & in alijs fructum non producit. Quin etiam in eadem regione quædã fructus edunt, & nonnullæ omnino ſteriles ſunt. Horum differentiæ nulla alia eſt cauſa, quàm impotentia naturalis. Nec non eadem numero arbor vno anno fæcunda, & altero anno ſæpenumero ſterilis exiſtit. Propter fœcũditatem enim potentiam naturalem habere dicuntur, cùm nihilominus in eiuſdem ſpeciei ſtirpibus inſit potentia eſſentialis vna eademq;, quæ non perimitur, niſi ſubſtantia ſtirpis perempta & abolita ſit. Quin etiam videmus in herbis nonnullis eandem eſſe differentiam, vt in quibuſdam regionibus quoſdam ſapores habeant & vires medicas, quas tamen in alijs regionibus nõ habeant propter differentiam terrarũ & cœli, qua differant eiuſdem ſpeciei exiſtentes potentiæ ſcilicet, & impotentiæ naturales: vt in Gallia quoddam abſinthium naſci dicitur expers amaritudinis, vt autor D. An-

dernacus eſt. In Cyrenenſi autem regione traditur naſci Arum, quod inſtar rapi eſui ſit, cùm tamen in alijs regionibus propter acrimoniam ne guſtabile quidem exiſtat. Et in Perſia, arbor Perſea venenatum fructum producit, quæ ſi in alia regione proferat fructum eum ſalutarem & innoxium eſſe conſtat. Quibus liquet potentias has & impotentias non ſubſtantiales eſſe, ſed accidere ſtirpibus propter cœli & terrarũ differentiam. Ea verò qualitas in ſtirpibus pro potentia naturali haberi debet, quæ plerunq; ipſis ineſt & in plerisq;. Sic enim Ariſtoteles definit in phyſicis naturalẽ habitum ſeu potentiam rerum, vt homines pleriq; & plerunq; capaces diſciplinæ exiſtant, propter craſin & qualitatem, quę potentia naturalis dicitur. Idcirco eã ſecundum naturam homini ineſſe dicimus, & quia fœcunditas plerunq; ineſt vtero muliebri, ob id craſi iſta definimus potentiam naturalem vteri. Et Arum quia plerunque & in plerisque locis acrimoniam habet, ob id qualitate hac, naturalem ipſius potentiã definimus. Idem iudicandum eſt de reliquis His quæ diximus manifeſtum eſt, potentiam & ſubſtantiam ſine potentia accidentiden-

cidentali.i.naturali,nullam vim habere ad agendum ſeu efficiendum aliquid. Et potentiam naturalem eſſe acquiſitum quiddam,quod non ex neceſſitate inſit ſubſtantiæ naturali, qua dicatur quidpiam efficax eſſe. Ex quo concludendum,ſi quid efficacia ſit præditum vt agat aliquid,idipſum etiam eſſentiali potentia præditum eſſe,non autem ſi quid non ſit efficax agendo,ob id priuatum erit aut expers potẽtiæ eſſentialis cum potentia naturalis (ſine qua efficientiam nullam habet potentia eſſentialis) accidens ſit. Sed quod plerunq; & in plerisq; ineſt,& ob id permutabilem cum impotẽtia ipſi oppoſita, exiſtit, quæ & ipſa naturalis dicitur. Vt ſi rhabarbarum aliquo in loco natum non habeat vim purgandi, aut Arum in Cyrenenſi agro proueniens non habeat facultatem incidendi craſſos humores.Ex quo perſpicitur quod facultas eſſentialis diuerſum quiddam ſit ab actu & ἐνεργείᾳ, vt ſi quid non agat, aut potentia naturali non ſit præditum, vt id hac ratione non poſſit agere, vt ob id potentiæ quoque eſſentialis expers eſſe dicamus. Reprehendit Ariſtoteles lib.θ.μεταφυ.Megaricos philoſophos, qui non niſi per & propter

actum

actum potentiam in rebus existere dicebant,.i. tum potentiã esse in rebus, quando actus seu actio inesset: vt tum demum ædificatorem potentia aliquem esse dicebant, si actu ædificaret, & tum demum vẽtriculum in se habere potentiam concoquendi cibum, si actu quoq; conficeret cibum. Aut rhabarbarum, si purgandi vim haberet, tum demum facultatem illam habere putabant, vt si actu purgaret nec posse dici aliquid Potens, vt non efficiat quidpiam si non actu efficeret aut moueret. Hunc errorem Aristoteles refellit in lib. θ. Metaph. quibus commemorandis in præsentia supersedebo. Etenim vulgo etiam notissimum est potentiã rebus inesse, tametsi suos actus non exerceant. Nemo enim ignorat architectum nihilominus esse architectum, qui habeat in se potentiam ædificandi, etiamsi non ædificet. Item musicum nihilominus esse musicum, quamuis canendi actu non exerceat artem. Et musicum dormientem constat esse musicum, tametsi fieri non possit, vt dormiens canat. Potentias porro substantiales liquet quasdam progredi in actum nulla informatione habitus acquisiti, vt potentia est ridendi.

Aliæ

Aliæ verò potentię non ſunt habiles & idoneę vt actus ſuos exerceant, niſi informentur habitu quodam, vt potentia eſt, qua dicitur aliquis eſſe muſicus. In talibus diſtinguuntur potentiæ his modis, vt prima ſit potentia eſſentialis, ſecunda naturalis facultas, tertia habitus artis acquiſitus, quibus muſicus artificiosè poſſit canere dicitur. Prima autem potentia reliquis duabus remotior eſt ab actione, quæ actio præſens eſſe nequit, niſi præſtò ſint omnes potentiæ, nulloq; impedimento interueniente, agēs ipſum tangendo patiens ritè & ſecundum naturam, ſi diſpoſitū fuerit, ipſum afficiat. Sic .n. ſeſe mutuo tangentibus neceſſe eſt actionē & paſſionē oboriri. Talis neceſſitas locum nō habet in potentijs ratione participantibus, vt in potentia intellectus, & in potentia voluntatis, quæ diſcrepant à potentijs naturalibus ſeu phyſicis, de quibus Ariſtoteles conſulendus in lib. θ. metaph. Etenim potentiæ logicæ actione ſua ſeſe proferunt ad oppoſita, ſed potentię ἄλογοι ſeu naturales contraria nō poſſunt efficere per ſe, ſed vnum duntaxat vnius eſt efficiens. Vt calidum duntaxat poteſt calefacere per ſe & non refrigerare.

Frigidum autem tantùm refrigerat & non calefacit, & ventriculus tantùm causa est, vt concoquatur cibus, & non etiam causa, vt non coquatur. Nam quod non concoquit interdum in causa ipsius impotentia est naturalis, non autem impotentia essentialis eius priuationis causa existit: sed de his, vt dixi, consulendus est Aristoteles. Reliquum est, vt consideremus POTENS aliquid esse, quomodo aut respectu cuius intelligatur: nam τὸ δυνατὸν duplex esse constat: vnum quod actione definiatur, alterũ quod passione. Vtrum autem τὸ δυνατὸν sit definiendum relatione ad Actionem, an verò ad Passionẽ, an verò τὸ δυνατὸν, nempe quod potest agere, sit referendum ad id quod potest pati, non satis liquet. Quod τὸ δυνατὸν non referatur ad actionem ex eo manifestum est, quia si relatum esset respectu actionis, tum potentia aut potens nihil esset nisi præsente actione, quandoquidem relatum sine suo correlato non potest esse aut intelligi. Quare sequitur, vt sine actione nihil potens seu δυνατὸν esse dicamus. quod etiam absurdum est dictu, idq́; paulo antè ostendimus falsum esse: quando Megaricos philosophos hoc nomine ab Aristotele

ſtotele reprehenſos fuiſſe planum fecimus. Itaque τὸ δυνατὸν ſeu potens agere non ad actionem ſed ad δυνατὸν, quod poſſit pati refertur, vt habeant ambo relationem neceſſariam, qua vnum ſi ſit, neceſſe ſit alterũ quoq; eſſe. Vt enim actu agens ex neceſſitate ſubinfert actu patiens, ſic potentia agens ſeu τὸ δυνατὸν, ex neceſſitate ſubinfert τὸ δυνατὸν patiens. Sed non quodlibet patiens, verum duntaxat ſuum proprium & peculiare patiens ſubiectũ, vt ignis quoad poteſt cõburere .i. quoad καυστικὸν quiddam eſt, ſubinfert combuſtibile ex neceſſitate, non autem quatenus liquabile infert: tametſi liquabile etiam potẽtia paſſiua intelligatur quidpiam eſſe, qua ratione tamẽ non refertur ad ignem vt ad καυστικόν. Nã ſi ignis vt potens comburere referretur ad τηκτὸν, tũ impoſſibile ſequeretur, vt vnum relatum ad duo referatur correlata, nempe per ſe, cùm duntaxat vnum ad vnum referatur: cum vnum vni duntaxat ſit oppoſitum. Proinde τὸ δυνατὸν ſic definit Ariſtoteles, vt ſit, quo poſito nihil impoſſibile ſequatur. Quo manifeſtum eſt τὸ δυνατὸν, vnũ duntaxat reſpectu vnius referri oportere, quandoquidẽ ſint relatione quadam

neceſſaria inter ſe connexa, vt vnum ſine altero eſſe nequeat. Poſtremò illud eſt, de quo monendos puto ſtudioſos lectores: In natura nullam eſſe potentiam eſſentialem, ſiue ſit manifeſta, ſiue ſit occulta, ſine potentia naturali, aut impotentia, quæ prouenit in rebus naturalibus propter mixtionem quatuor elementorum, qua mixtione generantur etiam & corrumpuntur, vt inſtrumentali cauſa potentiæ naturales. Corpus autem cœleſte potentijs eſt præditum, vim agendi & mouendi habentibus reſpectu inferiorum & caducorum corporum, & interim in ipſis facultas naturalis nulla inſit, quòd videlicet ſimplicia ſint corpora, & qualitatum ſenſilium primarumq́; & materiæ expertia, ſine quibus inferiora corpora, actiones & paſſiones, item generationes & corruptiones nullas obtinent. Ex quo concludendum, corpora cœleſtia duntaxat eſſentiali potentia, quæ ſit occulta & abſtruſa, in his inferioribus mouendis & generandis alterandisq́; efficacia exiſtere. Et huius potentiæ principia tria conſtituit Ariſtoteles, nempe φύσιν cœleſtem, quæ nō ſit in materia aliqua aut corpore materiato, ſed in corpore experte

mate-

materiæ. Alterum principium eſt anima. Nam propter φύσιν ſuam mobile eſt totũ, ſed ſecundum partes ſuas tantùm: ſed propter animam in ſe habet motricem cauſam. Tertium principium eſt mentis ſeu intellectus ὀυσία, quæ eſt extra corpus (ſiquidem mens nullum corpus informare poteſt, cùm ſit ὀυσία ἐνέργεια) & ſeparatum quiddam eſt à corporea eſſentia, quæ mouet cœlos practico motu, & ſempiternitatem & immutabilitatem (autoribus Ariſtotele & Platone) conciliat cœlo. Hactenus de differentijs potentiarum in rebus naturalibus dictum ſatis ſuperq; exiſtimo, vt planè perſpicuum ſit nullam potentiam eſſentialem ſeu propriam rei naturalis eſſe craſin quandam, quam oſtendimus cauſam eſſe potius potentiæ naturalis, quam potentiæ eſſentialis. Siquidem forma ſubſtantialis cauſa ſit (vt demonſtratum eſt) potentiæ eſſentialis. Nunc deinceps quæ contrà opponi poſſunt, vera ne ſint an falſa conſiderabimus.

SECVNDVS LIBER.

De abstrusis seu occultis facultatibus rerum naturalium.

CAPVT I.

IN rebus naturalibus, in quibus insunt potentiæ seu facultates ad agendum & patiendum habiles, formam essentialem distinguimus à materia. Compositum autem ex vtrisq; (totum nempe) rem naturalem diuersum quiddã esse dicimus, & ab omnibus his discrepantem etiã potentiam essentialem, quæ compositæ substantiæ inest, & cuius causa sit forma substantialis. Quatuor hæc inseparabilia seu ἀχώριστα esse constat, vt si vnum sit reliquũ, etiam ex necessitate esse oporteat. At verò habitus non necessariò inesse liquet, quinetiam potentias naturales accidentia esse, & permutabiles esse cum impotentia naturali, satis superq; demõstratum, nec longiorem probationem desiderat. Qui potentias essentiales crasibus adscribunt, seu eas proprias esse dicunt κράσεων, negant illi sci-

li ſcilicet proprias cauſas eſſe ſubſtantiarũ naturalium materiam & formam, quandoquidem à formis eſſentiæ rei naturalis dicant eas potentias ſeparabiles eſſe. At nos, quamuis forma eſſentialis non ſit ipſa potentia eſſentialis, quemadmodum nec craſis ipſa, à potentia tamen eſſentiali inſeparabilem eſſe eam ſtatuimus. Ac primò, quando formã ſubſtantiæ negant eſſe potentiam eſſentialẽ, ipſi haud inuiti annuimus: & pro argumento adferunt huius poſtulati, quod videlicet forma ſubſtantialis non recipiat magis & minus, ſed quod potentia eſſentialis .i. propria potentia rei naturalis nõ excludat gradus illos, per ſe, quibus magis aut minus agere aut pati dicuntur. id verò pernegamus. Etenim potentia eſſentialis cùm ſit in eodem prædicamento, nempe ſubſtantiæ, in quo eſt ipſa ſubſtantia, vt forma ipſius, gradus illos nõ admittit, ita quoque potentia gradus illos excludit. Cùm enim forma & ſubſtantia cauſa ſit huius potentiæ eſſentialis, & cauſa eſſentialis reſpuat magis aut minus, ſequitur, vt effectus etiam, id eſt potentia eſſentialis, ſecundum magis aut minus per ſe nõ poſſit diſtingui. Neq; verò opinari aliquis

debet, ſi operationes ſeu actiones eſſentialis potentię differant ſecundum magis aut minus, ob id ipſam quoque potentiam his differentijs participare. Non enim per ſe, ſed propter accidens, nempe potentiæ & impotentiæ naturalis, gradus illi ſeu differentiæ ipſi inſunt. Propter craſes enim magis aut minus tale aliquid agere aut pati dicuntur, quæ craſes propter elementorum mixturam & qualitates earundem magis & minus eſſe dicuntur. Nam quod attinet ad eſſentialem potentiam, (quæ nimirum proprium πάθος eſt ſubſtantię ſubiectæ) nulla eſt omnium in actione & paſſione rerum differentia. Vna enim eſt omnium perfectior potentiarũ ab eſſentia promanantiũ, quoniam ſubſtantialiũ potentiarum ἐνέργεια vniformis eſt, & Ariſt. inquit in 2. lib. Phyſic. ἐὰν μή τι ἐμποδίζῃ. Cæterum propter potentias naturales, quę inſunt ſubſtantijs, cauſa temperamentorũ, quantæ ſint varietates actionum & paſſionum in rebus naturalibus, nemo eſt qui non intelligat, vt cùm vna ſit capacitas diſciplinæ in hominis natura, ipſumq́ue ſit proprium πάθος hominis ab omni imperfectione alienum gradibusq́ue per ſe non ſit di-

ſit diuiduum, nihilominus propter potentiam & impotentiam naturalem innumeris gradibus diſtinguitur, vt quot capita (vt Comicus inquit) tot ſenſus hominum eſſe videntur. Sunt nonnulli capaciſſimi diſciplinarum & ingenioſiſſimi: quorum (vt Satyricus inquit) *de meliore luto finxit præcordia Titan.* Mediocrium ingeniorum, aut eorum qui ſunt præditi mediocri indole innumerabilia ſunt diſcrimina. Nonnulli autem tanta impotentia ſunt præditi, vt vix homines eſſe videantur propter inſignem ſtuporem & dementiam. Huius potentiæ eſſentialis ſubiectum eſt intellectus humanus compoſitus, cauſa verò eſt intellectus ſimplex, qui agens appellatur ab Ariſtotele. Potentiæ naturales & impotentiæ proueniunt à temperamentis cerebri, quibus indoles hominum & ingenia diſtinguuntur. Sed de his præcedẽte libro abundè ſatis dictũ fuit. Quod iſto exemplo intelligi volumus, idipſum ad alias quoq; res naturales transferri debet. vt propter potentiã naturalem q̃dam arbores frugiferæ ſunt, & pp impotentiã eiuſdẽ ſpeciei arbores infœcundæ exiſtunt, nullũq; ꝓferunt fructũ. Sic Arum in Cyrenẽſi

agro acrem ſaporem non habet propter impotentiam naturalem, cùm in cæteris ferè regionibus propter potentiam naturalem acrimonia ſit præditum, in qua maximè ſpectatur vis & natura medicamenti. Perſea arbor propter cœli & ſolis naturam venenatum fructum producit, & idipſum accidens eſt arboris, cùm in plerisq; locis alijs venenati fructus non ſint, quod ei ſecundum naturam ineſt, & propter eſſentialem potentiam. Ex his quæ dicta ſunt facilè colligimus, quodnam diſcrimen ſit inter potentiam eſſentialem & potentiam naturalem, quæ eſt qualitas quædam rerum naturalium, prouenitque à craſeωs differentijs, quæ ſequuntur differentias ſolis & cœli. Quamuis ergo potentia eſſentialis reſpuat magis & minus, & craſis in ſe recipiat magis & minus, ob id non ſequitur, vt forma eſſentialis non ſit cauſa potẽtiæ eſſentialis, aut ob id, vt craſis ſit numeranda pro potentia eſſentiali, vt quibuſdã videtur, qui potentias abſtruſas cenſent definiendas eſſe craſibus ſeu temperamentis rerum naturalium. Quin etiam illud falſum, potentias abſtruſas aboleri nihilominus formis ſubſtantiarum exiſtentibus integris

tegris

tegris & incorruptis. Nam vt ſuprà demõſtrauimus, ſunt & ſimul etiam pereũt ἰδιότητες cum ſuis ſubſtantijs ſubiectis. At potentijs naturalibus exiſtentibus impotentijsq; earundem in ſubiectis, neceſſe etiã eſt ſubſtantias & potentias eſſentiales exiſtere, cum accidentia propria non poſſint eſſe ſine ſubiecto. Aboleri autem poſſunt potentiæ naturales, ſed nullo modo potentiæ eſſentiales, forma nihilominus ſubſtantiali ſeu eſſentiali ſuperſtite exiſtẽte & incorrupta. Peccant autem iſti in hoc argumento quod inter potentiam naturalem & potentiam eſſentialem nullũ diſcrimen eſſe putant. Præterea ponunt illi potentiam eſſentialem ſeu propriam ſeparabilem eſſe à ſubſtantia, cuius pars integralis fuerit, & nihilominus ſeparata ea, priorem ſubſtantiam atque formam eius ſupereſſe, vt non corrumpatur. vt verbi gratia: Purgantem ſuccum aloës ſeparari à ſubſtantia aloẽs, q̃ ſubſtantia ſeparato ſucco illo, non aboleatur, vti mihi videntur illi valde magnis poſtulatis & improbabilibus, vt de Empedocle ſcribit Ariſtoteles, quando tanquam vero vtitur, lumen in pellucido corpore eſſe mobile, quod tamen nulla ratione probare

2. Argumentum.

poſſit,& quo ipſe tanquam poſtulato vero vtatur ad probandum. Dicunt illi ſucco expreſſo ex aloe vim habente purgandi, quod reliquum ſit nihilominus aloes habere ſubſtantiam. Nos verò quòd reſiduum ſit poſt expreſſionem non amplius aloen eſſe dicimus, ſed partem aloes corruptæ ſupereſſe, vt ſeparatis caſeo & butyro, non amplius lac eſſe dicimus, ſed perijſſe & corruptum eſſe ſecretione hac ſubſtantiam lactis, de quo in præcedente libro copiosè diſſeruimus. In ſecretis porro ſubſtantiarum partibus, aliàs vna pars, à qua fit ſecretio, quiddam eſt ἐξίτηλον & euanidum, vt ſi nullam vim habeat amplius ad agendum quippiam, vt nonnullorum medicamentorum reliquiæ ſunt, & quaſi quiſquiliæ expreſſis ſuccis exiſtunt. Aliàs ipſum quoque reſiduum vim quandam habet & facultatem agendi ſeu naturam quandam, vt caſeus ſi ſeparetur à butyro, aut rhabarbari ſubſtantia, quæ remanent expreſſo ſucco purgante ipſius. Nam quod reliquum eſt rhabarbari, aſtringendi vim habet, nec rhabarbarum eſt, ſed pars ſubſtantiæ rhabarbari. Deſtillatione autem vini chemica ſeparatur, quod eſt efficaciſſimum in vino, quod

quod reliquum nullam vim habet, ſedaquę ęquiparatur, & reſpectu vini ἐξίτηλον quiddam eſt. Quo liquet hoc etiam argumento potentiam eſſentialem non eſſe ſeparabilem à ſubſtantia, in qua inerat, ſiquidem proprium πάθος inſeparabile eſt à ſubiecto. At verò q̄ ſeparantur ſubſtantiæ quædam ſunt & partes, quæ toti compoſito ſubſtantiali δυνάμει inſunt, cùm nihil ſit χωριςόν, niſi ſubſtantia, ex quibus multis mixtis inter ſe, conſtituitur interdum vna quædam ſubſtantia, de quibus etiã præcedente libro fuit dictum. In tertio argumento nulla vis eſt probandi, quando videlicet dicunt, ſine forma eſſentiali ſeu forma illa perempta, nihilominus proprietates ſeu facultates iſtas perdurare, nõ corruptis ſcilicet craſibus, qa videlicet herbę & radices vim ſuam medicã non amittant aut efficaciã, q̄uis nõ informentur amplius forma animæ ſuæ qua vegetentur & viuant, quibus ſuccisis & arefactis pereat forma iſta, & ipſæ quaſi mortuæ pereant, in vſum medicum potentijs ſuis ſint efficaces. In hoc etiam argumento poſtulatũ illud negamus verũ eſſe, quo ponit͏̃, Exanimatas ſtirpes forma prorſus ſubſtantiali priuari, Perinde.n.eſt, atq; ſi

3. Argumentum.

quis dicat fructus aut ſemina priuari ſua forma ſubſtantiali, ſi nõ amplius vegetentur aut viuere deſinant, de quo etiam præcedente libro dictũ eſt. Natura enim procreauit herbas & ſtirpes propter vtilitatem hominum, & earundem finis vltimus non eſt vegetatio, vel vt tanquam animata viuant, ſed vt depoſita anima fructuoſa ſint & vtilia generi humano. Quod autẽ non amittant οὐσιώδεις formas, quamuis animari deſierint, ſuprà planum fecimus. Quòd autem iſti dicunt formam ſtirpis animatæ & eam formam quæ ei inſit, cùm animari deſierit, eſſe contrarias, vero nequaquam eſt conſentaneum. Nam forma hæc propter quam potentia eſſentialis ineſt ſtirpi, qua nimirum efficax eſt, vt agere vel pati aliquid poſſit, in animata ſtirpe potentia ineſt reſpectu animæ, quæ potẽtia permutatur actu, ſi ſtirps animari deſierit. Non enim vim habet aliquam qua ſit efficax vel ad nutriendum vel ad medendum, quamdiu fuerit particeps vegetationis ſeu animæ. Tametſi viuum & mortuum contraria nõ eſſe negamus, mortui tamen vocabulo nulla vis aut forma ſubſtãtialis ſignificatur, ſed duntaxat priuatio prioris formę .i.ani-

.i.animæ vegetatricis. Non enim quatenus mortuum quiddam eſt ſtirpem efficacem eſſe dicimus, ſed quatenus forma & natura quadam prædita eſt. Non plus momenti in ſe habet ad probandum propoſitum quartum quoq; argumentum. Conſtat ſanè inter omnes in vno medicamento contineri ſuccos aut ſubſtantias tanquã partes interdum contrarijs viribus præditas, vt nonnunquam vna pars letalis ſit, & altera pars innoxia ſit: & ſalubris item vt vna pars aſtringat, & altera pars purgandi vim habeat. Sic autem contrariarum potentiarum & ſubſtantiarum non poſſe vnã formam ſubſtantialem eſſe concludunt, in quo mea quidem ſentẽtia plurimum à vero aberrant & hallucinantur. An verò neſciunt, in omnibus mixtis ſubſtantijs elementorum contineri contraria corpora? quin etiam manifeſtiſſimũ eſt opificio naturæ contrarias qualitates cum ſubſtantijs contrarijs miſceri, quorum contrariorum nihilominus vnam ſubſtantiam eſſe dicimus, ſeu vnam formam ſubſtantialem. Rhabarbari vna forma ſubſtantialis eſt, & plures tamen in eo ſubſtantiæ ſunt potentijs contrarijs præditæ. Et in vna Braſſica

4. Argumentum.

insunt substantiæ, quarum vires contrarijs actionibns distinguuntur. Et in lacte contraria insunt, cuius tamen vna est substantia essentialis, seu forma substantiam eius constituens. Neq; illa miscentur artificis opera, sed naturæ quodam opificio generantur, quæ natura sine forma substantiali nihil patitur vnum esse, qua vnitate destituuntur quæ artificio mixta sunt aut composita. Illud verò nequaq̃ abhorret à natura, vt forma substantialis & vna existens, sit causa multorum. Formæ enim substantiales cùm sint principium, proprium etiam habent principij. At verò proprium πάθος principij est, vt vnum existens causa sit multorum, quod exemplo stirpium notissimum est. Vno enim principio stirpis, nempe anima, quam multæ partes & variæ generantur & conseruantur, & radices, frondes, folia, flores, fructus, semina, quæ omnia substantias & naturas suas accipiunt ab vnica anima, qua stirps viuere dicitur, quæ partes nonnunquam dissimiles in sese habent potentias & facultates. Quo manifestum est, contrarijs partibus medicamentorum aut non eandem vim habentibus non probari negationem for-

Aristoteles in quodam libro de part. Animal.

mæ

mæ ſubſtantialis, quod hoc argumentum præ ſe ferre videtur. Quod autem porro etiam ſcribunt nonnulli, aloen non admittere ſuam ſubſtantiam, ſi priuetur facultate purgandi, inconſentaneum eſt, ſiquidem οὐσιώδης facultas eſt aloes vt purget, quæ facultas in aloe mixta ſit, cum alia quadam ſubſtantia habente facultatem aſtringentem. Aloes enim forma ſubſtantialis conſtituit & continet vtramque ſubſtantiam: vt lactis forma cõtinet in ſe ſubſtantiam caſei & butyri, nec non etiam ſeroſi humoris. & vt lactis ſubſtantia deſtruitur ſeparatis partibus ipſius, ita quoq; aloes ſubſtantia corrumpitur, ſi partes ipſius ſeparatæ fuerint, partium aũt ſubſtantia non deſtruitur, niſi ſeparatione hac pars quædã fiat (vt ſuprà diximus) ἐξίτηλος. Quin etiam illud vero non eſt conſentaneum poſtulatum, quo affirmant contrito in minutum puluerem medicamento formam ipſius ſubſtantialem perire, & nihilominus facultatem & potentiam medicamenti non aboleri. Item ꝙ dicunt medicamẽta niſi corrumpantur à calore noſtro, ipſius ſubſtãtia non habere vim ad alterandũ corpꝰ noſtrũ, quo putant ſe ꝓbare formã ſubſtantialem

5. Argumentum.

perire & nihilominus manere crasin medicamenti, siue in puluerem redigatur, siue à calore nostro alteratus postea vim suam in corpore nostro exerceat. Neutro horũ argumentorum corruptio probatur substantiæ medicamenti. Etenim in minutissimas partes diuiso, non corrumpit ex necessitate substantiam rei, sic comminutam in puluerem cùm sit accidens συνεχείας .i. accidens accidentis, vt continuum in minutissima corpora diuidatur. Etenim Aristoteles συγκρίσει & διακρίσει hac, negat in priore libro de ortu & interitu disputans contra atomos Democriti, vel constitui vel aboleri substantias. Et in primo lib. physic. refellens Anaxagoram, idipsum probat, quod videlicet concretio & diuisio sint accidentia οὐσίας, refellendo Anaxagoram, qui atomos rerum naturalium principia esse dixit. quæ tamen atomi speciem haberent naturaliũ substantiarum. Sed quid verbis opus est, vt pluribus probem διακρίσει partium quãtitatis non aboleri formas substãtiales, quamuis in minutissimas partes mixtionibus corpora naturalia diuidãtur & quasi comminuantur. Sic enim mixtis elementis, compositas res naturales ex mini-

minimis dicimus .i. minutiſſimè diuiſis elementis cõſtitutas eſſe & ſubſtantias mixtas, qua mixtione & compoſitione Hippocrates dixit tota elementa in totis alijs ineſſe & miſceri. Et præterea etiam Plato inquit in Timæo: Minutiſſimas elementorũ portiones & compages mixtione hac, tanquam cuneolis quibuſdam conſtipari, & vnam quandam ſubſtantiam ex innumerabilibus quaſi atomis confici, vt hac compoſitione ſubſtantia tamen elementorum in mixto non aboleatur. Quare aboleri ſubſtantiam non ſequitur, ſi quis in puluerem trita medicamenta & contuſa in puluerem concedat efficacia eſſe in corpore noſtro. Neq; etiam eorundem vim & ſubſtantiam aboleri, ſi concedat noſtro calore vim acquirere agendi & alterandi, cùm calor noſter non ſtatim & ſubitò corrumpat ſubſtantiam & facultatẽ medicamenti. ſed de his ſatis dictum in præſentia. Iidẽ porro qui defendunt craſibus definiendas eſſe potentias illas occultas ſeu abſtruſas, reprehendunt eos, qui formarum ſubſtantialium facultates illas occultas pro inſtrumento quodammodo habeant ſuæ efficaciæ ſeu actionis, quam exercent reſpectu

patientium corporum, & formas illas tum demum inefficaces esse, si destituantur instrumento abstrusæ & reconditæ facultatis. At quod instrumentalis causa non sint formæ essentialis ipsius vires tales occultæ, postea declarabimus. Probant deinde exemplo instrumentorum, quibus animal motum in loco exercet, vt cum dicimus animal instrumento pedem moueri. Perinde enim dicunt atq; si nulla alia habenda essent pro instrumentalib. partibus nisi ea, quibus loco mouentur animalia, cùm tamen Aristoteles etiam temperamenta & craseis organicas potentias appellet seu instrumentales, quibus actiones aut passiones suas exerceant res naturales, vt in libro altero de ortu & interitu, quando reprehendit veteres philosophos, quod omissis principalibus causis duntaxat in ore habeant semper organicas causas rerum naturalium. An verò ventriculus aut epar non sunt instrumenta vegetatricis animæ? Nonne etiam crases instrumentales sunt causæ substantiarum & potentiarum essentialium, quibus crasibus tanquam instrumentis seu instrumentalibus causis exercent operationes suas. Sic enim princi-

cipa-

cipales causas distinguimus ab instrumentalibus causis, quas Aristoteles libro altero de ortu & interitu organicas appellat. Plato autem in phædone causas sine quibus non, nominat. Cui enim dubium est, quin ventriculi substantia seu proprietas essentialis, nempe facultas seu potentia ipsius essentiæ insita, principalis causa concoctionis sit ciborum. Potentia autem ipsius naturalis .i. crasis seu temperamentũ secundum naturam habẽs, quia sit causa instrumentalis seu organica, & sine qua non possit exercere concoctionẽ ciborum. Et huiusmodi ferè differentiam in omnibus facultatibus naturalibus reperies, si eas diligenter consideraueris. Quare nemini dubiũ esse potest, quin essentiales potẽtię sine instrumentalib. talibus nullã vim habeant ad agendũ seu ad operandum. Instrumentales autem appello seu organicas facultates potentias naturales, quæ crasibus quibusdam definiuntur, q̃ crases & instrumẽta sint & generationis substantiæ potentiæq; essentialis, nec non etiã actionis & ἐνέργειαι, cùm sine crasi propria nullam vim habeãt ad operandum facultates essentiales, tametsi crasibus seu temperamẽtis illis nõ exi-

ſtentibus, nihilominus exiſtant ſubſtantiæ earundemq; potentiæ eſſentiales, vt ſuprà fuit declaratum. Proinde potentiam eſſentialem negamus inſtrumentum eſſe actionis vel ſubſtantiæ ipſius, vel formæ conſtituentis ſubſtantiam, quod videlicet inſtrumentalis cauſa .i. temperamentum ſeparari poſſit, & nihilominus eſſentialis potẽtia permaneat incolumis & integra, cùm eſſentialis potentia inſeparabilis ſit. Itaq; ſuccus aloës non eſt potentia eſſentialis aloës, quia ſeparabilis eſt, & eo ſeparato aloës ſubſtantia perit, vt ſuprà fuit oſtẽſum: quam tamen incolumem iſti nihilominus permanere & incorruptam ſtatuunt, qui eſſentialem potentiam definiunt craſi ſeu temperamento. Itaq; falſum eſt quod negant aduerſarij formam eſſentialẽ in mixto inhærere, ſi deſtituta ſit potentia naturali .i. inſtrumento ſuæ actionis, vt verbi gratia, ventriculus quamuis deſtitutus ſit temperamento, quo poſſit concoquere, nihilominus forma eſſentialis permanet in ſubſtantia cum potentia eſſentiali. Falſum etiam illud eſt, quod dicunt ſeparato ſucco aloës nihilominus formam aloës incolumem manere. Perinde enim eſt, atq; ſi dicerent

cerent

cerent ſeparatis coagulo atq; butyro nihilominus formam lactis atq; ſubſtantiam integram permanere. Sed de his ſatis ſuperq; dictum in præſentia, vt manifeſtum ſit eos qui potentias illas eſſentiales definiunt temperamentis, multis in probando abſurdis poſtulatis vti. Quod poſtremò adferunt, nihil facit ad probationem, vt demonſtrẽt facultates eſſentiales nihil aliud eſſe quàm craſes quaſdam. Nam quod nõnulli abhorrent felium præſentiam, aut à caſeo aut vino ſeſe abſtinent, id proprium non eſt ſpeciei humanæ, ſed quorundam indiuiduorum πάθος, quod ipſis ineſt, non propter eſſentiam ſubſtantiæ, ſed propter materiæ quandam affectionem, cuiuſmodi multa πάθη vel acquiſita ineſſe poſſunt, vel naſcentibus ſtatim accidunt propter πάθη quædam, quibus nonnunquam afficiuntur prægnantes. Nec mirum eſt propter deprauationẽ materiæ talia πάθη oboriri in hominibus, cùm etiam in ſeminibus propter corruptelas materiæ mutationes eueniant plaſticæ facultatis, vt nonnunquam è ſemine tritici aut hordei naſcitur lolium, aut è tritico interdum hordeum, quarum mutationum mentionem

6. Argumentum.

facit Theophraſtus & alij, qui plantarum hiſtorias deſcripſerunt. Etenim multò mirabilius iſtud eſt quod Hippoc. in fine libri 6. Epidem. commemorat, quandam fœminam in virilẽ ſexum eſſe mutatam, idq́; ipſum in Italia eueniſſe Plinius teſtatur. Ex quo euidens eſt quanta ſit vis potentiarum naturalium, quæ craſibus deſcribuntur, & quibus etiam diſtinguuntur maſculinus & fœmininus ſexus, vt mutatis temperamentis etiam formas eſſentiales mutari contingat, vt in ſeminibus ſuprà recitatis accidit. Eo autem iſta commemorantur, vt proprietates indiuiduorum non eſſentialibus formis, ſed materiebus aliquo modo temperatis aut corruptis adſcribamus. Nam quod nonnulli ſunt abſtemij, id propter craſin ventriculi euenit, & quod citta laborantes grauidæ mulieres appetant, à quibus vulgo homines abhorrent, id referendum eſt ad temperaturæ & craſεως corruptelam, & non ad proprietatem eſſentialem, quæ rebus ineſt propter formam qua ſubſtantia conſtituitur. Materię autem affectionibus ſeu πάθεσι multum inter ſe differre nonnunquã ſpecies .i. ſubſtantias eiuſdem ſpeciei differentiæ vinorum

rum

rum oſtendunt & aliorum fructuum. Sed de his in præſentia ſatis dictum.

ARGVMENTVM IN CAP. 2.

Diſcrimen commemoratur argumentorum opinionis, quæ ſtatuit proprietates occultas à ſubſtantia rerum naturalium promanare, & eam quæ ſtatuit transſcribendas eſſe craſi prouenienti è mixtione elementorum.

HACTENVS quibus confirmetur vtraq; ſententia argumento expoſuimus, nunc deinceps in pauca conferemus, vt quænam ex his verior ſit & magis conſentanea lectoribus appareat. Equidẽ neceſſarijs argumentis & in quibus vis eſt demonſtrationis nos oſtendimus proprietates abſtruſas ſeu occultas ineſſe ſubſtantiæ rerũ naturalium, vt ſeparari ab ijs nequeãt, ꝓpterea ꝙ proprietas ſit inſeparabilis, cũ ſit qualitas quædam & non ſubſtantia, q̃ ſola ſubſtãtia ſeparabilis eſt & quiddã χωριςὸν, autore Ariſt. lib. 1. phyſic. Et licet inſeparabilis ſit, nihilominus tamẽ actionem ſuam ſeu ἐνέργειαν non ſemper exercet, propterea quòd poſſint impediri potẽtiæ hæ eſſentiales ꝑ impotentiam naturalem, q̃ eſt craſis quædã contra naturam, & in genere quali-

eatis reponitur. Nos autem (vt è ſuperioribus liquet) duas in rebus ſtatuimus eſſe potentias, quarum vna ſit & dicatur eſſentialis proprietas, altera verò ſit & dicatur potentia naturalis, quę propria non ſit, ſed accidat rebus & permutabilis ſit impotentia oppoſita. Exemplis hæc omnia ſunt declarata nec non etiam rationibus & demonſtrationibus, quorum repetitione in præſentia non opus eſſe arbitror. Deinde diſtinguimus etiam nos cauſas potentiarum, & quaſdam principales dicimus eſſe, nonnullas autem organicas & cauſas ſine quibus non. Principales appellamus cauſas, vt formam ſubſtantialem, quæ eſt formalis cauſa propriarum potentiarum, & ſubſtantiam ipſam compoſitam ex materia & forma, cauſam appellamus, quæ tanquam ſubiectum & materia ſubijciatur potentiæ eſſentiali ſeu propriæ. Cauſam inſtrumentalem dicimus illam eſſe, gratia cuius generentur ſubſtantię & proprietates earundem, & ſine quibus neq; ſubſtantiæ neque proprietates earum vindicari ab interitu queant. Hæ verò cauſæ ſunt mixturæ elementorum & earundem mixtionum vernaculæ quædam craſes, quarum efficiens

cauſa

cauſa ſit, aliàs cœlum ipſum, vt in corporibus anima deſtitutis, aliàs verò vt in corporibus animatis cauſa ſit plaſtica facultas in ſeminibus, & in viuentibus etiam cauſa ſit ipſa anima. vt anima rhabarbari cauſa eſt craſεως propriæ & vernaculæ, ſine qua rhabarbarũ vires ſuas & facultates habere nequit. Poſtremò craſes quaſdam naturales ſeu ſubſtantiales eſſe dicimus, nonnullas autẽ artificioſas. Naturales porro craſes cùm ſecundum naturam inſint, cauſam earum eſſe dicimus ſubſtantiam, nempe naturam, quæ aut forma eſt ſubſtantialis aut materia ipſius propria & vernacula. Artificioſarum autem craſεων, quarum principium eſt externum, ſubſtantiali quadam forma contineri negamus, cum ſola natura ſubſtãtias & formas eſſentiales producere poſſit. Quæ porro ſunt in rebus naturalibus, quædam dicimus eſſe inſeparabilia, vt proprietates ſeu proprias potentias rerum naturaliũ. Alia verò inſunt, vt mixtilia in mixto & inſeparabilia ſeu ἀχώριστα non ſunt, vt in mixtis elemẽta dicimus ineſſe, & in quibuſdam naturalibus ſubſtantijs dicimus commiſceri, & δυνάμει ineſſe ſubſtantias quaſdam naturales, in quas vt

mixtum quiddam immixtilia ſeparentur, quibus ſeparatis prior eſſentia rei compoſitæ deſinat eſſe. vt lacte diuiſo in partes ſuas lactis ſubſtantia ſeu forma aboletur, & rhabarbari ſucco ſecreto à rhabarbaro, rhabarbarum eſſe deſinit, quamuis vtriq; parti rhabarbari potentia ſua propria inſit inſeparabiliter, & quæ corrumpi nõ poſſit, niſi vis externa perimat aut putredine, quę eſt naturalis corruptio, aboleantur. Non enim rhabarbarum eſt, ſed pars rhabarbari, quod expreſſo ſucco reſiduum eſt & vim aſtringendi obtinet. Nec ſuccus rhabarbarum ipſum eſt, quoniam neutrum ſeparatim efficientem habet cauſam, ſed ambo ſimul mixta effectus ſunt animæ, quæ procreauit & produxit rhabarbarum, quatenus eſt non tam animatum quàm naturale quoddam corpus, vt quod etiam ſine anima vires ſuas & proprietates medicas obtineat, propter naturam .i. forma, quam accipit ab anima, & qua etiam ſine anima ſeipſa ſubſiſtere poteſt. Et hæc quidem noſtra eſt opinio, noſtræque ſententiæ argumenta, quibus nihil vt exiſtimo tanquam falſis poſſit opponi. Altera eſt opinio eorum, qui cenſent potentias illas proprias & oc-

& occultas non ſubſtantiæ rerum, ſed craſi cuidam certæ & definitæ adſcribendas, quorum argumenta non paucis laborant abſurdis, & nõ tantùm ἐφιστικοῖς λόγοις, verum etiam ἀγνοίᾳ τοῦ πράγματος inuolutis & perplexis. Quando enim affirmant potentias illas proprias poſſe aboleri, vt nihilominus ſubſtantia rerum ſeu eſſentia ſit ſalua, ipſi ſibiipſis contradicere videntur. Propria enim cùm ſint qui poterunt incolumi & ſaluo ſubiecto aboleri, quod ipſum alieniſſimum eſt à proprietatibus rerum. Nos equidem propriorum actiones ſalua ſubſtantia impediri poſſe ſtatuimus, nullo modo autem aboleri & corrumpi. Deinde quod potentias illas negant conſubſtantiales eſſe, pro argumento afferunt, quod videlicet propria intendantur & remittantur: ſubſtantiæ autem quod non recipiant magis aut minus. At verò nos negamus propria ſecundũ magis aut minus per ſe differre, ſed ſecundum accidens, nempe ꝓpter craſes materię, q̃ diſtinguuntur gradibus iſtis, vt rhabarbarũ magis & minus dicitur efficax ad purgandum. Cauſam pręcedente libro appoſuimus. Nõ .n. ſunt huiuſmodi facultates proprietates

illæ naturales, quales ſunt ſecretorũ à materia proprietates, quæ prorſus intenſionẽ & remiſſionem reſpuunt. Ex quo concludendum, rationes illas malè fundatas eſſe & ſubnixas falſis hypotheſibus atq; poſtulatis. Quod autem dicũt proprietates iſtas poſſe aboleri ſaluis nihilominus ſubſtantijs & eſſentijs rerum, alieniſſimum eſt à vero. Vtuntur pro argumento aduerſarij exemplo Perſeæ arboris, quæ in quadam regione per ſe venenatos ꝓducat fructus, in alijs non item. Nos autem id naturale aut ſecundum naturam ineſſe dicimus, ꝙ plerunq; vel in plerisq; eueniat. vt ſi in plerisque locis Perſea arbor fructus ſalubres producit, id naturale eſſe dicimus, & arbori huic talem fœcunditatem ſecundũ naturam ineſſe. Sed quòd peſtiferum fructũ profert, id ei accidere externa quadã cauſa, & non proprietate quadam naturali, cuius cauſa eſt forma ſeu eſſentia arboris. Nã eius, quod eſt contra naturam, natura ipſa ſeu ſubſtantia non poteſt eſſe principium. Etenim omnia quæ contra naturam accidunt rebus, non naturalibus, ſed violentis efficiuntur & externis cauſis, cùm natura ſit internum principium & ab eſſentia atq;

pro-

proprietatibus ſubiecti ſit inſeparabilis. Non autem ſi naturæ actiones impediuntur aut motus ipſius, ob id naturam quoq; ipſam aut proprietates ipſius neceſſe eſt aboleri. Siquidem aliud eſt impediri proprietates ſeu actiones proprietatum, & aliud eaſdem perimi vel aboleri. Quo manifeſtum eſt etiam hoc argumentum laborare falſa hypotheſi fallaciq; poſtulato. Quod diximus de Perſea arbore, idipſum referri debet ad alias quoque plantas, quæ vires & efficacias non eaſdem habent in diuerſis terris. Vt Arum in Cyrenenſi agro quali impotentia naturali ſit præditum reſpectu eiuſdem herbę, quæ naſcitur in alijs regionibus ſuprà commemoratum fuit. Debent itaque hi diſputatores diſcriminis meminiſſe, quòd potentia eſſentialis non poſſit permutari ſuo oppoſito, incolumi ſubſtantia, ſed nihilominus potentia naturalis ſuo oppoſito eſt permutabilis, quandoquidem ſit accidens quoddam ſubiecti. Tertium argumentũ eſt falſum, ſcilicet & quod etiam fallaci hypotheſi nititur, nempe ſtirpium vegetatrice anima perempta, ſimul quoq; aboleri omnem formam ſubſtantialem, & in mortua (vt ſic dicã ſtirpe)

ſine forma ſubſtantiali nihil aliud ſupereſſe, quàm craſin propriam ſtirpis ipſius, quę prædita ſit potētijs alterantibus corpus noſtrum. Deinde quòd ſcribunt plantas aridas multas vires amittere, quas habuerant antequam ſiccarentur, id eò referunt quod videlicet non permanente forma eſſentiæ, poſſint nihilominus eius proprietates perimi propter diſcrepātiam craſεων. Qua hypotheſi videntur ſibiipſis contradicere: nā ſi exiccatis plantis & emortuis, perit anima vegetatrix ipſarum, ſequitur, vt forma eſſentiali ſint deſtitutæ, & nihilominus dicunt ſalua eſſentia emortuarum plantarum quaſdam proprias vires ipſarum aboleri & euaneſcere, cùm tamen perempta forma ſubſtantiali, proprietas ipſius nulla poſſit permanere. Sequitur ergo, prout fert illorum ſententia, vt non tantùm craſi, ſed etiam forma ſubſtantiali quadam, quæ non ſit anima ipſa, ſed natura quædā, emortuæ plantæ ſubſiſtere dicantur. Quo argumento ipſi ſeipſos refellūt. Aut ſi propriæ ſunt iſtæ vires quæ euaneſcunt, obſecro, quo pacto propriè dicentur ſuo ſubiecto ineſſe, cùm nullum proprium ſine ſuo ſubiecto eſſe poſſit. Perinde enim eſt atque

ſi quis

ſi quis diceret, proprietatem trianguli perijſſe aut peremptam eſſe, & ipſum triangulum nihilominus ſupereſſe. Quare ne hoc quidem argumento liquet perempta aliqua proprietate nihilominus ipſius ſubiecti eſſentiam non corrumpi, quandoquidem nulla craſis, eſſentia rei poſſit dici ſeu forma eſſentialis, cùm craſis non ſit principium, vt aliàs demonſtrauimus. Quartum argumentum ſimili abſurdo laborat, dum volunt probare potẽtias aboleri poſſe aut ſeparabiles eſſe, vt nihilominus ſubſtantia ipſa & eſſentia integra maneat, eius in qua ſit abolitio ſeu ſeparatio facta. Equidem falſiſſimum eſt illud poſtulatum, Aloen nihilominus eſſe aloen, etiamſi amiſerit facultatem purgatricem: aut ſuccus purgans ab eodem ſecretus fuerit & ſeparatus. Perinde enim eſt atque ſi quis diceret lactis eſſentiam ſeu formam eſſentialem ſeparararari poſſe incolumi permanente ſubſtantia. Nec minus falſum eſt, quando ſcribunt proprias vires medicamentorum nonnullorum tum demum efficaces eſſe, ſi minutiſſimè terantur, aut ſi calore noſtro alterentur. Quaſi verò vel contritione iſta ſubſtantiam ſuam amit-

tant,vel quando alterantur à calore nostro necesse sit protinus aboleri earundem essentiam seu formam. De hoc etiam satis dictum in præcedente libro. Quod si propriæ quædam vires arescentibus & mortuis plantis exhalent & euanescant, quæso te quomodo abolitis proprietatib. nihilominus crasis herbę ipsa manebit,cum abolita proprietate subiectum etiam desinat esse. Quod si vna proprietas aut vis propria euanescere potest,nihilominus permanēte & non abolita crasi herbæ cui dubium sit,quin obsoletis omnibus viribus proprijs nihilominus ipsa crasis herbæ permaneat & perduret.At verò si vna proprietas subiecti perit,necesse est,vt saluo subiecto & incorrupto proprietates omnes reliquæ aboleantur, vt vno proprio hominis perempto, si nihilominus homo sit superstes, sequitur, vt superstite homine, aboleri nihilominus possint omnes ipsius proprietates, quo nihil dictu absurdius. Et hoc consentaneum esse omnes intelligunt,qui analyticæ non sunt ignari. Quinto frustra etiā reprehenduntur illi, qui dicunt substantias exercere actiones proprietate sua essentiali, sed non tanquam instrumento quodam.

dam.

dam. Etenim nos inſtrumentalem & eſſentialem cauſam actionum in potentijs ſubſtantiarum naturalium ſic diſtinguimus, quoad videlicet eſſentialis potentia ſubſtãtialis eſt, & quaſi ὁμοούσιον quiddam eius, in quo aut cuius eſſe dicitur. Sed potentia inſtrumentalis (quam aliàs appellauimus potentiam naturalem) conſubſtantiale quiddam non eſt, ſed ſalua eſſentiali potentia nihil impedit, quo minus inſtrumentalis hæc potentia non inſit, q̃ inſtrumentalis nihil aliud eſt, quàm craſis quædam ſecundum naturam, cuius inſtrumẽto potentiæ eſſentiales ſuas præſtare queant actiones. Ergo ſi non agunt aut ſunt inefficaces herbæ aut ſtirpes, ob id non amiſerunt ex neceſſitate ſuas eſſentiales vires ſeu potentias, ſed poteſt fieri, vt ſaluis his amiſerint potentiam inſtrumentalem ſeu facultatem ſuam naturalem, quæ, vt ſuprà probauimus, permutabilis eſt ſuo contrario. Ex quo eſt manifeſtum, abſurdiſſimũ eſſe quod dicitur res naturales ſeu ſubſtantias nõ indigere inſtrumentalibus cauſis, quaſi verò duntaxat motus in loco animantium requirat inſtrumentales cauſas, vt, pedes ſunt in gradientibus, & alæ in vo-

lantibus,& pinnę in natantibus: quis enim nescit, veteres omnes physicos organicas causas pro principalibus & essentialibus vsurpasse, quod etiam isti faciunt, qui crases pro subiectis & causis principalibus numerant actionū naturalium. Porro non sequitur, vt si magnes actionem suam exerceat, vt corporeo quodam instrumento vim suā exerceat. Nulla enim essentialis est potentia, quæ non sit quadam crasi tanquam instrumentali causa generata, & sine qua possit etiam & substantia & essentialis ipsius potentia subsistere, tametsi pedes & manus non habent, quę sola pro instrumentis numerant aduersarij. Sextum argumentum est, quo disputatores illi formalē causam potentiæ essentialis negant, ac non nisi crasεως cuiusdam propriam esse dicunt. Posse enim fieri putant, vt potentia ista essentialis seu occulta sit in mixto, vt nihilominus forma essentialis non sit in mixto corpore, si mixtum corpus instrumento id est, crasi ad agendum efficaci non destituatur: quo manifestum sit, crasi & non formę substantiali actionem rerum naturalium transscribendam. Sic enim scribūt & sentiunt illi, quòd videlicet forma essen-
tialis

tialis non poſſit eſſe in mixto corpore, qđ instrumento actionis deſtituatur, quo nihil falſius & abſurdius dici poteſt. Quis enim non videt impotentijs naturalibus & morbis impediri actiones potentiarum eſſentialium: quod copioſius exponerẽ, niſi precedente libro abunde ſatis de hac re diſſeruiſſemus. De ſucco aloes & ipſa ſubſtantia totius aloes paulo antè admonuimus, nec concedimus quod quidam ſibi poſtulat concedi, formam eſſentialem aloes in partibus ipſius ineſſe, nempe vel in ſucco in aqua permixto propter dilutionem, vel in parte reſidua, quæ duntaxat aſtringere & non etiam purgare cenſetur. Nam vt lactis ſpecies ſubſtantialis informat omnes partes lactis ſimul mixtas, ita ſpecies aloes informat ſimul omnes partes aloes commixtas inter ſe. Ex his omnibus perſpicitur, quam falſis poſtulatis ad ſuum propoſitum probandum vtantur, vt cum principijs, & etiam rationibus phyſicis ex diametro pugnare videãtur. Etenim craſis naturalis nulla eſt, cuius cauſa non ſit forma eſſentiæ cuiuſque rei, ſiquidem nihil intelligi poteſt aut dici, quod non ſit naturale aut ſecundum naturam, quod principio, id eſt,

naturæ forma destituatur. Omnium enim mixtionum & crasεωn non naturaliũ causa & principium est nõ natura ipsa seu forma essentialis, sed artifex, qui quantum differat à naturali principio, nemo tã plumbeus est in physicis, qui nõ intelligat. Quia verò sine crasi naturali potentia essentialis nullam habet vim ad mouendum vel agẽdum, iccirco qui crasi adscribunt omnem efficaciam occultarum vitium, eodem errore cœcutiunt & hallucinantur quo veteres physici, qui principatum in generando & efficiẽdo quippiam causis organicis adscripserũt, qui tamen ab Aristotele hoc nomine multis in locis reprehenduntur.
Septimi argumenti falsitas facilimè refelli potest, quando sic argumentantur, scilicet formis essentiæ peremptis seu substantiæ nihilominus vires & facultates in residuo & corrupto subiecto permanere. Quamobrem perempta substantia nihil superesse, nisi crasin quandam, quæ non sit forma substantialis. Vtitur in hoc argumento falsa hypothesi falsóque postulato, nempe quòd perempta anima vegetatrice stirpiũ in mortuo corpore nulla remaneat forma essentialis, quam intra se crescendo & vegetan-

getando produxerit anima, tanquam fructum quendam generi humano ad medẽdum corporibus humanis vtilem. De quo præcedente libro cùm multa dixerimus, ne sæpius idem dicatur, nolo repetere. Neque verò forma viuentis & forma cadaueris ſunt contrariæ inter ſe, cum forma animæ produxerit formam illam naturalem, quę actum ſuum non minus obtinet mortua ſtirpe, quã viua ſtirpe obtinebat. Mortuum autem cum viuo opponatur ſimul in eodem non poteſt eſſe, nec forma naturalis illa, quæ efficaciam in ſe habet medicã, priuatione vitæ definitur, ſed eſſentiæ ſuæ habet propriam definitionem, vt hac ratione licet viuum quiddam non ſit, ob id tamen mortuum quiddam (quo ſignificatur mera priuatio) dici nequaquam debeat. Mortuũ enim nihil ſignificat, quàm priuationem animæ & vitæ, quæ nullã vim aut efficaciam habet. Nec eſt, quod dicat quiſpiam abſurdum eſſe, ſi quis plures formas eſſentiales ſeu ſubſtantiales in eodem corpore eſſe ſentiat. Fatemur ſanè abſurdũ eſſe dictu, ſi plures ſubſtãtiæ ſuis & proprijs actibus in eodem dicamus ſubſiſtere. At ſi ſecunda ſubſtantia reſpectu primæ poten-

tiam habere dicatur, qua nimirum ſit informabilis à primæ ſubſtantiæ forma, & tertia quoq; ſit quædam ſubſtantia, quæ & ipſa potentia ſeu δυνάμει ſit prædita, vt poſſit informari vel à forma ſecunda ſubſtantiæ, vel etiam à forma prima ſubſtantiæ, tũ nihil abſurde erit, ſi in vna ſubſtantia plures formas ineſſe dicamus, δυνάμεως gratia, vt verbi gratia, Elementa quatuor inſunt in rhabarbaro, quatenus rhabarbarũ (vt expers animæ corpus) ſua forma eſſentiali informat mixtorum quatuor elementorum ſubſtantiam, propter craſin rhabarbaro conuenientẽ, deinde rhabarbari quoque ſubſtantia & forma potentiæ ratione informabilis eſt ab anima vegetatrice rhabarbari, q̃ ſubſtantiã illam producit & generat tanq̃ fructum quẽdam, qui poſſit etiã eſſe ſine anima, quemadmodũ etiã reliqui fructus, qui producũtur à ſtirpibus, nempe animatis corporibus. Poſtulatur & hoc loco, quod nemo phyſicus conceſſerit, nempe forma animæ abolita, in reſiduo nihil ſupereſſe, niſi ſolam rhabarbari propriam craſin, q̃ ſit nihilominus efficax, ita vt ipſius ſit forma ſubſtãtialis. Sed aduerſarij etiam concedunt, quod tamen ipſi non animad-

uer-

uertunt, mortuas ſtirpes .i. exanimatas pro ſubſtantijs habendas, propterea quod dicunt contuſas in puluerem aut calore noſtro alteratas, amittere formam ſuam ſubſtantialem. Quod ſi amittunt, neceſſe eſt, vt prius etiam formas eſſentiales habuerint, quàm in puluerẽ tererentur. Sed mortuæ ſeu exanimatæ negantur habere. Ergo habent & non habent formas ſubſtantiales, vegetatione carentes & vita ſtirpes. Itaque diſputatores illi ſeſe proprijs aculeis pungũt, vt indigni videantur eſſe, quos argumentando refellat quiſpiam. Deinde craſis cùm ſit cauſa inſtrumentalis, & potentiæ medicamentorum aliàs efficaces ſint propter potentiam naturalem, aliàs inefficaces propter impotentiam naturalem, ſequitur vt ſi craſes ſint ipſæ potentiæ, vt habeant & participent alijs quibuſdam craſibus, quibus vt inſtrumentalibus cauſis aliàs ſint efficaces, aliàs verò inefficaces actionibus ſuis proprijs. Verùm his omnibus abſurdis, ne fingi quidem aliud abſurdius poteſt. Octauo argumento poſtulatur, quod & ipſum phyſici eruditi ipſi haud conceſſerint, nempe forma vna ſubſtantias plures non poſſe contineri

aut informari ſubſtantias diſpares, aut etiã contrarias, quæ in toto inſint, & in quas partes totum integrale totius ſubſtãtia diuidatur eſſentiali totius, hac ſeparatione abolita forma, & quauis parte ſuam propriam naturam & formam nihilominus retinente, de quo paulo antè diximus, vt ſi lactis aut rhabarbari partes ſeparentur, Proprium eſt formæ, (vt principij) vt vna exiſtens cauſa ſit multorũ. Vna enim forma animæ quam multas partes in ſe continet naturis & actionibus inter ſe diſcrepantes? Nonum argumentum hac ratione falſum eſt, quo ponitur ſæpe in rebus vnius ſpeciei contineri contrarias facultates, vt in Perſea arbore, aut in ſtirpe aliqua, verbi gratia, vt quando Arum in Cyrenenſi agro nullam dicitur habere acrimoniam, in alijs autem maximam habeat, ſed vnam ſpeciem dicunt duntaxat vnam actionem producere, & nequaquam contrarias, quod ſi ſint contrariæ, tũ iſtud euenire propter contrarias craſes. Contrarias facultates indiuiduis eiuſdem ſpeciei poſſe ineſſe conſtat. Cui verò dubium ſit, quin videlicet vni ſecundum naturam inſit facultas quędam, alteri verò contra naturam

acci-

accidat contraria facultas, nempe propter impotentiam naturalem, vt ſi ſecundum naturam venæ generãt naturalem ſanguinem, eædem contra naturam affectæ generant ſcilicet vitioſum & morbidum ſanguinem. Sed de differentia hac ſuperius fuit diſputatum. Contrariorum porro propriorum, quæ accidant indiuiduis humanæ ſpeciei, cauſam negamus eſſe formam ſubſtantialem, vt quod quidam abhorrent Cattos, alij abhorrent à caſeo, aut à vino vt abſtemij, quæ omnia pro proprijs affectionibus nequaquam annumeramus, imò verò ne pro accidentibus quidem proprijs humanæ ſpeciei, ſed pro accidentibus proprijs indiuiduorum duntaxat hominum habemus, & quæ ipſis inſint non à forma ſeu propter formam ſubſtantialem, propterea quod ipſis inſint παρὰ φύσιν, & propter diſcraſian quandam ſeu impotentiam naturalem, qualium accidentium formalis cauſa ſeu eſſentialis, nequit eſſe, vt ſuprà probauimus. Quia verò talium propriorũ cauſæ nobis non ſunt manifeſtæ, ob id numerari non debent inter propria naturarũ occulta, quorum cauſam eſſe dicimus formas naturales ſeu eſſentiales. Multa enim

in rebus ſunt quæ contra naturam exiſtāt, quorum tamen cauſa explicari à nobis nequit, vt verbi gratia, morbi gallici cauſa ἄῤῥητος eſt, & ἄῤῥητος eſt cauſa multarum corruptionum & monſtroſarum rerum, quæ tamen omnia non prouenire à natura, ſeu forma eſſentiali nemini dubium eſt. Huiuſmodi propriorum aliud genus eſt, quàm eorum quæ rebus cauſis naturalibus inſunt, quæ nimirum aut propria πάθη, aut propria accidentia rerum naturalium ſolent appellari. Contra naturam propria hæc ſunt, quæ indiuiduis eiuſdem naturæ inſunt loci aut temporis gratia, quatenus videlicet non naturalibus cauſis indiuiduis procreantur. Ariſtoteles lib. 5. Topic. vt nunc, propria appellat, vt ſi proprium alicuius dicamus eſſe in Theatro, ſi ſedentibus omnibus ipſe ſolus ſtet aut currat. His quæ diximus manifeſtum eſt, etiam hoc exemplo non probari potentias occultas ipſarum craſeων, & non formalis cauſæ eſſe proprietatis. Ad idipſum genus indiuiduorum propriorum referri debet etiam hoc proprium, quod nonnulli ſumpto veneno aut venenato quopiam, non interficiuntur, propter habitum quo reſiſtere poſ-

poſſunt venenatis rebus, in quorum numero Mithridates, anus Attica, & Theophraſticus ille hellebori deuorator continentur. Indiuiduorum hæc ſunt quorundam propria accidentia, quorum cauſa eſt potentia naturalis, & non potentia eſſentialis. Nam propter potentiam naturalem venenata hæc ſuperantur, paulatim conſuetudine acquiſita, & propter habitũ veneno humana natura deinde reſiſtere dicitur. Quæcunque porro inſunt propria ſiue πάθη, ſiue accidentia propria quædã inſunt propter formam; quædam verò inſunt ꝓꝑ materiam, vt capax diſciplinæ propter formam ineſt homini, ſed ſtupiditas ſeu ſtupor ingenij ineſt propter materiã. Et quod eſt in ipſo potentia loquendi ſeu diſcendi, propter formam ineſt, quod aũt impeditè loquitur aliqs, aut rauca voce eſt præditus, id ei ineſt propter materiã. Omnes aũt corruptelæ & vitia, aut q̃ ſunt contra naturam, materiæ duntaxat adſcribuntur, tanq̃ cauſæ & non formæ ipſius eſſentiæ. Omnia enim vitia & corruptelæ priuatione intelliguntur quadã eius, quod ſecundum naturam ineſt, cuius cauſa & quaſi nutricula (vt Plato inqt) eſt ipſa materia, obnoxia his, q̃

ſecundum, & quæ contra naturam rebus inſunt. Decimo argumento vt validiſſimo & tanquam Achille quodam pugnant, opponendo ſe aſſerentibus potentias occultas proprias eſſe formarum rei eſſentiã conſtituentium. Si, inquiunt, vis propria purgandi quæ adſcribitur ſcammonio inſeparabilis eſſet à forma ſcãmonij ſeu ſubſtantia ipſius, nequaquam vis illa & facultas alijs communicari poſſet, vt non etiam eiuſdem communicetur ſcammonij ſubſtantia. Sed facultas eius purgatrix communicatur diuerſis rebus & diſcrepantib. à ſubſtantia ipſius, quibus tamen forma ſcammonij non ſit communicabilis. Formam autem dicunt eſſe animam vegetatricem herbę illius, & hanc ob cauſam nulla in alia materia poſſe ineſſe, quàm in propria materia ipſius ſtirpis ſeu herbæ, nihilominus eius facultatem purgatricem poſſe in pluribus eſſe, vt in pruni fructu ſi feſtuca quædam ſcammonij infigatur, vt autor eſt Meſues. Quin etiam fructus quoſdam naſci purgandi vim habentes, ſi iuxta radices arborum helleborus plantetur. Et lupum ſalictarium efficacem eſſe ad purgationes ſi inter tithymalos aut helleboros

ros crescat. Præterea etiam lac capræ adipisci facultatem purgandi, nec non etiã lac muliebre, si vescantur rebus purgatoriam vim habentibus. Sed fieri nullo modo posse, vt propria hęc facultas purgantium herbarum cum forma sua essentiali perduret, vsquedum transeat in lactis speciem, tot interuenientibus mutationibus eius rei, quæ in cibo sumitur, qui mutetur primo in chylum, deinde ex chylo in sanguinem, deinde ex sanguine in lac ipsum. Hac purgandi facultate præditũ, quæ facultas ꝓpria fuerit substantię stirpis illius, vnde vim istã habere censetur. Ex quo putãt concludendum, transitionem hanc esse purgantis medicamenti, non formæ substantialis, sed ipsius crasi esse transscribendam, quæ perempta etiam forma substantiali non aboleatur, & subiecta tot mutationib. incolumis permanere possit. Nonnulla altius erunt repetenda, quo commodius ad argumentũ hoc respondere queamus. Ac primò vt formas substantiales, ita quoque proprietates earum incommunicabiles esse statuimus. Propriũ enim πάθος quodlibet in suo vernaculo καὶ τῷ οἰκείῳ subiecto inest. At verò quæ actuosa sunt & efficacia ἐνεργείᾳ qua-

dam, communicare hanc ἐνέργειαν suam possunt, etiamsi proprietatem eidē & formam substantialem non communicent. Producitur etiam hac ἐνεργείᾳ agētis qualitas quædam, quæ nimirum accidens sit alterius subiecti, in quo tamen nullo modo possit inesse proprietas seu propriū πάθος agentis, quę tamen qualitas aliquo modo similis sit eandemq; appellationem habeat, quā obtinet id à quo proficiscitur seu promanat talis qualitas. vt verbi gratia, calor ignis proprius ei est & inseparabile πάθος à substantia ignis, qui cùm aquā etiam calefacit eique conciliat calorem, is calor qualitas quædam est aquæ, ac toto genere differt à calore ignis, qui calor in eodē prędicamēto est, in quo ignis est, quandoquidem propria πάθη in eodem reponantur genere, in quo subiecta ipsorum collocantur. quod autem eiusdem speciei non sint isti calores, ex eo perspicitur, ꝙ calor ignis inflammare aliquid potest, sed calor aquæ tantùm abest vt inflammet, vt etiam inflammatū quippiam restinguat, & nihilominus vt nomine vno eodemq; participēt: Ita quoq; vnus specie calor reipsa censetur esse. Præterea constat etiam multiplicem esse

esse efficaciam agentium. Quædam enim sunt quæ non agunt nisi immediatè tangãt ipsum patiens: vt ventriculus nõ concoquit cibũ nisi sine medio ipsum attingat & vndiquaq; complectatur. Nonnulla sunt, quæ nisi commisceantur cum patiente corpore effectum aliquẽ non ꝓducunt, qualia sunt mixtilia omnia corpora, q̃ nisi composita sint & tota, ꝑ tota alia misceãtur, rem mixtam haud constituunt. Quædam verò sunt q̃ non immediatè, sed qualitatib. quibusdã à se diffusis in patientia corpora afficiunt, quæ qualitates in patiẽtibus insunt aut κατὰ χέσιν aut καθ' ἕξιν. κατὰ χέσιν afficere dicuntur, quando videlicet efficiente causa sublata simul etiã qualitas hæc in patiente subiecto desinit, vt luce sublata in pellucido corpore lumen etiam desinit esse. Quæ verò καθ' ἕξιν afficere dicuntur, non etiã simul vt efficientia remouentur, necesse est qualitates etiam in patientibus corporibus desinere, vt si ignis aquam calefaciat, καθ' ἕξιν eã dicitur afficere, quia sublato igne nihilominus permanet qualitas caloris in aqua. Nonnulla verò sunt agentia quæ non afficiunt patientia corpora, nisi quoad cum illis cõmiscẽtur σωματικῶς. i. corporaliter, q̃

qualis ſit mixtio omnibus eſt notum, & ſi aqua frigida miſceatur cum calida, aut vinum cum aqua, aut vapor ſeu ſuffitus ſi miſceatur cũ aëre, Ariſtoteles diſtinguit mixtiones in lib. de ortu & interitu priore, ac quaſdam perfectas appellat, nonnullas verò dicit eſſe imperfectas & quaſi ψελλιζομένας .i. balbutientes quodammodo, vt quando dicimus miſceri amaritudinẽ abſinthij cum vino, videtur enim duntaxat propter qualitatem ſaporis, & non propter ſubſtantiam abſinthij, ſeu propter ſuccum ipſius vinum cum abſinthio mixtum eſſe. Et odores quidam exiſtũt in aëre ſola qualitate odoratæ rei aërem ipſum afficiente, & non quibuſdam σωματικαῖς ἀποῤῥοαῖς diffuſo odore in ipſo aëre. Vt ſi Ambræ odor impleat aërem aut veſtes, id duntaxat cauſa qualitatis facere dicitur, & non quod corporaliter odor diffundatur in ipſo. Quod autem vis ſit quædam qualitatum, & quod res naturales efficaces ſint à ſe diffuſis qualitatibus, tam manifeſtum eſt, vt ſi quis probare iſtud velit nihil aliud agat, quàm vt inferat ſoli lucem. Talis vis eſt teſticulorum in ſexu maſculino, vt diffundat ſe ab his calor, quà caloris qualitate ſexus viri-

virilis differat à fœmineo. Nam his exectis masculinum corpus frigidius fit & quodammodo effœminatum. Idem Galenus scribit lib. 6. de lo. aff. corrupto sanguine, item semine quasi lethiferas qualitates oboriri in toto corpore, & id quasi admirandum quiddam refert, propterea quod isti duo humores alioqui naturę nostrę sint cõuenientissimi & maximè familiares. Eodẽ in libro quantitate corporea aut mole vires veneni nequaquam æstimandas scribit esse. Tantillum enim ipsius phalangij ictus vestigium est, vt vix videntibus appareat, nihilominus tanta vis est & efficacia ipsius veneni, vt non multo post tantopere inficiat corpus, & mortem adferat infectis hominibus. Idipsum quoq; vsu venit in ictu scorpionis & aliorum venenatorũ, vt minima quantitate maximam efficaciam habere videantur mortiferæ qualitatis. Nec est opinandum, quod in his ipsa substantia veneni penetret per vniuersum corpus. Haud dissimilis ratio est purgantium medicamentorum, quorum substantia quoq; non recipitur intra venas, nec miscetur cũ sanguinis massa, sed qualitas ipsius imbuit sanguinem & venas, qua qualitate inutiles

humores ſeparantur à ſanguine, quibus ſe-paratis venæ irritantur ac ſtimulantur ad excretionem, qua nimirum prauorum humorum purgatio definitur. Perinde ergo eſt, ſi quis in hoc modo habentibus exiſtimare velit, non qualitatem ſed ſubſtantiā ipſam diffundi per eas partes quæ afficiuntur à talibus vel medicamentis vel venenis, atque ſi opinetur aquam affici à calore aut ab igne, vt non tantùm qualitas caloris inſit in aqua calefacta, ſed etiam ipſius ignis ſubſtãtia, quo ne fingi quidem aliquid abſurdius poteſt. Quibus ad hunc modum probatis, cui dubium ſit, quin qualitates etiam purgãtium ſtirpium poſſint communicari iuxta creſcentibus alijs ſtirpibus: vt ſi lupulus intra tithymalos aut helleboros naſcatur, vt talium purgatricẽ vim & qualitatem in ſe recipiat. Similis ratio eſt, ſi capræ lac commedẽtis herbas habentes vim purgandi ipſarum quoq; lac inficiatur purgatrice facultate. Nam & hoc euenire videmus in quibuſdam alimentis & eorundem qualitate, vt totum corpus inficiatur. Etenim Galenus alicubi ſcribit, ſerpentes viridiorem colorem corporis verno tempore acquirere, & conſtat inter omnes ci-
bis

bis melancholicis immutari qualitatẽ totius corporis, vt nimirum ijs ſanguis & caro fiat melancholica. Quo nomine ſcribit Galenus in Alexandria permultos laborare elephantiaſi, quod nimirum melancholicis carnibus, nempe aſininis & camelinis veſcantur. Quod autẽ ſubſtantia aboleatur talium alimentorum in ventriculo, & non maneat niſi qualitas in chylo, & poſtea in ſanguine, & poſtremò in carnoſa etiam ſubſtantia, ipſum per ſe manifeſtum eſt. Quin etiam in magnete communicari qualitatem pluribus acubus ordine inter ſe contextis & conſertis, ne aduerſarij quidem negabunt. Neceſſe enim non eſſe, vbi qualitas rerum naturaliũ vim & efficaciam ſuam exerceat, vt ibidem quoque eorundem ſit ſubſtantia. Nam qualitas in alio ſubiecto eſt, nempe in patiente corpore. Vis autem & potentia eſſentialis in agente eſt ſubiecto ſeu ſubſtantia hac, cuius propria & vernacula eſſe dicitur, & vt ſuprà diximus de calore, propria vis ſeu potentia non eſt in eodem genere, in quo eſt qualitas ipſius, vt alius calor eſt qui in igne dicitur eſſe, & alius calor qui in aqua, qualitas exiſtit & non proprium πάθος ipſius

aquę, cuiusmodi qualitas est in genere diatheseωs, cum proprius ignis calor sit in eodem genere in quo est ignis ipse, nempe in genere substantiæ? Simili modo qualitas rhabarbari in sanguine existens diathesis ipsius nominatur, sed potentia purgandi existẽs in rhabarbaro propria existit ipsius rhabarbari, nec diathesis rhabarbari potest dici. Et qualitas magnetis in omnibus acubus existens diathesis est & qualitas, q̃ tamen in ipso magnete tanquam subiecto non inest, sed à magnete promanat, seu à potentia ipsius essentiali, quæ non potest diffundi extra magnetis substantiam, & in alio quodam hærere subiecto. Quibus sic habentibus euidens est, in lacte purgante aut lupulo aut alio quopiam fructu nõ inesse proprietatem aut potentiam propriã purgatricem hellebori aut tithymali, sed qualitatem seu diathesin duntaxat quandã purgatricem, cuius efficiens causa sit propria facultas seu potentia purgatrix hellebori aut tithymali, quemadmodum in helleboro est facultas huius, qua efficax est ad purgandum ipsa forma constituens essentiam hellebori. Perspicuum autem est, tres esse differentias efficientium causarum,

quo

quorum vnum eſt genus, quod omnino reſpectu effectus æquiuocum eſt, vt ſi ſol cauſa efficiens ſit ignis. At ſecundum genus eſt, ſi efficiens & effectus eandem habeant eſſentiam, vt ſi ignis ignem gignit, aut homo hominem. Tertium genus in medio eſt amborum efficientium, & quod ſit quodãmodo vniuocum, vt ſi calor ignis producit calorem in aqua, aut ſi helleborus producit in lacte qualitatem purgatricem, aut in lupulo purgandi vis ineſt ſeu qualitas propter tithymalum iuxta lupulũ accreſcentem. Quin etiam Ariſtoteles ipſe autor eſt in metaphyſicis, quodammodo produci omnes effectus ab efficientibus cauſis æquiuocis, vt etiam ſi Petrus generet Paulum, aut ſi maſculus generet fœminam, cauſa quodammodo ſit æquiuoca. Siquidem æquiuoca ſunt, quorum nomen idem eſt, ſed ratio eſſentialis non exiſtit vna. Quod autem eſſentiæ ratio, quæ in Petro eſt, & ſingularis eſſentia, & quæ in Paulo eſt, ſingularis atq; indiuidua non ſint vno numero eſſentia, ipſum per ſe manifeſtum eſt. Quare hi duo homines ſi habeãt nomen Petri, nomen illud æquiuocũ erit, quoniam eo ſignificantur duę eſſentiæ ſin-

gulares, quæ nullo modo vna poſſunt eſſe eſſentia: quo perſpicitur, ſi vt id quod producitur non ſemper proprietas ſit eſſentialis alicuius producentis, quamuis eſſentialis proprietas aliquo modo ſimilis eſſe videatur productæ qualitati, nihilominus tamen eiuſdem generis non eſt, vt ſi caliditas ignea calorem in aqua producit, aut helleborus in lacte qualitatem purgatricem. Tam autem neceſſe non eſt in lacte ineſſe potentiam eſſentialem hellebori, quã neceſſe non eſt, ſi craſis cauſa eſſet facultatis huius in lacte, nõ ineſſe ob id craſin etiam hellebori in ipſo lacte, cũ alia ſit craſis ipſius lactis & alia hellebori. Quapropter hoc argumento non probant, craſi hellebori & non ſubſtantiæ hellebori facultatẽ purgatricem eſſe adſcribendam. Sunt præterea multa alia & ſimilia argumenta, quib. conantur probare occultarum facultatũ cauſam eſſe non formam eſſentialem aut ſubſtantiam, ſed craſin quandam propriam, q̃ tam nullum pondus habẽt, & infirma ſunt ad probandum, quã ſuperiora omnia, quæ contra diſputãdo hactenus confutauimus. Quibus ſic habentibus, potentiæ propriæ rerum naturalium hanc differentiam re-

ſpuunt,

ſpuunt,qua nimirum animalis corporibus (vt diximus) ineſſe potentias tales eſſentiales dicunt. Sed inanimatis ineſſe potentias proprias duntaxat propter craſin,& nõ propter formam,qua eſſentia ipſorum ſeu ſubſtantia conſtituatur.

ARGVMENTVM CAP. III.

Craſes rerum naturalium non eſſe formas ipſas ſubſtantiales,non tamen eſſe aut ſubſiſtere eas ſine formis, nec formas ipſas ſine proprijs craſibus.

CAPVT III.

MIXTIONES duorum generum eſſe hac diuiſione liquet.Nemo.n.neſcit quædam arte miſceri, nonnulla verò caſu aut fortuna. Quæ miſcentur arte(vt q̃ medici miſcent aut chemiſtæ (quod eorũ forma nulla ſit naturalis manifeſtũ eſt. Siquidem natura internum eſt principiũ, ſed ars externum eſt, quo inter ſe differunt ars ſcilicet & natura. Ab arte porro cõfici ſubſtãtias naturales nemo mihi perſuadebit, qđ tamen chemiſtæ multis pſuadere conãtur, quando ſeſe videlicet poſſe miſcẽdis metallis aurũ vel argentum facere promittunt. Quod aũt poſſint ſeparare naturales ſubſtantias facilè illis conceſſero,ſed ꝙ poſſint

efficere eas haud quiſquam aſſentietur, niſi qui inter artem & naturam quid interſit ignorauerit. Efficientes porro cauſas ſubſtantiarum naturalium tres ſtatuimus eſſe, prima eſt cœleſte corpus, à quo efformantur omnes ſubſtantiæ expertes animæ, vt metalla & lapides pretioſi, & ſi quæ ſunt alia his ſimilia. Nonnunquam etiam cœlũ generat animatas ſubſtantias, vt muſcas aut vermiculos, nec non ſtirpes etiã quaſdam producit & gramina, quæ nimirum propagatione non perpetuantur. Alia cauſa eſt eorum, quæ ſemine propagantur, vt animatorum, vt animalium & plerarumque ſtirpium in ſeminibus, in quibus eſt plaſtica facultas, quæ efformat cùm naturalia tum organica corpora, quæ poſſint perfecta formatione animæ & vitæ ἐνεργείας in ſe recipere. Tertia porro cauſa eſt naturalium corporum anima ipſa, quę vegetando ſimilarium partium ſubſtantias auget, & humore quodã id peragit accommodato ad nutritionem, vt in ſanguineis animalibus humor eſt ſanguineus, & in alijs animalibus nõ ſanguineus humor, ſed albus quidam eſt proportione quadam reſpondens ſanguini, & quo nutriuntur & vege-

vegetantur ſtirpium ſuccus cuiq; ſuus eſt, qui primum alteratur in radicibus, deinde diffunditur in vniuerſam ſtirpem, ex quo reliquæ partes ſtirpis nutriuntur, & vegetando incrementa ſua adoleſcendoq; accipiunt. Ab efficientibus his cauſis nulla ſubſtantia generatur ſine inſtrumento mixtionis, qua miſcētur inter ſe elementa quatuor hæc nota. Corpora enim omnia quæ generantur & corrumpuntur aut elementa ſunt, aut ex elementis propter mixtionem conſtituta. Materia enim prima ſeſe generationibus non ſubijcit absq; elementis & earundem qualitatibus proprijs. Propter qualitates porro rebus naturalibus inſunt perfectiones & imperfectiones, & ſecundum magis aut minus perfectionum atq; imperfectionum innumerabiles ſunt gradus. Craſes autem ſunt termini, & quaſi extremitates mixtionum, quarum terminatio à forma ſubſtantiali gubernatur, qua perempta neceſſe ſit etiam craſes perire, & craſibus abolitis ex neceſſitate etiam aboleantur formæ ſubſtantiales rerum. Formæ autem ſubſtantiales quædam ſunt animatæ, vt forma carnis eſt quoad eſt animata ſubſtantia, & cuius ratione muſcu-

lus eſt etiam inſtrumẽtum motionis in lo-
co animalis. Quædam ſunt naturales dun-
taxat formæ, & ſine quibus animatæ non
eſſe poſſunt. Naturales autem poſſunt eſſe
ſine animatis, vt quãdo deſinit forma car-
nis animari. Vtraq; forma ſuam craſin ha-
bet, qua perempta perimitur etiam ipſius
forma ſubſtantialis, vt perempta craſi vi-
uentis carnis ipſa quoq; forma carnis viuæ
perimitur, & mortua iam dicitur caro.
Forma autem naturalis carnis, quæ & ipſa
ſubſtantialis eſt, perimitur, etiamſi craſis
ipſius deſinat eſſe. Corruptionem autem
habet duplicem, vnam violentam & aliam
naturalem, vt naturalis eſt corruptio, quã-
do putredine corrumpitur. Putredo enim
ſeu corruptio quæ corrumpit eam, oppo-
nitur generationi ipſius carnis. Quod di-
ximus de carne, idipſum ſentiendum quo-
que eſt de reliquis partibus animati cor-
poris, & trãsferri eadem ratio debet etiàm
ad ſtirpes, vt quæ ſimiliter habeant dupli-
cem naturam, vnam quæ conſtat anima-
tione, & alteram quæ ſuccisis ſtirpibus in-
ſit exanimatis corporibus. Ex quo par eſt
intelligi animatam formã etiam eſſe phy-
ſicam formam, ſed contrà neceſſe non eſt,
ſi phy-

ſi phyſica eſt, vt etiam animata exiſtat. Inter has formas hoc diſcrimen eſt, quod animatæ formæ reſpectu ſui corporis animati actionem & paſſionem habere dicãtur. vt cùm caro dicitur nutriendo facere carnem, aut mouendo flectit aut porrigit articulum. Corpus autem, quoad duntaxat phyſicum eſt, vel non animatum, hanc ἐνέργειαν & actionẽ habere dicimus, quam reſpectu alterius corporis exercet: Et ſtirpes exanimatæ ſeu vita carentes, quando adhibentur ad medicum vſum. Quæcunque enim ſunt extra hominem, aut alimenti quo veſcuntur homines, aut medicamẽti rationem habere videntur, vt aliàs à nobis dictum eſt. Reſtat vt deinceps probemus craſin propriam cuiusque non eſſe ipſam formam eſſentialem, licet forma ſubſtantialis ſine ea generari nequeat aut conſeruari: aliàs quod diſcrimen eſſet oſtendimus inter principales & inſtrumentales cauſas. Etenim craſis eſt quæ conſeruatur forma, ſed forma eſt quod cõſeruat: & forma eſt principium minimeq; compoſitum quiddam, ſed craſis eſt nequaquã principium, cùm ſit quiddam compoſitũ, & eius compoſitionis cauſa ſit forma ſub-

ſtantialis ſub ratione finientis cauſæ. Finit enim & determinat quamlibet craſin ſua forma ſubſtantialis, quemadmodum instrumento craſεως neceſſe eſt generari ſeu conſtitui formam ſubſtantialem cum ſua materia. Ariſtoteles porro lib. 6. metaph. demõſtrat formam ipſam conſtituentem eſſentiam rei neq; elementum eſſe, neque compoſitum quiddam ex elementis, ſed eſſe principiũ, quod reſpectu materiæ μορφῆς habeat appellationem, ſed reſpectu generationis habeat rationem finientis cauſæ. Quo euidens eſt & manifeſtum, craſin propriam nõ poſſe eſſe ſine forma, nec formam ſine craſi, & ambo tamen hæc toto genere inter ſe diſcrepare: quod iſti non animaduertunt, qui eſſentiam rerum inanimatarum cenſent definiendam eſſe ſola craſi. Quin etiam hoc argumento liquet, craſin non eſſe ipſam formam ſeu eſſentiam, ſeu naturam ipſam rei, cùm craſis dicatur ſecundum naturam ineſſe. At quæ ſecundum naturam inſunt, non ſunt ipſa natura: differunt enim ſecundum Ariſtotelem Natura, & Res naturalis, & Quod ſecundum naturam ineſſe dicitur. Præterea craſis qua ratione eſt compoſitũ quiddam

dam

dam, diuiduum eſt quiddam in partes, ſed Forma eſſentiam conſtituens partium expers eſt, quia principium & quia determinat compoſitionem craſεως, cùm vnaquęque ſubſtantia naturalis ſuam propriam habeat craſin, nihil autem ſuapte natura indefinitum à ſe ipſo definiri poſſit: propter craſin autem magis & minus aliquid tale eſſe dicitur, ſed propter formam eſſentiæ nihil magis aut minus toto dici conſueuit, quoniam magis aut minus accidẽtia ſunt, nec poſſunt conſtituere eſſentiam ſeu formam eſſentialem. Et vt forma, ita quoque materia vltima eſſentialis ipſa quoque excludit magis & minus, quoniã altera pars eſt ſubſtantiæ. Etenim è ſubſtantijs neceſſe eſt conſtitui ſubſtantiam, nempe ex forma & materia vltima, quæ continet primã materiam. Et hæc quidem materia eſſentialis pars conſtituens rei naturalis ȣσίαν, quæ per ſe gradus perfectionis & imperfectionis nullos habeat. Sed quod materia eſt ratione potentiæ, id alterum ratione actus eſſe dicitur, vt his neq; accedere neq; decedere quicquam poſſet tanquam principijs, nec magis aut minus id quod ſunt, poſſunt eſſe aut dici. Veruntamen quam-

uis nec materia nec forma gradus illos admittunt, nihilominus quia materia prima vniuersa distribuitur substantijs quatuor elementorum, & in elementis insunt quatuor δυνάμεις seu qualitates primæ, ob eas nimirũ magis aut minus & ipsis elementis & elementorum mixtionibus atq; crasibus inesse dicimus, quarum causa δυνάμεων materia prima subijcitur generationibus & corruptionibus formarum, ipsaq; certis alterationibus efficientibusq; causis externis (quorũ tres differentias esse paulo antè ostendimus) producitur ad habilitatem vltimæ seu vernaculæ materiæ, q̃ duntaxat vnius formæ sit capax, quæ tanq̃ ἕξις quædam suæ materiæ insit (nam Arist. formas substantiales nonnunq̃ ἕξεις appellat) qua compositione materiæ & formæ generata substãtia naturalis perfecta esse dicitur. In harum substantiarum perfectione inprimis consideratur perseuerãtia & diuturnitas durationis, vt hæc perfectissima esse iudicetur, quæ propter ἀπάθειαν diutissimè subsistat & perduret. Durationes illas Græci appellant αἰῶνας, propterea q; secundum substãtiam nullus motus insit rebus naturalibus, & quod sine motu duratio

tio αἰὼν consueuit appellari, qui tamē mensura quadam temporis sit circumscriptus. Itaq; perfectissimę substantiæ propter perfectissimas crases diutissimè durant, & inprimis ἀπαθείᾳ sua resistunt corrumpentibus alterationibus & causis. Talem perfectionem fuisse à primordio mundi, & in omnibus rebus naturalibus, & in humano quoq; genere, tradūt sacræ historię, in quibus scriptū reperitur, quod hominum Vita durauerit etiā supra nongentos annos, quę perfectio ætatum post diluuium semper diminuta est. Pauci enim homines posterioribus temporibus peruenêre ad ętatem sexaginta, septuaginta aut nonaginta annorum: in causa est elementorum deterior mixtio & crasis, vt quæ minus resistat corrumpentibus & contra naturam alterantibus corpus humanum. Quin etiam integriores fuisse & perfectiores potentias proprias substantiarum non est dubitandum, cùm & potentiæ tales essentiales propter perfectionem naturæ & substantiæ perfectioribus etiam potentijs naturalibus fuerint præditæ. Senescente autem mundo quid mirum, si infirmiores sint essentiales potentiæ propter impotentias

naturales, quæ proueniunt male temperatis qualitatibus seu crasibus, quę vt aliàs diximus impedimento sunt potentijs essentialibus, vt suas actiones aut omnino non exerceãt aut infirmius, aut vitiosius quàm naturæ conueniat. Quanquam autẽ proprietates, quæ alioqui subiectis suis insunt, expertes sunt alicuius perfectionis aut imperfectionis, sed seipsis extra mutationis aleam sui semper similes existant, nec magis tales aut minus tales queãt dici (vt sunt proprietates quæ subiectis insunt materia vacantibus, quales rerũ species & formas considerant mathematici ἐξ ἀφαιρέσεως) quales etiam proprietates sunt quæ adscribuntur materiæ ipsi, quatenus substantia est, aut proprietates etiam formarum, quę & ipsæ substantia sunt, nempe potentię earundem formales, quæ per se sunt etiam immutabiles, nec magis aut minus recipiunt, nihilominus gradus illos adsciscunt, quibus perfectiores & imperfectiores dicuntur esse, propter qualitates elementorum & crases mixtionum. Gradus autem illi actionum, quibus efficaces sunt & dicuntur potentiæ, distinguuntur impotentijs naturalibus propter varietatem & gradus,

dus, quibus inter ſe differunt perfectiones & imperfectiones craſεων. Nam quod ſenex obtuſius videt, quàm iuuenis, deterior craſis oculi in cauſa eſt, alioqui enim ſenex tam acutè videret quàm iuuenis, ſi oculum haberet iuuenis, nempe hoc modo bene & ſecundum naturam temperatum oculum. Idem intelligi volo de reliquis etiam partibus organicis animati corporis. Et quamuis forma eſſentialis per ſe conſiderata expers etiam ſit materiæ, propriasq́; habeat & peculiares potentias, & earundem potentiarum actiones quoq; & ἐνεργείας, quę ſimiliter vt ἄϋλα & expertia materię, omnẽ varietatem gradusq́; ſecundum magis aut minus diſtinctos excludant, nihilominus quia ſubiecta formarũ .i. res naturales participant materia, materiæq́; qualitatibus, pp quas adſcribimus gradus perfectionũ & imperfectionum rebus naturalibus, neceſſe eſt, vt per accidens potentiæ quoque earundemq́; actiones ſecundum accidens perfectione & imperfectione differre dicantur. Quamuis enim forma eſſentialis, & pręterea ſubſtãtia etiã compoſita, eiusq́; actiones per ſe, quatenus ſunt ſubſtantiæ, magis & minus non recipiant, cùm ſeipſis

ſint perfectæ, nihilominus propter craſes & propter potẽtias naturales, quę ſunt qualitates quibuſdã gradibus perfectionis imperfectionisq; diſtinguuntur. quod ipſum tali quadam ſimilitudine adumbrari poteſt. Nam ſolis eſſentia eiusq; lumen quãuis immutabile perfectione ſemper eodẽ modo ſe habeat, nihilominus quando caligo lumini obijcitur, aut nubes ſeſe interponunt, tum lumen perfectione & imperfectione à ſeipſo differt quodammodo, & potentiam inæqualem habere dicitur. Hoc modo autem differunt inter ſe proprietates mathematicę .i. rerum à materia ſecretarũ per ἀφαίρεσιν à rebus phyſicis ſeu formis naturalibus cum materia concretis, perinde, vt differt linea mathematica tangens circulum aut globum mathematicũ .i. à materia ſecretum, cuius proprietas eſt, vt ipſum attingat in puncto. At eadem linea ſi fingatur attingere circulum aut globum concretum cum materia aliqua, vt globum æneum vel ligneũ, tum eius proprietas nequit eſſe, vt tangat eum in puncto propter concretionem materiæ. Siquidem circuli materiati aut globi nullũ poſſit eſſe punctũ, propterea quod materiata oĩa

pun-

puncta sint corporea, & mathematica. i. indiuidua, nullo modo esse queãt & indiuidua puncta. Quare proprietas hæc tactus mathematica in circulo aut globo materiato locum non habebit, cùm necesse sit omnino contactũ illum esse corporeũ, nempe qui existat in puncto corporeo. Simile quiddam accidit in formis substantiarum, quatenus dicuntur causa esse in substantijs cum materia concretis proprietatũ quarundam. Nam quamuis forma materiatũ quiddam non est, nihilominus quoad est in corpore materiato & prædito qualitatibus quibusdã, proprias actiones non exercebit perfectionis & imꝑfectionis expertes, aut quæ secundũ magis aut minus non differant inter se. Quod si corpus naturale careret his qualitatibus, tum proprietates quas exerceret forma substantialis, nempe actiones q̃ ipsi adscribuntur ratione potentiæ, essent seipsis perfectissimę, nec gradib. istis perfectionis obnoxię forent, quibus iã nũc distingui eas necesse est in corpore materiato & qualitatib. elementorũ ꝑdito, vt tale corp⁹ simile sit circulo aut globo cõcreto cũ materia corporea. Sic Arist. in 1. li. de Anima monet cõsiderandas potẽtias ani-

mæ (quæ anima eſt quodammodo ἄϋλον quoddam εἶδος) reſpectu corporis organici, quod eſt concretũ cum materia & qualitatibus elementorum, propter quas qualitates tot differentiæ actionum & paſſionum in corpore animato perfectionisque imperfectionis inſunt, quot ſunt differentiæ temperamentorum, cùm tamen vna eademq; ſit & indiuidua ratio formæ ſubſtantialis in qualibet ſpecie ſubſtantiarum animatarum. Idem quoque dici poteſt de ſubſtantijs & formis inanimatis, in quibus etiam ſunt actiones & paſſiones potentiarum eſſentialium ſecundum magis & minus differentium. In animalibus, in quibus potentiæ ſint imperfectiores, vt fœmineus eſt ſexus reſpectu maſculini, & mulus reſpectu equi & aſinę, vt propterea quòd mulus generare non poſſit, ſed ſterile quoddam ſit animal: in his inquam animalibus imperfectionem mutilationem appellamus: Græci vocant hanc priuationem πήρωσιν, vt hoc modo imperfecta animalia appellant πηρώματα: cuius ſimilitudo ſpectatur etiam in ſtirpibus: vt ſi, quæ vires infirmas habent medicas, ſtirpes πηρώματα quodãmodo poſſint dici, vt inefficax Abſin-

ſinthium, aut Arum valde dilutum habens acrimoniam. Herbarum enim vires ſeu ſtirpium quamuis eiuſdem ſint ſpeciei, viribus tamen inter ſe differunt ſecundum differentiam terrarum, in quibus naſcuntur, & cœli, quam propter craſin extrinſecus ipſis ſubſtantijs aduenire certum eſt. Proinde craſibus cùm animatas tum inanimatas ſubſtantias generari tanquam inſtrumentalib. cauſis manifeſtum eſt. Quæ ſint & quot ſint efficientes cauſæ, ſuprà expoſuimus. Formales autẽ cauſæ ſunt, quæ determinant huiuſmodi craſes, & quibus generationes rerum finiuntur. Quin etiã liquet aliam craſin eſſe, qua ſtirpem animari contingit ſeu vegetari, & aliam, quãdo deſierit animari & vegetari, quæ inſtrumentalis cauſa ſit potentiarum, quibus actiones exerceat, vt corpus alioqui naturale, reſpectu alterius corporis, actionẽ ſuam exercere dicitur contactu quodam, καὶ τῷ ἅπτεσθαι, quales actiones cõſtat eſſe in ſtirpibus medicamenti rationem habentibus. Quod hæc craſis ab illa differat, ex eo etiam euidens eſt, quod ſucciſæ ſtirpes eam craſin non amplius habent, quam habebant animatæ, alioqui mortuæ etiam ve-

getarentur, ſiquidem ſimul ſunt craſis viuentis & anima ipſius, ſimulq́; deſinunt eſſe. Emortua autem plāta vim nihilominus retinet, qua ſit efficax medēdo, ſi adhibeatur ad medicum vſum. Et hæc quoque ſua quadam ſubſtantiali forma continetur, vt quamdiu forma hæc ſit, craſis quoq; ipſius perduret, & ſimul etiam vtriusq; ipſius vis aut efficacia, qua reſpectu corporis patientis agere & alterare aliquid dicitur. Hac efficacia euaneſcente, non amplius eſt id ratione ſuæ ſubſtantiæ, quod prius eſſe dicebatur, vt verbi gratia, Euphorbium aut Tapſia quando amittunt ſuas in calefaciendo vires (quas intra paucos annos, autore Galeno retinent) & poſtea euaneſcentibus illis, ἐξίτηλα fiunt, vt non niſi æquiuocè tapſia aut euphorbiū dici mereantur: quamuis ſpeciem & colorem priſtinum nō ſemper amittant aut deponant. Quamobrem ſi formæ ſubſtantiales non poſſunt ſine ſuis proprijs potentijs, neq; etiam propriæ vires poſſunt eſſe ſine ſuis craſibus, quibus generantur & ſubſiſtunt, etiam manifeſtū eſt, eos non rectè ſentire, qui dicunt formas rerum ſubſtantiales perdurare poſſe, vt nihilominus exoleſcāt potentiæ, & permanen-

manentibus potentijs, posse nihilominus aboleri formas οὐσιώδεις. Quo concesso putant necesse esse, vt cõcedamus etiam crases seu mixtiones formales esse causas talium potentiarum. Quod autem potentię essentiales peremptæ & abolitæ interdum videantur, id accidit propter causas contra naturam, quibus impotentia naturalis cõciliatur, essentialibus potentijs impedientibus actiones & ἐνεργείας essentialium potentiarum, cùm tamen non aboleantur, cùm aliud sit impediri, & aliud aboleri, quod superius multis exemplis declarauimus: vt si morbo impeditur oculus, quo non possit videre, ob id oculi potentia essentialis non erit perempta, sed duntaxat impedita. Idipsum quoq; in stirpibus euenire videmus, & alijs rebus naturalibus, & propter quę impedimenta efficax medicamẽtum ab inefficaci distinguitur, vt bonũ rhabarbarum à vitioso. Quin etiã hoc argumento liquet, non tantùm potentias & crases proprias à substantia seu forma substantiali inseparabiles esse, verum etiã incõmunicabiles esse alijs specie differentib. siue sint potentiæ occultę, siue sensibus nostris manifestæ. Etenim si cõmunicabiles

essent, tum propriè specierum nullo modo dicerentur esse: vt verbi gratia, potentia propria absinthij & eiusdem crasis in nulla re alia possunt inesse, quàm in solo absinthio. Ita quoque rhabarbari potentia eiusdemq; crasis in nullo alio insunt, quàm in rhabarbaro, & in abrotano, item in pulegio, suæ proprietates sic insunt vt communicare alij nequeant. Nec est quod dicas amaritudinẽ aut astrictionem in alijs quoq; inesse, quibus vtrisq; qualitatib. præsertim efficax videtur esse absinthium. Quamuis enim hæ qualitates possunt etiã alijs communicari, tamen eo modo & ea causa, qua insunt in absinthio, in alio nullo possunt inesse. Amaritudo enim alia est propria absinthio, & alia marrhubio, & alia centaurio minori. Quamuis enim herbæ istæ omnes sint amaræ, non tamen habent eandem substantialem causam seu formam, neq; etiam vtuntur ijsdem medici in præparandis medicamentis, aut vsum medicamentorum distinguendo. Idem quoq; vsu venit in alijs proprijs accidentibus, quę differunt inter se, vt proprietates, quoad definiuntur & discrepantibus subiectis & differentibus etiam causis. vt nigredo ꝓpria

est

eſt carbonis, cùm nigredo carbonacia in nulla re alia poſſit ineſſe, quam in ſolo carbone, propter cauſam quæ communicari nequit etiam alijs nigris corporibus. Sic quoq; alia cauſa eſt nigredinis in Æthiope, & alia cauſa nigredinis in Coruo, vt nimirum cuiusq; nigredo ſubiecti & inſeparabilis ſit à ſubiecto, & incommunicabilis etiam ſit alij ſubiecto propter cauſæ proprietatem. Equidem nigredo carbonis ſi definiatur, & carbonem tanquam ſubiectum & cauſam quoq; in ſe includet. Sic enim propria ſunt definienda, quæ propter cauſas rebus quibuſdã inſunt. Simili quoq; modo definietur nigredo Æthiopis, & nigredo Corui, vt propter ſubiectum & cauſam non vna ſpecies nigredo, ſed tres ſpecies ipſius debeant exiſtimari. Quandoquidem trium harum non ſit vna definitio: quamuis ſi pro accidente intelligatur, vna ipſius tantum ſit ſpecies, atq; vna quoque definitio. Poſtremum illud eſt, de quo etiam admonendus mihi videtur eſſe ſtudioſus veritatis lector, nempe falſum iſtud eſſe quod defendunt illi, qui craſibus efficaciam medicamentorum adſcribunt, vt ſi calefaciat medicamentum, hanc vim in

se habere dicunt, quod in eo exuperet igneum elementum. Aut si refrigeret, id adscribendum esse frigidorum elementorum exuperantiæ, vt si euphorbiũ calefaciat, dicunt id efficere calorem exuperãtem ignei elementi. Et quod Oppium refrigeret, eius efficaciæ nullam aliam causam esse, quàm frigidorum elementorum potẽtiam & vires, censent. In quo longissime mihi videntur aberrare à vero. Elementorum enim qualitatibus, quibus definimus crasin, duntaxat generari & constitui formã substantialem dicimus. Sunt enim elementa & qualitates eorundẽ nihil aliud, quàm duntaxat organa generationis & corruptionis substantiarum. Formæ autem substantiales earundemq; potentiæ, quæ his crasibus generantur, sunt deinde causa harũ actionum, quibus medicamenta calefacere, refrigerare, humectare, aut siccare dicuntur. vt euphorbij forma substantialis in se potentiam habet, quæ neq; ignis est, neque igneum quiddam, qua vehementer calefaciat corpus nostrum. Simili modo Oppiũ quoque formam habet substantialẽ, eiusq; propriam potentiam qua refrigeret, cuiusmodi refrigeratio nulli adscribenda sit ele-
men-

mento, ſed ſit inſtar eius refrigerationis, qua Saturnus dicitur inferiora hęc refrigerare: & euphorbij calor ſit inſtar eius caloris, quo Mars inferiora hæc dicitur calefacere. Tametſi haud negamus, qualitates ſecundas, quæ nimirum ſub ſenſus noſtros veniunt, vt colores, ſapores, temperamentis elementorum, tanquam inſtrumentalibus cauſis, definiendas eſſe. Quomodo enim Galenus definiat differentias ſaporũ differentijs craſeωn, neminem latere opinor, qui legerit libros de ſimplicibus medicamentis.

CAPITIS QVARTI *argumentum.*

Galenum & noſtræ ætatis nonnullos medicos non rectè ſentire, quando facultates ſeu potentias rerum naturalium adſcribunt craſibus, & non formis ſubſtantiam rerum conſtituentibus.

CAPVT IIII.

REprehenſa eſt à nobis multis validisq; argumentis opinio eorũ, qui vim omnem efficaciamq; agentium & efficientium aliquid rerum craſibus, & non formę eſſentiali adſcribunt, veterum phyſicorum errorem ſequentes, qui ferè in omnibus

caufis explicandis , quibus efficitur quippiam, inftrumentali caufa pro principali vfi fuerunt, nempe adfcribentes crafi rerum propriæ, quod adfcribendum erat formæ effentiam feu fubftantiam conftituenti. Quod autem hanc opinionẽ fequatur error ille Empedoclis, qui negauit in rebus ineffe naturam .i. formam fubftantialem: fed quicquid res effe dicerentur, idipfum effe propter μίξιν τε διάλλαξίν τε μιγέντων, & non propter φύσιν, manifeftum eft, & ex his etiam, quę fuprà demonftrauimus, fatis fuperq; liquet. Non autem pro ijfdem caufam inftrumentalem & principalem, id eft crafin & formam effentialem poffe vfurpari, vt multis alijs argumentis, ita quoque hoc perfpicitur. Nam quòd crafis carnis (verbi gratia) non fit ipfa forma fubftantiæ carnis, ex eo eft euidens, quòd videlicet crafis omnis eft compofitum quiddam ex qualitatibus primis elementorum, & præterea etiam cùm fit accidens, ex neceffitate in quadam fubftantia, tanquam fubiecto ineft. Quod fi crafin carnis in fubftantia quadam ineffe dixeris aut in fanguine (qui eft materia carnis ex quo generatur caro) in ipfa carne, tanquam fubftantia ineffet: fed

ſed craſis ipſius carnis non poteſt ineſſe in ſanguine, ex quo corrupto & mutato generatur caro, alioqui craſis carnis præcederet ſubſtantiam carnis,& proprium carnis in alio eſſe ſubiecto quàm in ipſa carne diceretur: quod cùm ſit impoſſibile,neceſſe eſt, craſin carnis vt propiũ πάθος ſeu accidens in ipſa ſubſtantia carnis ineſſe. At caro ſubſtantiæ ſuæ eſſentiam obtinet per formam ſubſtantialem vt principiũ, quod neq; elementum ſit neq; ex elementis cõſtitutũ quiddam. Ex quo eſt euidens, propriam rei naturalis cuiusque craſin nullo modo poſſe eſſe ſine forma ſubſtantiali: alioqui enim pro naturali nõ eſſet habenda. Sed de his copiosè ſatis in ſuperioribus eſt diſputatum. Proinde carnis formam eſſentialem duplicem eſſe ſtatuimus, Vnam qua duntaxat phyſicum & non animatum corpus conſtituatur facultate plaſtica effectrice, quæ efficiat è ſanguine tanquã materia carneam ſubſtantiam. Alteram autem formam eſſe dicimus,nõ tantùm phyſicum corpus, ſed etiam organicum,quod ratione potentiæ ſuæ actionũ vitæ ſit particeps, qualis actio eſt nutritio. Item quoad inſtrumentum eſt motionis membro-

rũ, quando loco mouẽt ſeſe animalia. Prior autem eſt γενέσις forma naturalis, nempe qua phyſicum dicitur eſſe corpus, quod ipſum ſi plaſtica facultate maiorem perfectionẽ acquirat non perempta priore eſſentia, ex non animata carne fit animata caro perficiente ſcilicet priorem formam naturæ perfectiore forma, quæ nimirum animæ quædam informatio eſt, ſeu natura, quę ab anima propagatur cuique naturalis caro tanquam materia quadam ratione potentiæ ſuæ ſubijcitur, qua nimirum potentia dicimus ex non animata carne fieri animatam carnem. In præcedentibus formis, ſuccedente poſteriore priorem neceſſe eſt aboleri, vt ſi ex cibo fiat chylus, & ex chylo ſanguis, & è ſanguine caro, ſemper poſterior forma non poteſt eſſe in materia niſi perempta ſit prior. At ſi plaſtica facultate fiat ex non animata carne animata caro, prior eſſentia carnis non perimitur ſuccedente animatione, ſed perficitur, qua perfectione plaſtica formatio definit, & eſſentia carnis incipit eſſe. De duplici modo generationis aliàs diximus, quorum vnus eſt, vt dicamus poſterius ex

prio-

priore perempta ſubſtantia ipſius generari, vt ſi è ſanguine caro fiat. Alter verò, quo incorrupto priore, poſterius naſci dicimus, perinde atque ſi dixeris, poſterius non ex priore ſed poſt illud quod prius fuit generari, eo modo quo perfectum à perficiente dicitur naſci. Hoc poſteriore modo reſpectu primæ materiæ, nec non etiam reſpectu vltimæ & vernaculæ materiæ, non corruptis ſcilicet prioribus formis ſed perfectis, potentiæ materialis nimirum gratia generari aliquid dicimus, nempe, τόδε μετὰ τόδε. Materia enim prima, ſi generetur aliquid poſterius, ipſa non perimitur ſed perficitur. Ita quoque vernacula materia, vt caro naturalis, poſteriore craſi qua generatur viua caro, non perimitur, ſed perficitur. At ſi è ſanguine generetur caro, prior eſſentia, nempe ſanguinis ſubſtantia aboletur, qua abolita, ſuccedit in locum ipſius ſpecies ſeu forma carnis. Per mortem autem abolita eſſentia viuæ carnis ſeu forma ipſius, ſimul etiam eſſentia ipſius viuæ carnis perimitur. At peremptis vtriſque nempe forma viuæ carnis, & ipſius craſi, nihilominus caro phyſica & non animata vnà cum ſua

crasi non aboletur. Eius enim (vt Aristoteles inquit) secundum naturam abolitio, q̃ distinguitur contra violentũ interitum, putrefactio existit, vt nimirũ aliud sit mors, & aliud sit putredo carnis. Deinde noui isti Empedoclei physici crasin in reb. inanimatis ꝓpter materiam inesse dicunt, qđ si est verũ, tum necesse est ex accidente & materia constitui substantiam .i. rem naturalẽ; quod absurdissimum est dictu. Constat enim crasin esse qualitatem aut ex qualitatibus quiddam compositum, nempe accidens esse & nequaquam principium, id est, formam aut materiam esse constat. Materia autem cùm sit indefinita, & seipsam determinare nequeat, crasews finientem causam seu formalem nullam possunt exponere, cùm tamen vnaquæq; res naturalis suam ꝓpriam habeat crasin, mixtio autem & materia rerum sint quiddam indefinitum. Quod si externam duntaxat causam & non formalẽ nobis proponant, quæ nimirum efficiat talem crasin, tum nullũ inter artificiosam & naturalem crasin discrimen erit. Disputando igitur de rebus naturalibus & earum causas explicando, physici isti è medio tollunt naturam ipsam rerum,

rerum, nempe formam ipſam, quæ princeps eſt natura, & qua differunt inter ſe eſſentialiter omnes ſubſtantiæ naturales, cũ ratione craſεως nihil poſſit τόδέ τι dici, ſed omnia propter craſin τοιόν δέτι quiddam dicantur eſſe. Nec non etiam mirandũ eſt, quod duntaxat animatis ſubſtãtijs formas eſſentiales ineſſe dicunt, animæ autem expertibus negant ineſſe, quas tamen ꝓpter naturam formæ & vulgus hominum, & eruditi phyſici naturales res appellare conſueuerunt, quemadmodum animatas ſubſtantias alias oppoſitas nominant, propter formam animæ: quæ quid differant à rebus naturalibus & earundẽ formis haud ignotum eſt phyſicis: ſed ne anima quidẽ niſi naturas quaſdam ſuo corpori organico impertiat, forma viuentium rerum dici poteſt, cùm ſit ἐντελέχεια prima, non primę materiæ quæ planè informis eſt, ſed ſit phyſici cuiuſdam & organici corporis (vt Ariſtoteles inquit) ἐντελέχεια quædam. Quamobrem vt perempta anima ſimul & craſin animati corporis itemque potentias ipſius, propriasq; actiones & paſſiones aboleri neceſſe eſt, ita quoq; in expertibus animæ naturalibus ſubſtantijs, perempta

forma eſſentiali (ſed non impedita) neceſſe eſt craſin ipſarum propriam, nec non proprias potentias actionesq́; & paſſiones aboleri. Incolumi enim ſubſtantia .i. forma eſſentiali, quę ipſius ſunt propria ex neceſſitate permanẽt & perdurant, corrupta autem, ſimul illa quoq; corrumpi & interire neceſſe eſt, vt potentias proprias rei naturalis. Quas rationes cùm non animaduertant phyſici iſti, mirum non eſt, ſi cum veteribus philoſophis à veritate aberrent & hallucinentur. Qui quod principalium cauſarum, id eſt, formalium proprium eſt, id inſtrumentalibus cauſis, id eſt, qualitatibus & craſibus earum adſcripſerunt, perinde facientes vt illi qui tripedis cauſam non fabrum eſſe dicunt, vel artem ipſius, ſed ignem, ſine quo opera fabrilia effici nequeunt. Verum hoc cùm Ariſtoteles accuratiſſimè refellat, longiore oratione nõ opus eſt, qua recentiorum errorem pluribus cõfutemus, ne actum (vt prouerbio dicitur) velimus agere. Propriæ itaq; potentiæ, ſeu vires, ſeu facultates rebus cùm animatis tũ inanimatis, propter formas naturales ſeu eſſentiales inſunt, q̃ omnes aut abſtruſę dicuntur ſeu latentes, & quarũ cauſæ à nobis expli-

explicari nequeunt, aut ſunt manifeſtæ, vt quarum cauſæ à nobis intelligi queant. Vt ſi dicã abſinthium abſtergere bilioſum humorẽ in ventriculo propter ſaporem amarum, & adſtringere roborareq; eundẽ ꝑꝑ adſtrictoriam qualitatẽ, aut quãdo pituitoſo ventriculo ipſum obeſſe abſinthiũ dicimus, ꝙ videlicet adſtringendo magis adglutinet pituitã & non abſtergat, manifeſtis ſcilicet cauſis potentiã abſinthij declaramus. Sed quando rhabarbarũ aut ſcamoniũ vim purgandi flauã bilem habere dicimus, ꝑꝑ quam cauſam habẽt facultatẽ iſtam, nullam aliã afferre poſſumus, quam formã & potentiã eſſentialem ipſorũ. Forma igitur ſubſtantialis, aut ꝑꝑ formas illas ſubſtantiæ naturales efficaces eſſe dicũtur ad agendũ aliquid aut operandũ, aut ſe ipſis immediatè, vt magnes q potentia ſua eſſentiali immediatè ad ſe allicit ferrũ, & ſcorpio immediatè veneno ſuo interficit hominẽ. Aut mediãte aliquo tanq inſtrumẽto vires & potentiam ſuam exercent, vt ventriculi forma ſubſtãtialis vim occultã & ſubſtantialẽ in ſe habet concoquẽdi cibos, ſed hac vi ſeu potentia ſic ꝑditus eſt, vt tñ nõ poſſit hanc actionem præſtare ſine inſtrumento

manifestæ qualitatis, quę nimirum est crasis non ea qua ipsius substantia constituitur, sed ea crasis quæ proprium ipsius sit accidens, nempe sanitas ipsius quæ definitur temperamento quatuor primarum qualitatum, sine quo nullam vim habet ad concoquendum cibos. Et hæc causa fuit vt talibus crasibus Galenus & plerique medici potentiam essentialem rerum animatarũ definirent, nec ferè aliud est quod veniat sub considerationem medici, quam totius contemperatio primarum qualitatũ, quibus efflorescũt sanitates aut morbi in corporibus animatis. pleraq; enim laborantia corpora propter discrasian sanitati restituimus, aut calefaciendo eas, aut refrigerando, aut humectando, aut siccando. Substantiarum autem propriæ crases, quibus constituuntur & generantur substantiæ, medicinæ non sunt subiectæ, quoniam amissæ recuperari nequeunt, & abolitis, vita morte solet permutari. Quod diximus de ventriculo, ratione vegetationis seu nutricationis, idipsum quoq; intelligi debet de reliquis partibus animati corporis, quæ vegetationis opus exercent, duntaxat substantiali & abstrusa potentia sua: sed vtuntur

tur tamen crasibus suis tanquam instrumentis, quæ permutari possunt discrasiis, ad expediendas & exercendas vegetationis ἐνεργείας. Simili modo efficacia quoq; dicimus esse medicamenta, siue occulta vi operentur siue manifesta quadam qualitate, quæ tamen sine instrumento caloris naturalis corporis nostri nihil efficere possunt. vt piper qualitate sua latente seu substantiali non calefacit corpus sine adminiculo caloris corporis, quo potentia piperis calefaciendi tanquam organo ad actũ caloris reducitur. Idem est de reliquis iudicandum. Nonnunquam manifestæ qualitates medicamentorum cum efficacia abstrusarum potentiarum pugnant ac dissident, vt pp manifestam qualitatẽ de vi occulta medicamenti non satis tutò pronuncietur, vt verbi gratia, non si quid amarum gustu sentiatur aut acre, ob id ipsum calefaciendi quoque facultate præditum erit, potest enim fieri, vt quod amarum est valde refrigeret, vt oppium, aut etiam mediocriter refrigeret vt cichorium, aut lactuca syluestris, quæ occulta vi refrigerant, quãuis amara existant. Acrimonia quædam gustu percipitur, si camphoram linguæ ad-

moueas & eam degustes, de qua tamẽ nemo dubitat, q̃n validissimè refrigeret corpus nostrum. Quin etiam quæ lenta & tenacia sunt specie, pleraq; obstruunt meatus, nihilominus cremor glutinosus hordei nequaquam obstruit, sed vim habet aperiendi meatus & detergendi. Nec non etiã lac amygdalinum imperitis hominib. videtur obstruere, quia lacteã habeat speciem, & tamen aperiẽdi vim habere & penetrandi nouerũt medici. Itaq; non semꝑ manifestis illis secundis qualitatibus, q̃ nimirum sensus nostros afficiunt de abstrusis potentijs medicamentorum temerè est pronunciandum, sed experientiæ standum est, vt Gale. docet in lib. de simpli. medicamen. Triplici porro modo distinguuntur potentiæ agentiũ in corpore nostro. Vnus est eorum quæ secundum naturam nos afficiunt, morbosq; sine detrimento aliquo depellunt. Alter modus est eorũ quæ contra naturam nos afficiunt, & morborum mortisq; causa esse possunt, vt sunt deleteria. Tertius modus est eorũ, quæ nos partim secundum naturã afficiunt, partim cõtra naturã, vt alexipharmaca & theriaca, itẽ medicamenta purgantia, q̃ in medio loco

sunt

ſunt eorum, quæ iuuant per ſe aut q̃ nocẽt. Theriaca enim ſalubris eſt per accidens, ꝗ videlicet calorẽ naturalem excitãdo vimq́; expultricem irritando in cauſa eſt. vt qui in corpore ſint maligni & peſtiferi humores verſus exteriora & ad cutem expellantur, nonnunquam ſudorem eliciendo, aut inſenſili tranſpiratione id euacuando. Calor autem naturalis vnà cum theriaca malignum quoq; conſumit humorem ab internis partibus ad exteriora profligans, vt non per ſe ſed per accidens iſtud efficere videatur remedium theriacæ. Sed de his conſulendus eſt Galenus. Non .n. pluribus commemoranda hæc duxi. Loquimur in præſentia de potentijs non patiendi habilitatem: ſed efficiendi quippiam efficacitatẽ ſeu efficientiã habentibus, quas diſtinguimus in occultas ſeu latentes & in manifeſtas. Appellamus manifeſtas qualitates eas quæ ſenſus noſtros afficiunt, quorum quot ſint genera omnib. eſt perſpicuũ. Elementorum autẽ quatuor primæ qualitates, quę ſenſu tactus percipiuntur: omnibus ſunt notiſſimæ, vt his nihil poſſit eſſe manifeſtius, quarum adminiculo miſcentur elementa ipſæq́ue adeò mixtæ ſubſtantiæ

omnes generantur ijſdem & corrumpuntur, ita vt ſingularum ſubſtantiarum mixtorum corporum ſint quędam ἰδιοσυγκρασίαι (vt verbi gratia) alia craſis eſt ventriculi ſubſtantiæ, & alia craſis eſt ſubſtantiæ carnis, & alia craſis iecinoris, & alia cordis & alia cerebri, & alia abſinthij, alia pulegij, alia rhabarbari. Et in ſumma quotquot formarum ſubſtantialiũ differentiæ ſunt, totidem etiam ſunt temperamẽtorum ex elemẽtis mixtorum quibus tales ſubſtantiæ generantur differentiæ: deinde aliud genus craſεως ipſis accidit, quo bene aut malè, ſecundum aut contra naturam ſe habere dicuntur, quæ nimirum craſes ipſis accidunt, tanquam potentia vel impotentia naturalis, vt nimirum potentia naturali quædam validiora ſint & efficaciora, vt Origanum in Creta naſcens valentius operatur, quàm quod naſcitur in Germania, quod inefficacius eſt propter impotentiã naturalem, & imbecillius. Tertij generis temperamenta ſeu craſes exiſtunt q̃ mixtis ſubſtantijs inſunt tanquam habitus quidam, qui permutari poſſunt ſuo contrario, habentq́ue ſanitatis & morbi rationem ac diſcrimen. Siquidem aliud eſt potentia eſſen-

ſentialis, nec non etiam naturalis potentia à temperamento ſuo proueniens, quod ſimul cum partibus naſcentibus incipit eſſe, & aliud ſanitas. Nam ſanitas ſi permutatur morbo, non etiam neceſſe eſt potentiam naturalem permutari impotentia naturali, vt ſi εὐεξίᾳ præditus quiſpiam morbo laboret quodam, ob id non eſt neceſſe vt morbo perimatur aut aboleatur optimus corporis habitus. Quo omnino conſtat aliud ſanitatem eſſe & aliud potẽtiam naturalem. Inſunt autem omnibus rebus animatis ſanitates ſuæ, nec non etiã morbi. Nam & animalium ſanitates eſſe dicimus, prçterea etiam ſtirpium, ſimiliter etiã morbos, è quibus ſtirpes aliquando recreantur & reſtituuntur, ſuç ſanitati ſanas eſſe dicimus. Aliquando autem morbi ſunt inſanabiles, vt eiſdem emoriantur. Viuentibus omnibus tres illæ inſunt differentiæ propter qualitates quatuor primas elemẽtorum, ſine quibus nec generari nec corrumpi poſſunt, primis ſcilicet his & maniſeſtiſſimis exiſtentibus qualitatum potentijs, ſine quibus materia prima nulli generationi aut corruptioni eſt obnoxia. His enim conſtituuntur componunturq́;, eiſ-

demque diſſoluuntur & intereunt omnes ſubſtantiæ mixtorum corporum, vt generationis & corruptionis cauſa in patientibus corporibus,& quatenus in ſe habēt habilitatem patiendi,nullo modo ſit referenda ad occultas & latentes qualitates aut potentias,qualem occultam potentiam dicimus eſſe habilitatem patiendi in ferro, quoad trahitur à magnete, aut in leone quoad terretur conſpectu galli gallinacei, quales habilitates patiendi,occultis potentijs ſeu proprietatibus adſcribimus. Ex his quæ diximus concludendum, potentiſſimas eſſe qualitates primas elementorum, & agendi efficacia, & patiendi habilitate. Et à verò alieniſſimum eſſe quod ſcribit Paracelſus de his qualitatibus, eas eſſe quaſi reliquias ſeu quiſquilias, ſeu cortices potentiarum occultarum, quas ille ſolus in rebus naturalibus efficaces & magni momenti exiſtimat eſſe. In contrario errore verſantur recentiores nonnulli medici,qui ferè omnem potentiam & efficaciam medicamentorum craſibus adſcribunt efflo-reſcentibus è mixtione primarum qualitatum, negantq; vires & facultates illas ineſſe ſubſtantijs, aut pp formas ſubſtantiales,

les, quod nimirum propemodum omnia medicamenta non tam ratione quàm sensu notis facultatibus actiones suas pręstare in medendo, vt calefaciendo, refrigerãdo, humectando, siccando, incidendo, extenuando, abstergẽdo & similibus efficacijs queant, q̃ medicamentis insint non causa substantiæ, sed ratione materiæ & mixtionis primarũ qualitatũ, quibus tales generentur crases seu huiusmodi temperamẽta ad agendũ efficacia. Horum errorem satis superq; præcedentib. argumentis confutatos esse arbitramur. Equidem haud inficiamur qualitates quasdam in medicamentis prouenire & generari primarũ qualitatum mixtionibus, sed tamẽ opificio formæ substãtialis, vt sunt qualitates secundæ, q̃ saporibus distinguuntur, & quas paulo antè recẽsuimus efficaces scilicet vel ad incidendũ humores, vel ad abstergendum eos, vel ad meatus obstruendos, aut eosdẽ obstructione liberãdos. Quæ verò medicamentis adscribunt efficaciæ, quib. potentes sint vt calefaciant, aut refrigerẽt, aut humectẽt, aut siccẽt corpus nostrũ afficiendo scilicet ipsũ qualitatib. his sensu manifestis & elemẽtorũ ꝓprijs, eas negamus manifesta qualitate

(quemadmodum insunt in elementis) sed occulta vi & potentia propter substantiam seu formam substantialem, & nequaquam materialiter inesse ipsis medicamentis statuendum. vt, verbi gratia, negamus calorẽ absinthij calorem esse ignis, quod videlicet calor ignis manifestus sit & tactu nostro percipiatur, alijsq; omnibus corporibus calefaciendis adhiberi potest & solet. Sed occulta vis ipsius absinthij est, & cuius actione non nisi calore animalis potentiã ipsius actu caloris permutari contingat, ꝙ proprium esse dicimus occultarum potentiarum seu abditarum facultatum, quæ nõ vt ὁμοιοδεῖς, sed κατ' ἐντελέχειαν afficiunt patientia corpora, vt occultis potentijs nimirum manifestæ qualitates producantur in patiente corpore. Etenim corpora animata (vt alias diximus) non occultis sed manifestis primis qualitatibus & ex ijs mixtis temperamentis generantur conseruanturq;, & postremò etiam corrumpuntur. At verò cuiquam dubium esse potest, quin alia sit ipsius absinthij, & alia sit caliditas ignis, quam efficit in corpore nostro nimirum hac existente materiali, & quæ ꝓpria sit elementorum, illa verò existente formali

mali

mali & quę propria ſit ſubſtantiæ ipſius abſinthij (vt iam antea probatum eſt) & quæ craſis nequaquam exiſtit, quæ craſis ſemper exuperante quodam elemento vim ſuam exercet. Itaq; conſtat potentias has medicamentorũ & vires modo dictas proprias eſſe ſubſtantiæ medicamentorũ occultasq́; appellari ſeu latentes, eodem nomine, ſed non eadem ratione, qua ſenſui manifeſtæ in elementis eſſe dicuntur. Secundæ autem qualitates, vt colores, odores, ſapores, tametſi earum formalis etiam exiſtat in medicamẽtis ſeu eſſentialis cauſa, nihilominus magis adſcribuntur materialibus cauſis, nempe mixtorum elementorum temperamentis, cùm ſubinde mutabiles ſint in ſubſtantijs tanquam ſubiectis naturalium rerum. Siquidem à ſapore vno in ſaporem alium fit tranſitio manente eadem ſubſtantia. Item in colore & odore ſint ſimiles mutationes, vt eſſentia tamen nõ mutetur rei naturalis, vt tales qualitates non omnino propria ſubſtantiarum ſed quodammodo παραϐιάδες dici mœreantur corporum ſeu ſubſtantiarum naturalium. Ex quo eſt euidens quæ nam facultates aut vires ſint totius ſubſtantiæ pe-

culiares & propriæ, & quænam certis quibuſdam ſecundis qualitatibus aut etiam tertiis ſint adſcribendæ. Quando Galenus ſcribit conſubſtantiales potentias totius ſubſtantiæ eſſe proprias, id non accipiendum eſt, vt nonnulli interpretantur de toto materiali quod cõpoſitione ſeu mixtione quatuor elementorum deſcribitur, quibus non ſubſtantiale ſeu eſſentiale, ſed duntaxat vnum, ſecundum accidens conſtituitur. Mixtionis enim cauſa aliquid dicitur vnum ſed non per ſe tertio modo (quę explicantur in primo libro analytico: poſte. ab Ariſtotele) verum per accidens vnum quo totum ſubſtantiale nequit definiri. Tota autem ſubſtantia dicitur propter compoſitionem formæ & materiæ, cum pars & non tota ſubſtantia ſit ipſa forma & non etiam ipſa materia. Perinde ergo eſt ac ſi quis dicat, aliquid propriũ eſſe ratione totius ſubſtantię, atq; ſi diceret proprietatem aliquam eſſe in naturali re ſeu ſubſtantia ipſius, propter formã ſeu eſſentiam ipſius ſubſtantiæ. Nã forma, præcipuè ſubſtantia conſtituitur, & nõ materia. In mixtis autẽ corporibus eſt materia, ſeu materię rationem obtinet quatuor elementorum com-

cõmixtio, in qua commixtione necesse est aut vnam qualitatẽ solam, aut vtplurimum duas exuperare, quam exuperantiam quidam sic interpretantur, vt hoc modo rem naturalem non tota substantia, sed ex parte quadam substantiæ elementaris vim & efficaciam ad agendum vel alterandum habere dixerint. Tum demũ autem tota substantia sua potentem & efficacem esse dicunt, si æqualis omnium primarum qualitatum vis & efficacia fuerit in agendo. Hæc autem æqualitas (si est, aut esse potest) nempe æqualitas ad pondus, & non ad iustitiam (vt eam appellat Galenus & Medici) non nisi vna poterit ad numerum esse. Quare sequitur etiam vt non nisi vna possit esse potentia, qua res naturales tota substantia sua ad alterandum, seu efficiendum quippiam sint efficaces, quo nihil dictu absurdius. Huius sententiæ autores vltrò tamen confitentur, plurimas esse occultas rerum vires, actionesq; in patientibus corporibus specie inter se differẽtes, nedũ vt numero vna exsistat. Quare ipsi se ipsos suo gladio, (vt prouerbio dicitur) iugulãt, & à seipsis dissentiũt propter principiorũ quib. vtuntur falsitatẽ.

in probando. Nos autem toti ſubſtantiæ illas actiones adſcribimus, nec non vires & poteſtates, quarũ nulla alia cauſa eſſe poſſit quàm ſubſtantia aut forma ſubſtantialis ipſa, vt ſunt, quæ κατ' ἐντελέχειαν afficiunt aut mouent aliquid ſeu alterant, non quod habeant eandem qualitatem quas producunt in patientibus, cuiuſmodi ſunt agentia quæ ὁμοειδῆ appellamus. Quapropter hac latente & abſtruſa efficacia, cuius cauſa ſit ipſa ſubſtantia, cœleſtia corpora dicimus agere, calefaciendo, refrigerando hęc inferiora, item humectando & ſiccando, & præterea etiam formas quaſdam ſubſtantiales animatorum & inanimatorum corporum producendo. Simili quoque vi, reſpectu talium qualitatum quas efficiunt in patientib. corporibus, efficacia dicimus eſſe medicamenta, id eſt, ratione totius ſuæ ſubſtantiæ calefacere, refrigerare, humectare, & ſiccare noſtra corpora, & nequaquam id facere manifeſtis qualitatibus, vt ſuprà diximus. Alterum genus eſt proprietatum totius ſubſtantiæ, quibus res naturales ſunt efficaces non alterando patientia corpora qualitatibus primis, ſed quoad patientia corpora ipſa quoque ſecundum

pro-

proprietatem quandam ſubſtantialẽ, qua habiles ſunt, vt moueantur etiam ſine quadam alteratione, vt verbi gratia, proprietas eſt totius ſubſtantiæ in magnete, vt ferrum afficiat qualitate quadam perficiente ferri ſubſtantiam, qua affectum ferrum verſus magnetem moueatur, aut vt vulgo dicitur, à magnete attrahatur. Simili modo purgantia medicamenta dicũtur etiam proprietate totius ſubſtantiæ, & non alterando ſeparare inutiles humores ab vtili ſanguine, & eoſdem vel trahendo ad ſe (vt vulgò putant) vel irritando venenoſum genus ad excretionem, cauſa eſſe purgationis exiſtimantur. Nonnulla ſunt quæ proprietate ſuæ ſubſtantię & alterare poſſunt qualitatibus primis patientia corpora, & præterea etiam producunt alteratis ipſis formas ſubſtantiales ſeu ſubſtantias quaſdam. vt ventriculus alterando cibum qualitatibus manifeſtis generat ſubſtantiam chyli, & venæ alterando chylum procreant ſubſtantiam ſanguinis, & caro alterando ſanguinem generare poteſt ex ſanguine carneam ſubſtantiam, qua ratione nutriens dicimus fieri ſimile nutrito in ſubſtantia. Simili modo ſtirpes quoque ſuos humores

alterant, mutando eos in ſubſtantiam radicis, ſtipidis, & ligni, & ramorum, foliorum, florum & ſeminum. Nec non etiam cœleſte corpus alterando producit in terra plurima corpora inanimata, vt metalla & lapides omnis generis. Quod autẽ effectus ſubſtantiales non poſſint produci ſine alterationibus his, & niſi efficiens quoque cauſa ſit ſubſtantia, alio loco eſt demõſtratum. Nam & accidentia aliàs non tantùm producuntur ab accidẽtibus vim efficiendi habentibus, ſed etiam à ſubſtantijs carentibus ſpecie illius accidentis: vt quando ſubſtantiam alterare dicimus in ſtirpibus, non etiam ipſas ſubſtantias, id eſt, formas ſubſtantiales pro qualitatib. numerare debemus. Aut ſi ipſum cœlum, cùm tamen manifeſtum ſit, ipſum cœleſte corpus vacare talibus qualitatibus. Non enim vti ſubſtantias neceſſe eſt produci à ſubſtãtijs, ita quoq; oportet ſemper accidentia ab accidentibus generari, cùm poſſint etiam à ſubſtantijs procreari. Sed de hoc aliàs dictũ fuit. Deinde quot ſpecies ſunt rerum naturalium, totidem quoque proprietates ſunt earum tota ſubſtantia differentium, totidẽ etiam ſunt diſcrimina temperamentorum
&

& mixtionum ex quatuor elementis, cum ſuo quæuis res naturalis temperamẽto ſeu craſi propria & generetur & conſeruetur. Sic abſinthij proprium temperamentum eſſe dicimus, & pulegij, & quercus, & vitis, & hominis, & canis: ſingulorum autẽ temperamentorum vt materia non vna eſt cõmunis, ſic efficientes etiam cauſæ earum craſεων totidem ſunt, quot ſunt differentię ſpecierum ſeu ſubſtantiarum, quæ temperamentis his generantur conſeruanturq́;. Succus terræ vnus idemq́; eſt ſpecie, quem plurimæ ſtirpes ad ſe alliciunt, aut diuerſa ſemina ad ſe trahunt, nihilominus hunc vnum ſuccũ contingit in tam varios & diſpares ſuccos permutari, quotquot nimirũ ſunt ſpecies ſtirpiũ aut ſeminum, quæ tali ſucco vegetantur. Vt ſi eodẽ loco naſcantur, lupulus, pulegium, abſinthiũ, ſcammonium, helleborus, vnum quodque iſtorum communem humorẽ terrę permutabit radicibus ſuis in ſucci ſubſtantiã, quo vegetari poſſint omnes partes ſtirpis, de quo paulo antè dictum. Mutationis autem horum ſuccorum cauſa eſt ſubſtantia ſingularum partium, in quæ recipiuntur tales ſucci nutrituri, quibus ſubſtantijs ex communi hu-

morum temperamento fit proprium temperamentum, eiusq; temperamenti forma eſſentialis quædã efflorefcit. vt aliud temperamentum eſt in ſucco radicum hellebori, & aliud temperamentum radicum in ſucco abſinthij. Nam vt efficientes cauſæ nempe radices ſpecie eſſentiali differunt inter ſe, ita quoq; ſucci earundem & temperamenti forma eſſentiali diſtinguuntur inter ſe. Et hoc modo efficientiæ huius formarum naturalium ſeu ſubſtantialiũ cauſæ ſunt principales, & non mixtiones ſeu materiæ temperamentorum, quæ nõ ſunt niſi organicæ cauſæ, & ſine quibus principales nõ poſſunt exiſtere: quas tamen Empedocles cum recẽtioribus nonnullis phyſicis principatum habere arbitratur. Quæritur hoc loco, quemadmodum ſucci ſtirpium, quibus vegetantur & viuunt, ſpecie differentium ipſi quoq; ſucci inter ſe ſpecie & forma eſſentiali differant: ita quoq; humores animalium, quibus nutriũtur & vegetantur, vtrum inter ſe diſcrepent etiam ſpecie, vt chylus equi à chylo bouis, aut ſanguis equi à ſanguine bouis, item oculus bouis ab oculo equi aut hominis. Videntur enim hæc vt ſpecies animalium eſſentiali-

tialiter inter ſe differunt, ita quoq; ipſa inter ſe differre ſpecie ſeu eſſentia. At oculus non videtur eſſentialiter differre ab alio oculo, nec caro à carne, nec ſanguis à ſanguine: quandoquidem eiſdem ἐνεργείαις & facultatibus, & ijſdem vſibus inſeruiant, tanquam inſtrumenta animæ, partes huiuſmodi integrales. Ad hanc dubitationem reſpondemus, videlicet dupliciter conſiderari partes in animalibus. Quædam enim partes conſtituere ſubſtantiam ſeu eſſentiam animalis dicuntur, quæ tamen λόγῳ ſunt atq; φύσει toto cōpoſito priores. Quarum vna eſt anima ipſa, altera verò eſt corpus organicum, quod materia ſeu ſubiectum dicitur eſſe animæ. Alterum genus partium eſt, in quas partes totū cauſa quātitatis diuiditur, quod ipſum totum reſpectu harum partium integrale appellatur, q̃ partes poſteriores ſunt τῷ λόγῳ toto eſſentiali, quoniam in partium illarum definitione includitur totum eſſentiale. At quæ includuntur in definitione alicuius, idipsū definito prius τῷ λόγῳ eſſe oportet. vt verbi gratia, ſi definitur ſanguis, aut chylus, aut caro, aut oculus, aut cerebrum, quid ſint iſta intelligi nequeunt, niſi animalis in

definitione nondum mentio fiat. Ex quo perſpicitur partes illas integrales, quę in omnibus animalibus eadẽ potentia & ἐνεργεία definiuntur, ſpecie inter ſe non differre, quibus ſpeciebus differunt inter ſe ſubſtantiæ animalium. Sanguis enim aut caro, aut oculus non eſt pars aſini aut bouis, quia aſinus aut bos, ſed quia ſunt vnum aliquid genere, nempe quia ſunt animal quoddam, vt cuius partes eſſe dicantur tanquam totius integralis, cuius proprium eſt poſſe nutriri & poſſe ſentire. Nutriri enim ſeu ſentire non eſt proprium bouis, quia bos, aut aſini, quia aſinus, aut hominis, quia homo, ſed quia habent vnam quandã eſſentiã, quatenus animalia exiſtunt. Itaq; partes illæ in diuerſis ſpeciebus animalium ſpecie non different inter ſe, quamuis vt tota eſſentia differant inter ſe ſpeciebus, quarum ſpecierum ſunt quoque propriæ actiones ſeu propria πάθη quædam, vt hominis quatenus homo propriæ quædam ſunt affectiones, & bouis quatenus bos, & aſini itidẽ quatenus eſt aſinus propria πάθη eſſe dicimus. Neq; verò propriũ cuiusq; temperamentum impedit, quo minus vna.

ea-

eademq; essentia generis .i. animalis participent. Non enim species hominis nascitur, vt animalis essentia perimatur, sed vt perficiatur. Idem sentiendum de reliquis. Hoc enim modo τόδε μετὰ τόδε & non τόδε ἐκ τούτου nasci dicimus. Proinde forma tanquam substantia dicitur esse in materia prima vt in substantia, & non in ipsa crasi tanquam subiecto, quoniam substantia ex substantijs componitur, quare crasis cùm non sit substantia, sed qualitas quædam, cum forma non constituet τόδε τι seu substantiam: quandoquidem substantia constituatur ex substantijs, vt ex materia & forma. Veruntamen crases singularum substantiarum propriè determinant materiam primam, vt ex ea fiat vernacula seu οἰκεία materia cuiusque formę substantialis. vt crasis propria sanguinis in causa est, vt forma sanguinis insit in materia ipsius. Ita quoque crasis cordis, & crasis cerebri, & crasis totius hominis in causa sunt, vt propter crases illas singulæ formæ insint in singulis vernaculis materijs suis, quib. solutis crasibus & corruptis, forma quoq; desinit esse in materia, & pfectissimè temperatis crasib. seu tempamẽtis, forma diutissi

mè materiam ſuam informat propter ἀπάθειαν. Talis enim temperatura non facilè diſſoluitur. Mala autem & vitioſa temperatione ſubſtantia rei naturalis non diu retinet ἕξιν ſuam .i.formam ſubſtantialē, ſed breui tempore durat. Eædem ſunt cauſæ etiam longæ & breuis vitæ in animalibus: ſed de his alio loco dictum eſt. Craſes porrò ſeu temperaturæ tales ſubſtantiales in animatis corporibus plaſtica facultate ſeu potentia effectrice conſtituuntur. Quā primum enim plaſtica facultas actionem ſuam perfecerit in ſanguine & ſemine efformando ex ipſis embrionem, tantiſper efficaciam ſuam exercet, donec abſoluerit corpus phyſicum & organicum, quod informari poſſit ſpecie animæ, quā informatione euaneſcit & deſinit plaſtica facultas, & in perficiendo fœtu reliquum tempus actionibus animæ informantis attribuitur, quibus augeſcit & perficitur gradibus quibuſdā fœtus. Informans aūt anima materiam ſuā imperfectas temperaturas partium organicarum & phyſicarum perficit & complet, vt ijs potentia animæ, nempe vegetatrix, item ſentiens mouenſq; ἐνεργείαις ſuis exercendis benè & commodè vti poſ-

possint. Ac primo potentia vegetatrix animæ organa seu instrumenta nutritionis suis temperaturis ceu crasibus perficit. Deinde his perfectis posterius suis etiam temperamentis perficit organa sensus & motus, quibus ad suas ἐνεργείας exercendas vtitur anima. Postrema perfectio est, qua nimirum perficitur temperatura & crasis, quæ vniuscuiusq; speciei propria est, vt qua homo hominis ἐνεργείας possit exercere, & qua bos bouis actiones possit præstare, & asinus asini. Ratione enim crasεως hæ potentiæ secundum prius & posterius τῇ γενέσει inter se differunt, vt posterior potentia semper sit perfectior priore. Quibus omnibus generatione perfectum absoluitur animal seu species animalis, tametsi potentiæ animę oẽs simul existant (quoniã forma substantialis partibus est indiuidua) nihilominus propter perfectiones organorum & eorundem temperamentorum Aristoteles priorem dicit esse vegetatricẽ potentiam, quam subsequatur potentia animæ sentientis & mouentis, & illam postremò subsequatur potentia animæ speciẽ constituentis animalis: vt potentia animæ humanæ est, qua proprias exercet ἐνεργείας

hominis, & bouis qua exercet bos, quæ propria ſunt bouis: idem de reliquis ſentiẽdum. Ex his, quæ diximus, liquet duo eſſe genera temperamentorũ in animalibus: Vnum, quod proprium ſit cuiusq; ſubſtantiæ, quo ſaluo & incolumi ipſa quoq; ſubſtantia ſit integra & incolumis, & quo corrupto ipſa quoq; aboleatur ſubſtantia. Hoc modo etiam craſin ſubſtantialẽ, ſeu temperaturam dicimus eſſe carnis humanæ, & aliam cordis humani, & aliã cerebri: nec nõ etiã cordis bouini aut aſinini tẽperaturam ſeu craſin. Nullo modo enim temperatura carnis humanæ poteſt etiã eſſe temperatura ſeu craſis, qua cor aut cerebrũ humanũ conſtituantur. Simili modo tẽperatio cordis humani ſimilis nequaquã eſt temperamento cordis bouis, aut cerebri temperamentũ humani ſimile eſſe poteſt temperamento cerebri aſinini. Quas differentias temperamentorũ faciunt differentiæ ſpecierum, quib. differunt inter ſe ſubſtantiæ animaliũ eſſentialiter: quin etiam horum oĩum temperamentorum cauſa materialis eſt mixtio primarũ qualitatũ in elementis, in quib. craſes illæ diſcrepantes conſtituuntur ꝑꝑ formas, quib. differunt inter ſe ſub-

ſubſtantiæ: vt ſubſtantia cordis à ſubſtãtia cerebri, & ſubſtantia hominis à ſubſtantia bouis. His ſolutis craſibus vitã morte permutari neceſſe eſt. Quin etiam ſeneſcẽdo paulatim iſtæ craſes diminuuntur, qua diminutione diſtinguuntur etiã inter ſe gradus ætatũ, vt longa vita differt à breuiore vita pp temperamentorũ illorũ differentiam, de quo paulo antè etiam admonuimus. Alterum genus eſt temperamenti, qđ quaſi ſanitas eſt ſubſtantialis tempamenti, quoddam accidens exiſtens, quo nimirum organa perficiuntur tanq̃ habitu quodã, vt ſuas ἐνεργείας poſſint exercere. Huic ſanitati in humorib. & in reliquis partibus ſimilaribus opponũtur duo genera morborum, quorũ vnum qualitate aliqua manifeſta lędit potentiã actiuam aut paſſiuam corporis ſimilaris .i. aut ratione caloris aut frigoris, aut humiditatis, aut ſiccitatis: alterum lædit occulta quadã contrarietate, quã læſionem Græci vocant διαφθορὰν; vt verbi gratia, ſanguinem διαφθορᾷ laborare dicimus, quando non ſenſili quadã corruptione laborat, ſed vitio quodam, quod manifeſtæ qualitatis alicuius vocabulo non poteſt exprimi, quod vitium ſimile eſt autore

Galeno acefcenti vino: huiufmodi corruptela laborat etiam fanguis propter morbum gallicum, qui nullius exuperantia primæ qualitatis definitur, fed totius crafeως διαφθορᾷ quadam, quæ curari etiam non poteft nifi medicamento, quod proprietate totius fubftantiæ fit huic corruptelæ oppofitum, vt decoctum eft ligni guaiaci, quod curat (vt dicunt Medici) occulta quadam vi & qualitate non manifefta morbũ gallicum. Aliud genus eft corruptionis, quo afficitur interdum fubftãtia ipfa folidi corporis animati, propter crafin fubftantialẽ, cuius detrimentum etiamfi morbo fuccurratur, tamen recuperari aut in priftinã integritatem reftitui nequit. Qualia initia corruptionum marafmum folent appellare, aut febres μαρασμώδεις. Nam fi maximè definat in hoc genere morbus, nihilominus priftinum temperamentum irrecuperabile eft, & reftitui nequit, quale temperamentum fubftãtiale humidum & calidum natiuum Medici appellant. Nonnulli initium hoc in folidis partibus, fphacelon nominant, quo præfertim fignificare dicunt fubftantiæ offis corruptionem, quamuis cerebro quoque accidere σφάκε-

λον

λον Hippoc.ſcribit in Aphoriſmis. His,quæ hactenus expoſuimus,liquet, temperamẽtumquod medici appellant ad iuſtitiam,tã ignotum eſſe & latere ſenſus noſtros, quã formæ ſubſtantiales ſenſus noſtros effugiunt, & hac ratione pro occultis & latentibus ſeu abſtruſis habenda hæc omnia eſſe, quemadmodum pro manifeſtis & minimè obſcuris qualitatibus habentur,quæ ſenſibus noſtris apprehenduntur, vt ſunt qualitates elementorum,nec non ſecundæ qualitates, quæ ſub ſenſum noſtrum veniunt,vt ſunt ſapores, odores, & tactiles qualitates ſecundæ. Quarum qualitatum partim formales,partim materiales differentias & cauſas eſſe ſtatuimus. Proinde conſiderandæ diligentiſſimè tres illæ temperamentorum differentiæ, quorum vna eſt, quæ ſubſtantialis ſeu eſſentialis temperatio appellatur ,vt qua generatur aut epar, aut qua cerebrum, quarum vnum eſt genere temperamentum, ſed tamen nihilominus ſpecie multiplex ſecundum ſpecies animalium, quibus cor humanum diſtinguimus à bouino,& bouinum à canino. Similiter quoque epar & cerebrum ſimilibus differentijs diſtinguimus, quæ tamen

generis differentias in se continent easdemq́; perficiunt, & non perimunt, vt paulo antè fuit dictum. Alterum genus temperamenti, quòd accidens est substantiæ, siquidem permutabile est morbo; qui & ipse accidit substantiæ: ambo autem nec cõstituere nec perimere, nisi morbus perimat substantiale temperamentum, dicuntur. Hoc temperamentum si consideretur vt sanitas, causa est eius forma seu essentia. Morbus autem duntaxat materialem habet causam, & à solis prouenit elementis. Tertium genus temperamentorum complexionem esse dicimus, ac duntaxat materialẽ habet causam, quæ distinguuntur innumeris gradibus secundum magis & minus in latitudine sanitatis, vt ferè quot & quales sunt similitudines in figura faciei, totidem in complexionum gradibus discrimina inesse videantur. Hactenus quid nobis verum & consentaneum videatur esse de causis agentium & patientium corporum, sequentes Aristotelem, satis apertè, vt opinor, exposuimus. Nunc deinceps Aristoteleorum & Empedocleorum comparauimus inter se opiniones & sententias, quo magis perspicuum erit, Ari-

ſtotelis & non Empedoclis ſententiam eſſe ab eruditis hominibus probandam.

CAPVT V.

Comparantur inter ſe naturæ agentium & patientium corporum ſecundum Ariſtotelis & Empedoclis diſcrepantes inter ſe opiniones & ſententias.

SECVNDVM Ariſtotelem duo ſunt genera agentium rerum naturalium, & præterea etiam duo patientium: vnum eſt quod vim agendi habere dicitur ratione totius ſubſtantiæ .i. propter formam ſubſtantialem, quam aliàs vim & potentiam occultam ſeu latentem appellamus, quales ſunt potentiæ medicamentorum, quæ corpus noſtrum alterant manifeſtis elementorum qualitatibus, non tamen id faciunt quatenus ipſa prædita ſunt talibus qualitatibus, vt abſinthium dicitur calefacere corpus noſtrum qualitate caloris manifeſta, cùm tamen ipſum tali calore non ſit præditum, vt eo efficax eſſe dicatur, quemadmodum ignem calore ſuo manifeſto efficacem eſſe dicimus. Alterum genus eſt, quod manifeſtis ſenſui qualitatib. eſt præditum, vt elementa manifeſtis qualitatibus diſtinguuntur, quibus afficiunt corpus

noſtrum. Deinde manifeſtæ ſunt etiã qualitates ſecundæ, quæ, vt aliàs probauimus, propter elementorum mixtiones & alterationes in rebus naturalibus generantur, vt ſunt colores, ſapores, & tactiles ſecundæ qualitates, quarum partim cauſam eſſe dicimus formam eſſentialem rei naturalis, partim ipſius materiæ ſeu primarum qualitatum mixtionem. Similis differentia eſt patientium corporum naturalium: quædam enim dicuntur pati ſeu affici motu aliquo propter formam ſubſtantialem, vt quando ferrum patitur tractum à magnete, aut quãdo ſanguis patitur ſecretionem humorum inutilium ab vtilibus propter purgantes medicamenti vires aut potentiam. Paſſim multa ſcribuntur in phyſicis hiſtorijs de talibus συμπαθείαις & ἀντιπαθείαις ſubſtantiarum naturalium. Alterum genus eſt paſſionis, quando corpus naturale non ſecundũ ſubſtantiam ſuam ſeu potentiam ſubſtantialem, ſed propter craſin, aut manifeſtam qualitatem quandam .i. materialiter pati aliquid dicitur, vel ſecundum vel contra naturam: vt ſecundum naturam corpus noſtrum pati dicitur medicamentis, quando vel conſeruatur ſanitas ipſius,

ipsius, vel restituitur, quod sine alteratione primarum qualitatum seu crasium fieri nequit: siquidem secundũ formam substantialem (vt quæ neque magis neque minus recipiat) nihil alterari sit dicendum. Neq; etiam contra naturã alterationes possunt inesse rebus naturalibus propter formas substantiales, sed propter crases duntaxat, quæ formis substantialibus definiuntur & continentur. Hanc sententiam Aristotelis & nostram accuratè superiorib. capitibus explanauimus demonstrauimusq́;, vt denuo repetenda non videatur esse. Empedoclei autẽ physici naturam omnino negant inesse corporibus inanimatis, id est, formam substantialem inficiantur, & pro ea substituũt nobis crasin cuiusq; rei propriam .i. mixtionem quandam Elementorum certo temperamento definitam, quæ sit causa actionum & passionum omnium in rebus naturalibus agentibus & patientibus quidpiã. Et præter animam in corporibus animatis formam nullã aliam essentialem seu substantialem in rebus naturalibus esse opinãtur, & quæ destituantur informatione animæ, etiam destitui forma substantiam rei naturalis cõstituente. Qua

ratione omnes actiones & passiones rese-
runt ad mixtionis crasin seu ad materialẽ
causam, quæ composita est ex elementis, q̃
tamen principium & natura nullo modo
esse possit, cùm principiũ & natura non sit
quiddã compositum. Quamobrẽ isti phy-
sici vidẽtur mihi statim hallucinari ab ipso
limine, & vt Græcorum prouerbio dicitur,
ἀπὸ τῆς θύρας ἁμαρτάνειν, quando videlicet
differendo de naturalibus rebus ipsam na-
turam è medio tollunt, negantq; eã in re-
bus naturalibus inesse, & quod secundum na-
turam est, istud ipsum per se naturã esse iu-
dicant, .i. crasin esse ipsam substantiam rei
affirmãtes. Haud paulò absurdiora scribũt
de forma substantiali, quam ipsi animã ap-
pellant, quando videlicet vna forma sub-
stantiali dicunt omnes partes corporis o-
mniaq; viscera informari, q̃ nimirũ sit ipsa
anima, quæ vna sit numero, forma & spe-
cie, & natura in omnibus partibus vna ea-
demq;: vt nimirum substãtia epatis à cor-
dis substantia, & cordis à substãtia cerebri
nihil differat, & q̃ cordis sit substantia, ean-
dem quoq; esse ventriculi, venarum & cor-
dis: quibus nihil ne quidẽ fingi potest ab-
surdius. Quorum.n.substãtia & natura vna

ea-

eademq́; est, eorundem etiam necesse crasin eandẽ esse. Quare sequitur, vt quæ crasis est epatis, eadẽ quoq; sit cordis & cerebri, & omnium reliquarum partiũ, quod tamen ipsimet, si roges, falsissimũ esse confiterentur. Equidem confitemur & nos cũ Arist. animam corporis animati formã esse vnam & indiuiduã partibus naturisq́;, sed quæ tñ propagatis à se naturis quibusdã differentibus, informet, informandoq́; substantias constituat omniũ partium similariũ & organicarum, vt nimirũ alia natura sit epatis ab anima propagata, & alia natura propagata ab anima .i. forma substantialis alia sit cordis, & alia cerebri, & quarumlibet aliarum partiũ sint discrepantes naturæ, quib. officia sua & actiones, vegetando & sentiẽdo, & mouendo corpus exerceant. Harum omnium partium & naturarum, sic distributarum formis seu naturis, ab anima propagatis, vna anima numero omnibus est causa, quam Græci appellant συνεκτικὸν αἴτιον. Ipsa autem anima tanquam principium quoddam partium & compositionis expers cõtinet omnes partes naturasq́;, & vnã substantiã animati corporis ex tã multis natura discrepãtibus partib. con-

ſtituens. Vt autem natura partium .i. forma naturalis continet omnes in ſe qualitates earundemq́; qualitatum ſubſtantias .i. elementa, ſic anima vno numero exiſtens forma, continet omnes naturas ſubſtantiasq́; à ſe in corpore animato propagatas, & quæ à plaſtica facultate ſine anima à primordio generātur, priuſquam informentur naturis ab anima propagatis, cùm & ipſa plaſtica facultas numero vna exiſtat, & nihilominus procreet diuerſiſſimas ſpecie & natura particulas. Non minus etiam illud reprehendendum eſt, quod medicamenta dicunt materialibus .i. manifeſtis qualitatibus craſeωn alterare partes noſtri corporis, quemadmodū etiam partes ipſæ patiantur alterenturq́; materialibus qualitatibus, ſeu qualitatibus ſuarum craſeωn. Nos autem dicimus abditas eſſe facultates ſeu potentias in medicamentis alterantibus corpus noſtrū, & formę eſſentiali hanc actionem adſcribendam eſſe, non autem craſi ipſius ſubſtantiæ, qua non agat aut efficientiam aliquam habeat reſpectu patiētis corporis, ſed duntaxat generationis & conſtitutionis medicamenti, cuius ſubſtātiæ ſit cauſa. Nam ſine craſi ſubſtantiali

ſub-

ſubſtantia atq; forma ipſius neq; generari neque ſubſiſtere poteſt, ſed vt medicamenta potentijs occultis ſeu ſubſtantialibus alterant corpus noſtrum, ſic patiens corpus ab ipſis non ſecundum formam ſubſtantialem alterari, (quoniam talis forma nec magis aut minus recipit) ſed ſecundum ipſius proprias craſes moueri & alterari dicimus, .i. ſecundum qualitates materiales, quæ propriæ ſunt elementorum, quibus alterabilia dicimus omnia corpora. Nam medicamentis & calefit corpus noſtrum, & refrigeratur, & ſiccatur, & humidius fit, quorum nihil eſt quod per ſe formam ſubſtantialem ſeu ſubſtantiam efficere poſſit. Deinde etiam medicamenta qualitatibus ſecundis nonnunquam ſunt efficacia, quarum, vt ſuprà diximus, eſſentiam partim tranſcribimus formæ ſubſtantiali, partim verò qualitatibus materialibus primis. Patiuntur autem partes noſtri corporis partim propter qualitates illas, quibus ſecundum aut contra naturam afficiuntur, partim propter intra ſe contentas ſubſtantias, quæ excrementi rationem habeant, vt ſunt humores praui, qui nonnunquam etiam, vt in renibus & alijs nonnullis partibus, in

areneam aut lapideam ſpeciem aliquam concreſcunt. His dyſcraſijs vires medicamentorũ opponuntur, vt videlicet oppoſitis qualitatibus dyſcraſias partiũ emendent & corrigant, aut contentos in cauitatibus, vitioſos humores à corporibus continentibus ſeparent, eosque certis meatibus expurgent, vt trãſitus meatusq́; naturales nõ ſint occluſi, aut ne humores naturales alienis & prauis naturali temperamento priuentur. His tanq̃ contra naturam affectib. opponuntur medicamenta, quæ fermè ab omnibus autoribus hiſtoriæ ſtirpium & medicamentorum diſtinguuntur efficientia & actione primarum qualitatũ, earundemq́; gradibus etiam, vt quædam primo, q̃dam ſecundo, nonnullæ tertio aut etiam quarto gradu calefaciant, quod ipſum etiã de reliquis tribus qualitatib. eſt intelligendũ. Partes autẽ corporis quibus adhibentur remedia, iſta multifariam diſcrepãt inter ſe craſibus ſeu temperamentis ſuis proprijs, q̃ differentia ipſis ineſſe ſolet propter differentiam formarũ ſubſtantialiũ. Quo ſanè modo aliam craſin & ſubſtantialẽ & accidẽtalẽ .i. ſanitatis ineſſe dicimus epati, & aliam cordi, & aliã cerebro, & aliã ven-

tri-

triculo, & aliam carni, & aliam neruis. idẽ ſentiendum de oĩbus reliquis partib. Hoc reſpectu differẽtiarum temperamẽtorũ, q̃ proprię ſunt partiũ corporis noſtri ꝓpter formas ſubſtantiales, diſtinguuntur etiam vires medicamentorũ, quas oſtẽdimus eſſe ſubſtantiales & non materiales craſes, vt ꝑ hanc cauſam non quælibet quibuslibet partibus, curandis & profligandis eorum morbis, adhibeantur, ſed ſua peculiaria & ꝓpria cuiq; parti laboranti applicantur remedia, non ꝑ ſubſtantiam (quę medicinę non eſt ſubiecta) ſed propter craſin ſubſtãtiæ, circa quam contemplationem Medici verſantur. Et ob hanc cauſam q̃dã dicimus eſſe propria epatis laborantis remedia, & alia ſplenis, & alia pulmonũ, aut cordis, aut cerebri, quorũ etiam facultates remediorũ hoc modo & à hiſtoricis & à Medicis quoque, componentibus è multis ſimplicibus medicamenta ſua, deſcribuntur. Quanquã non negamus, nonnunq̃ non manifeſtis dyſcraſijs laborare partes nonnullas, qualẽ nonnulli dyſcraſian exiſtimant eſſe cerebri morbũ epilepticũ, quẽ nõnulli putãt ꝓuenire ex tetro quodã vapore afficiẽte cerebrũ, cuius vaporis cã ſit malignus aliq̃s humor. Nam & Gal. autor eſt nonnunq̃ in corpore

noſtro prauos humores peſtifera qualitate quadam ſic alterari, vt inſtar veneni nos interficiant, & quorum repentini exitij plerique etiam Medici cauſam ignorent. Et qualem etiam intemperiem morbi gallici ſuprà quoq; memini me cauſam cõſtituiſſe. Horum reſpectu morborum cum toto genere ſint contra naturam, (quemadmodum aliàs venenatorum) antidota quædã ſunt remedia, quę totius ſubſtantiæ potentia morbis illis ſint appoſita. Horum autem ex dyſcraſia generatorum in nobis venenatorum humorum cauſam ſubſtantialem ſeu formam eſſentialem nullam ſtatuimus eſſe. Quæ autem extra corpus noſtrum ſunt pernitioſa & vim veneni habentia, forma ſua ſubſtantiali talia exiſtere arbitramur, tametſi peſtifera quoq; illa vim, quam exerceant, nonnunquam manifeſtis qualitatibus proferant, vt refrigerando ſeu calefaciendo, vt opium vel cicuta, aut euphorbium, aut ſcorpio, nihilominus tamẽ tales alterationes ipſam quoq; craſin ſubſtantialem aut ſubſtantiã partis perimunt, & ob id medicamenta etiam, quibus oppoſitæ qualitates manifeſtæ inſunt, talibus venenis interdum opponimus, quæ mani-

feſta

festa qualitate veneni alterationi resistant. Horum venenorũ antidota, quæ sola substantia venenis resistunt, describit Dioscorides & Nicander in suis Alexipharmacis: verùm de his in præsentia satis dictũ. Quæ si quis dixerit propter crases naturales efficaces esse ad homines perimendos, is, quod discrimen sit inter substantiam & accidẽs, mihi prorsus videtur ignorare. Ergo vt potentijs essentialibus interficiunt nos venena, & non solis qualitatibus materialibus, ita quoque salubria remedia potentijs substantiæ suæ proprijs profligandis morbis reliquis, quarum causæ sunt dyscrasiæ, efficaces existunt. Eadem ferè ratio est medicamentorum, quæ alimentorum existit. Nam facultas alimenta conficiens, vt ventriculi facultas è cibo generans chylum, & venæ è chylo generantes sanguinem, & caro generans è sanguine substantiã carneã, potentia seu efficacia substantiali mutationes istas efficiunt, quanquam sine crasibus secundum naturam habentibus, & quibus sanitas harum partium definitur, hanc efficientiam nõ habere possint. Differunt autem inter se facultas medicamenti, & facultas generans alimẽtum, quod videlicet

facultas alimentum mutans, ipſum nõ tantum alterando, ſed etiã in ſubſtantiã quandam commutando, efficax eſſe cognoſcit. Sed vis medicamenti ſubſtantialis patiens corpus, non ratione ſubſtantiæ, ſed duntaxat ratione qualitatis cuiuſdam alterare ipſum, aut in meliorẽ ſtatum aut deteriorẽ permutare conſueuit, quæ exempla non deſiderãt, cũ ipſa per ſe ſint notiſſima. Quæ cùm ita ſe habeãt, facilè quis intelliget, nec medicamena, nec vires inſtrumentorũ alimenta permutantium habendas eſſe pro qualitatibus materialibus ſeu craſibus, vt ſentiunt qui Empedoclem quã Ariſtotelem malunt ſequi in phyſicis. Proinde Ariſtoteles λόγον τῆς μίξεως non vult intelligi pro craſi aut pro temperamẽto, ſed pro forma conſtituente craſin, q̃ ineſt rebus naturalibus ſecundũ naturam, vt nimirum natura ſit eius cauſa, vt principium determinãs in materia & mixtionibus elementorũ craſin cuiusq; rei, q̃ ſuapte natura (quemadmodũ etiã materia) eſt indefinita & ἀόριστος. Nemo autẽ eſt tam ſtupidus, qui nõ intelligat aliud eſſe naturã in rebus & ſubſtantijs, & aliud quod ſecundum naturam aut contra naturam ipſis ineſt. Errant autẽ, vt dicitur,

toto

toto cœlo totaq; physica scientia, q negant formalẽ causam inesse rebus inanimatis, & eam in nullis alijs rebus inesse censent nisi duntaxat animatis, & quando anima priuetur quidpiam, hac priuatione ipsum quoq; omni natura priuari, & nihil superesse p̃ter temperamenta, q̃ ipsi vocant materialia. Non aũt opinor eos ignorare discrimen inter efficiẽtem causam & formalem, q̃ aliàs à physicis appellatur natura rei principalis. Quòd si anima cã est efficiens naturę stirpiũ, qua sint efficaces in medendo, quamuis anima vegetatrice priuentur, necesse est hanc potentiã & naturã effectũ quendã esse animæ, & non ipsam animam, q̃ sit tanq̃ causa efficiens habenda hui⁹ substantiæ naturalis. At efficiente & generante iam sublata, nemo ignorat ob id etiã effectus substantiã desinere & è medio tolli, quamuis cum anima perempta, simul etiã naturam animationis instrumentum (sine qua corpora animata vegetari nequeant) necesse sit perimi. Natura enim hæc est effectus animæ, qua forma materiã vernaculam informat. Alia.n.natura est, quę animæ ipsius proprium est subiectum, & sine qua anima suas ἐνεργείας exercere nequit. Deinde alia est natura aĩati corporis, quæ,

extincta anima perdurare etiam in substantia possit, & quæ effectus potius, quàm materia animæ dici debeat. In quo genere effectus pleraq; medicamēta sunt ponenda, quod videlicet causa substantiæ ipsorū sit effectrix, anima vegetatrix. Nec verò vllum corpus naturale existere dicendum est, cuius causa non sit animatum corpus. Nam & inanimata corpora omnia generationem suam cœlesti corpori debent, qđ ipsum etiam animatum esse constat, vt omnium rerum naturæ animæ debeant, id quod sunt, quemadmodum crases & temperamenta debent naturis .i. formis substantiarum, id quod esse dicuntur. Non autem sine anima vllius rei causa efficiēs potest dici, sed duntaxat causæ formales obtinent rationem suæ naturæ, propter quā res naturales & ad agendum efficaces, & ad patiendum habiles esse dicimus. Cùm autem opifex rerum optimus maximus & sapientissimus alimenta & medicamenta propter salutem hominum & cōseruationem creauerit, & homo finiēs causa medicamentorum existat, quin determinatione naturæ temperamenta in singulis partibus & visceribus insint non dubium est.

Nec

Nec non etiam quin illa temperamenta,& medicamentorum vires & efficaciam adtemperauerit. Nam vt ſingula quaſi magis aut etiam maximè ꝓdeſſent ſingulis partibus medicamenta, natura ea ſic diſtinxit, vt quædam quibuſdam partibus maximè prodeſſent, propter quam differentiam à medicis ſunt quædam, quæ appellantur epatica, quædam ſplenica, nonnulla ſtomachica, alia quæ magis conferunt cordi aut cerebro, aut pulmoni. Idem iudicandũ eſt de reliquis. Vt autem natura partium & viſcerũ corporis humani temperamenta diſtribuit ratione eſſentiarum ſeu ſubſtantiarum diuerſa, ita ſimiles etiam potẽtias medicamentis ipſis ac vires diſcrepantes formis ſubſtantialibus ipſorum attribuit, vt quibusq; partibus laborantibus & affectis ſua conuenientia remedia,& quaſi propria adhiberentur. Eodem quoq; modo alimenta diſtinxit, pro natura organicarum partium nutrientium animatum corpus. Quod enim eſt hominis nutrimẽtum, idipſum non eſt etiam equi aut bouis, & diuerſis etiã ſuccis nutriuntur, non tantùm ſpecies ſtirpium, ſed eiuſdem etiã ſpeciei partes non eiſdem vegetari ſuccis con-

ſueuerunt: vt alio ſucco nutriuntur radices, & alio rami, alio folia, & ab his diuerſos flores, deinde & fructus, & ſemina, quorũ omnium differentiæ forma ſubſtantiali ſeu naturali, nempe anima ipſa opifice diſtinguuntur, & ſic efficiente exanimatis etiã ſtirpibus naturæ ſuperſtites quædam maneant, quæ ſuis viribus & potẽtijs medendis corporibus accõmodari queant. Producit .n. anima tales naturas corporũ cum ſuis potentijs, vt ea extincta anima & abolita, non etiam neceſſe ſit aboleri & perire, vt his videtur, qui naturales formas negant corporibus inanimis ineſſe, quos multis variisq; argumentis nõ rectè ſentire oſtendimus. Nos in præſentia latentes & occultas ſic definimus, quarum videlicet actiones potẽtiarum nullam aliam cauſam habere exiſtimant, quàm formam ſubſtantialem. Vt quod abſinthium calefacit, non ignis calor eſt in cauſa, ſed forma ſubſtantialis abſinthij, quæ natura eſt in materia producta ab anima vegetatrice ipſius abſinthij: ſed quod abſtergit, aut quod corroborat ventriculum, eius cauſa eſt manifeſta qualitas, nempe amaritudo & adſtringens ſapor, qui ſapores materialem habẽt cau-

causam sui generationis: sed quæ tamen non producuntur absq; animæ & formæ absinthij efficientia. Idem de reliquis par est intelligi. Deinde alio modo occultas vires definimus, non tantùm respectu scilicet agentium medicamentorũ, sed etiã patientium corporũ, vt si q̃ cerebri sit ignota sensibus dyscrasia. Nam consentaneũ est curari occulta qualitate alicuius remedii, cuius vis ꝓficiscatur à forma substantiali, dyscrasias etiã quarum causa non sit manifesta, qualia nonnulli remedia epilepticis posse exhiberi arbitrantur. Ita quoq; talibus remediis dyscrasian sanguinis & venarum guaiaci decocto sanari perhibent, ignota sensibus nostris qualitate. Non .n. quia calida, aut quia frigida, aut qa amara, aut acria vel tenuium partium sunt ista remedia curare dicuntur, & depellere tales morbos, q̃ notis dyscrasijs non definiuntur, sed quia sunt talia, vt non nisi describi seu explicari & nominari formis suarũ substantiarum possint. Quo in genere recẽsentur etiã purgãtia medicamẽta, de quib. paulo pòst sum dicturus & disputaturus, vtrũ purgãdi vim habeant ꝑꝑ humorũ purgandorũ tractũ, & eorundẽ similitudinem quandã. An verò

aliam ob causam purgando sint efficacia, si prius tractationẽ hanc de abditis facultatibus rerum & viribus conclusero. Nos omnes rerum naturalium potentias & vires, mouẽdo & alterando efficaces, ostendimus partim esse manifestas .i. quarũ ratio sensu constet, aut causa quædam explicari possit, partim occultas & abditas esse, vt quarum nulla alia causa existat aut dici possit, quàm forma substantialis, quam formam non posse crasin esse, id est, mixtionis quandam speciem, minimè obscuris argumentis est demonstratum, nec non satis superq́ue de errore illorum disseruimus & contrà disputauimus, qui crases occultas pro essentia rei naturalis numerant, & ad materiales causas seu qualitates omnes rerum naturalium essentias reuocãt, quemadmodum Empedocles fecit, quem ipsi malunt in physicis quàm Aristotelem sequi. Sed his omissis, deinceps de facultate (vt polliciti sumus) purgantium medicamentorum verba faciemus.

PVR-

PVRGANTIA MEDICAMENTA NON SIMILITVDINE PVRGANDI *humoris, neq; tractu etiam eiusdem, efficacia dici debere.*

VARIAE sunt disputationes de purgantibus medicamentis, quonam modo aut qua conditione & vi purgandos humores eliciant è venis, & extra corpus eorundem excretiones efficiant. Omissis reliquis, de Galeni sententia & opinione, quę vulgatissima est, disputabimus, vtrũ consentanea sit, aut contra eam tanquam falsam nihil dici possit. Arbitratur Galenus medicamentum è venis ad se allicere purgantem humorem tractu quodam, qui similis sit quodammodo tractui magnetis trahentis ad se ferrum: deinde quòd vnius & non alterius humoris trahendi ad se potestatem habeat, id prouenire ꝓpter simi-

litudinem, quam habeat medicamentum cum purgando humore. Priusq̃ de his purgantis medicamenti conditionibus dissecram, de potentiæ & viriũ seu efficaciæ differentijs aliquid ante omnia erit explicandum. Actiones medicamentorũ in corpus nostrum bifariam distinguuntur, q̃ differentia vniuerso quoq; generi agẽtium rerum naturalium efficaciç potest attribui & accõmodari. Vnum genus est eorum, q̃d mixtione quadam cum patiente subiecto efficax ad alterandum esse dicitur, vt sunt medicamenta, q̃ in substantia, vt vulgò loquuntur medici, sic exhibẽtur, vt vel in puluerem contusa, vel succo ipsorum solidorũ expresso, vel liquatô succo decoctione quadam aut macerando in humore quopiam eodem extracto succo, vel per venas quasi substantialiter transeant, & quodammodo cum sanguine misceantur. Hoc modo Galenus scribit piper contritum non vltra venas mesaraicas transitionem facere: puluerem autem diacalamenti tãm strenuè calefacere, vt permeando venas calore suo penetret etiam in vniuersum corporis habitum. Tale genus medicamẽtorum quodammodo misceri dicitur cum humoribus.

busipſis, qui continenturin noſtro corpore. Alterum genus eſt medicamentorum, quod contagione duntaxat qualitatem ſuã & non ſubſtantiam diffundit per vniuerſum corpus. Huiuſmodi vis & efficacia plerisq; venenatis adſcribitur, quæ qualitatibus ſuis, & non mixtione ſubſtantiæ ſuæ mortiferæ exiſtunt. Quod autem neceſſe non ſit, quo penetret contagio qualitatis, vt ibidem quoq; ſubſtantia contagioſi corporis miſceatur, ipſum per ſe eſt manifeſtum, vt ſuprà quoque idipſum eſſe verum euidentibus rationibus eſt probatum. Nõ enim ſi ignis tranſitione caloris ſeu contagione ſua calefaciat aquam, ob id neceſſe eſt, vt etiam ſubſtantia ignis in aqua calida exiſtat. Quæ ſic ſe habent, poteſt etiam fieri, vt corpore agentis corrupto & perempto, manet qualitas in aliud corpus, vt nihilominus iſta qualitas perduret, & diffundat ſeſe latiſſimè: quod exemplo lactis capræ vim habentis purgatricem non ſemel eſt à nobis & ab alijs demonſtratum. Qualitates autem manere, quibus alia corpora inficiantur quaſi, euidentiſſimum eſt in multis, quamuis ipſa ſubſtantia deſierit eſſe, & conſumpta

fuerit. vt ſi in oleo ſuccus aliquis decoquatur conſumpto ſucco, qualitas nihilominus manebit ſucco ipſo non amplius exiſtente in oleo. Quare non eſt neceſſe communicatis qualitatibus occultarũ virium, vt etiam communicentur earum ſubſtantiæ, vt eorum fert opinio, qui probare volunt occultas vires nõ eſſe proprias formarum ſubſtantialium, ſed potius craſeων, qa ſine formis etiam ſubſtantialib. tales qualitates medicamentorum ſeſe diffundant in corpore noſtro : quia videlicet putant ſubſtantiales potentias ſine ſubſtantia non poſſe diffundi in corpus, diffuſa qualitate huiuſmodi: quod tamen inconſentaneum eſſe naturis rerum contagioſarum manifeſtiſſimum eſt. Conſtat ergo, quod purgantia non ſubſtãtia ſed contagione qualitatis diffuſa in venas purgandos humores afficiant & moueant. Nunc de modo conſiderandum, quonam illos mobiles efficiant, & tranſitionem è venis in inteſtina promoueant ad excretionem. Galenus tractum ſeu ἕλξιν pharmaci in cauſa cenſet eſſe iſtius promotionis, quam tamen cauſam nulla ratione poſſe defendi deinceps probabimus. Quid ἕλξις ſeu tractus ſit ante o-

te omnia eſt conſiderandum. Ariſtoteles lib. 7. phyſ. ſic definit tractum ſeu ἕλξιν, vt nimirum ſit motus trahentis velocior, quã motus rei attractæ, vt nimirum motis vtriſq; localiter, velocius tamen trahens quã tractum moueatur. Nam ſi ambo quieſcãt nullus erit tractus, ſin verò ambo moueantur, & æqualis ſit motus trahentis & tracti, ſi in eandem partẽ moueantur ambo, tractum non vi trahentis, ſed ſua ſponte mouebitur: ſin verò in diuerſa loca contendant, quod trahitur ſcilicet à trahente, ſeparabitur contentione proprij ſui motus in contrarium, quo etiam modo non trahetur. Quare neceſſe eſt, vt trahens velocius moueatur tracto, quem ipſius motum tractum ipſum ſubſequatur, cùm ipſum ſua ſponte ad illum locum non moueatur. Nõ propriè autem trahi dicuntur, quæ quieſcente localiter trahente qualitate quadã afficiuntur, qua qualitate mobile fiat id quod dicitur trahi. Et propter iſtam affectionẽ ſeu qualitatem mobilitatis ſuæ cauſa cietur, vt magnes quando dicitur trahere ad ſe ferrum, diffundit in ferrum qualitatem quandam ſenſibus noſtris ignotam, qua ferrum imbutũ & affectum vltrò & ſpon-

te verſus magnetem etiam quieſcentem & non localiter motum prouehatur. Simili modo ſol etiam calefaciens hæc inferiora trahere ad ſe dicitur vapores & exhalationes, non verò tractu, vt nimirum motu quo ſol mouetur, eodẽ etiã vapor moueatur, ſed quòd vapor propter ſolẽ incaleſcẽs, iſto calore ſuapte natura in ſublime efferatur, quemadmodum etiam Naphta dicit ad ſe trahere ignem, quamuis non attingẽs ignem, ſed remotior loco ab igne diſſida nihilominus inflãmetur. Ob id Dioſcorides Naphtan rapere ad ſe ignem ſcribit: nã facillimè inflammatur, vt calore ignis non multò affecta & alterata mox inflammetur, quemadmodũ aliàs extincto elychnio ſebatio, aut cerio lumine, ſi propius ad ignem adhuc fumans adhibeatur, mediante fumo illo facilius accenditur rurſus, non quod extinctum motu locali ad ſe rapiat flammeum ardorẽ ignis remotioris. Nonnulla mouentur loco non tantùm qualitate agẽtis corporis affecta, ſed etiã ſubſtantia patientis ipſius mutata: vt quando puluis bombardicus incenſus immutatur in igneã flammã, ſtatim ſubuolat ſuapte natura, nempe ꝑꝑ leuitatem igneam, vt ſimul

&

& substantia pulueris mutetur, & in flammā mutatus puluis propter leuitatem efferatur sursum, cuius motionis causa sit id, quod incendit puluerē, vt nec in pulsu externo, neque tractu externi corporis sursum moueri sit dicendus, cùm duntaxat moueatur propter mutationem substantiæ suæ in flāmeum corpus, quod per se superiorē petit locum leuitate sua incitatum. Simili modo in arborib. & alijs stirpibus succi propter alterationem factam in inferiorib. partibus in superiores stirpiū suapte natura feruntur vndiquaq; & vsq; ad summa cacumina penetrāt. Non enim fibras habent stirpes, quibus vel attrahant vel propellant succos suos, quemadmodū venæ dicuntur habere longas & transuersas fibras: illis enim ad se trahere, his verò à se repellere dicuntur humores. Sed quod medicamentū sumptum non sic afficiat humores purgandos, vt hac affectione versus pharmacum moueantur, quemadmodum ferrum mouetur ad magnetem, ex eo est euidens, quod pharmacum, vt rhabarbarum aut scammoneū ne extrinsecus quidē flauam bilem alterādo qualitate quadā ad sese promouent, vt magnes ferrum promouet, etiamsi proximè

coniungantur, nedum vt remotiſſimum humorem ſic afficiant, vt longo interuallo ad ipſum propter hanc affectionem ſua ſponte humor promoueatur. Facit Galenus mentionem herbæ cuiuſdam in libro de theriaca quodam, ſibi quidem incognita, ſed de qua ab hiſtorico quodam audierit, quod intra corpus ſumptũ ad ſeſe pertrahat è venis ſanguinem, & quæ herba etiam extra corpus ad ſe ſanguinem alliciat tanquam magnes ferrum. Sed fides iſtius rei penes autorem eſto. His omnibus expoſitis manifeſtum eſt, alteratos humores à purganti medicamento nequaquam ſic attrahi, quemadmodum ferrum trahatur à magnete .i. vt humores à medicamenti qualitate alterati, impetum faciant, promoueanturque ad eum locum, vbi contineatur purgãs medicamentum. Superſunt adhuc duo modi quibus verè & propriè, vt ſuprà expoſuimus, tractum attrahẽtis motum ſubſequi dicitur: vnus, quando trahitur aliquid propter ſucceſſionem ad id, qd̃ vacuatum eſt, qualem tractum nequaquã adſcribere poſſimus pharmacis purgantibus: alter tractus eſt, quo trahitur aliquid fibris rectis animatorum corporum, qua-
lis

lis motus aliàs voluntarius eſt, vt qui exercetur fibris muſculorum ; aliàs verò naturalis eſt, vt qui exercetur lõgis fibris naturalium inſtrumentorum, inter quæ numerantur etiam venæ & arteriæ. Conſtat voluntarium motum in animalibus non niſi muſculorum longis fibris exerceri: nam his fibris nonnihil conglobantur & in ſe quaſi conuelluntur muſculi, qua conuulſione naturali & non morbida omnes articuli aut flectuntur aut porriguntur in directum. Et ſic habentibus muſculis, vt natantia, & gradientia, & volantia, & repentia ſeſe commouent. Talem enim ἐνέργειαν muſculorum omnium eſſe compertũ eſt anatomicis. Quis autem tam ſtupidus eſt, vt ignoret purgantia medicamenta nec animata eſſe, nec muſculis his trahentibus eſſe prædita, quibus purgandos humores ad ſeſe promoueant? Cùm ergo nulla alia ſpecies tractus ſuperſit, quàm iſte ab Ariſtotele in 7.phyſic. definitus, quo tractum ſequitur motum trahentis, reliquum eſt, vt pharmacum purgãs nullo tractu vim purgandi ſuam exerceat. Nam vt Topici inquiunt, ſi generi attribuitur aliquid, quod tamen in nulla ſpecie eſſe poſſit, idipſum

nequaquaquam generi quoque inesse demõstrari: vt si nulla species animæ probetur esse immortalis, sequitur & concluditur, vt prorsus nulla anima sit dicenda immortalis. Quamobrem si probatum sit, nulla specie tractionis medicamentum purgans attrahere ad se purgandum humorem, sequitur, vt penitus propter tractum ipsius nullus sit motus in purgãdo humore, quo humor egrediens venas, conferat sese eum in locũ in quo sit medicamentũ. At Gal. motionis istius dicit causam esse tractũ medicamenti, & tractus causam esse similitudinẽ trahentis & attracti humoris, q̃ tamen similitudo quod nulla sit, deinceps probabimus. Similitudinis relationem inter ea esse, q̃ sint prædita specie eiusdem qualitatis, in confesso est. Nam vt æqualia sint, quæ prædita sunt vna specie quantitatis, ac eadẽ sunt & dicuntur, q̃ prędita sunt vna eademq; specie substantiæ: ita quoq; similia dici solent, quę vnam eandemq; speciem qualitatis obtinẽt. Nihil verò est, quod similitudinis causa trahere aut trahi possit, id est, agere & pati queat, propterea quod inter similia actio & passio nulla sit: quare nec simile attrahere potest simile, cùm attrahere sit actio quędam,

attrahi

attrahi verò ſit paſſio. Aut quiſquam ne eſt, qui negare auſit, tum deſinere actionem & paſſionem, quando patiens ſimile euaſerit agenti? Veruntamen ſi conſideremus localem motum, non negamus, quæ cauſa leuitatis & grauitatis ferantur, ſimilia aut diſſimilia dici reſpectu eorum corporum, ad quæ moueantur ſuapte natura, vt grauia deorſum ferri ſolent ad terram ſcilicet, & leuia verſus igneum elementum, ignis ſcilicet aduerſus ignem. In reliquis negamus ſimilia moueri ad ſimilia. Vt ſi quis Hippocratem ſequutus, opinetur in formatione fœtꝰ ſpermatis partes ἀνομοιομερεῖς diſſociatas, oſſeas ad oſſa citari, & nerueas partes ad locum vbi nerui generentur, &carneas vbi exiſtat generatio carnis, vt hoc modo ſimilia quaſi elementa ſpermatis ad conſtituendas ſimiles partes localiter moueantur. Quam tamẽ opinionem Ariſt. lib. 2. de gener. Animal. falſam eſſe demonſtrat. Sed quod nonnulli dicunt radices ꝓpter ſimilitudinem attrahere ad ſe ſuccos, quib. nutriantur, ſimiles, id æquè reprehendi poteſt atq; id, qđ paulo ante diximus de partib. ſeminis. Etenim Ariſtoteles non niſi perfectũ nutrimentum ſimile

nutrito eſſe ſtatuit, vt omnino neceſſe ſit, ipſum diſſimile eſſe, quam diu dicatur nutrimentum nutriturum. Nam quod fit ſimile, ipſum nondũ eſſe ſimile oportet, ſed diſſimile & quodammodo contrarium. Ex quo concludendum non propter ſimilitudinem nutritura nutrimenta admoueri & affluere nutriendis partibus, ſed propter qualitatem quandam, quam accipiat à nutriendis partibus, qua alterata ſua ſponte ſeſe inſinuat in partes nutriẽdas, quemadmodum ferrum qualitate magnetis affectum ad magnetem ſeſe applicat & inhæreſcit. Eodem modo etiam ſuccus, in ſtirpibus alteratus, qualitate quadam requirit affectionem qua mobilis fiat, vt ſua ſponte ac ſuapte natura ad omnes partes ſurſum & deorſum diſtribuatur: quoniam ſtirpes mobiles fibras nullas habent, quibus ad ſe pertrahant nutrituros humores, vt animalia habent venarum & arteriarum fibras, quibus exercẽt tractricem facultatem aut expultricem. Ex his omnibus manifeſtum eſt, quod licet medicamẽta purgantia qualitate quadam afficiant humores purgandos, non ſequitur tamen, vt ſimilitudinis cauſa, aut alio quodam modo ſuapte na-

tura

tura versus eum locum impetum suum faciant, in quo contineatur purgans medicamentum: vt ferrum ad magnetem citari motu locali consueuit propter qualitatem magnetis in ipso ferro κατὰ χύσιν diffuso. Quod autem suapte natura humor purgandus non moueatur ad locum in quo subsistit purgans pharmacum, ex eo etiam perspicitur, quod pharmaca ventri imposita nihilominus purgant. Quod si humores ad medicamentum purgans sese applicarent, non ad intestina sese profunderent, sed ad exteriora ventris vi medicamenti traherentur. Sed de his alijsq; signis plura diximus in libris demonstrationũ nostrarum, & in eadem sunt sententia complures docti, qui de facultate purgantium medicamentorum editis scriptis, quid sentirent testati sunt, & à se non probari Galeni opinionem memoriæ prodiderunt. At verò qui modus sit efficaciæ pharmacorum in purgandis humoribus, deinceps considerandum existimo: experientia & autoritate veterum medicorum testatissimũ est, quædam pharmaca efficacia esse purgandis certis humoribus, & nonnulla non vnum, sed duos posse purgare humores,

quædam verò facultatem habere in se, vt purgent omnes: cui sententiæ haud temerè refragari debemus, cùm propter experientiam tum pp autoritatem doctissimorum medicorum: sed quid mihi videatur, paucis in præsentia explanabo. Ego sic iudico, quædam pharmaca magis conuenire biliosis, & alia pituitosis, & nonnulla melancholicis corporibus. Verum etiam hoc modo, vt non etiam nō purgandis alijs humoribus idonea esse queant, sed tamē magis & vtilius adhiberi purgandis suis humoribus, quàm alienis, vt non omnia ex æquo purgādis omnibus exhiberi pharmaca humoribus debeant. Proprium enim illud est pharmacorum, primū, vt humores paratos ad excretionem & suapte natura mobiles separent ab vtilibus humoribus, quam separationem efficiunt aut non magna vi, aut imparatos violenter separent, colliquatione quadam potius, quàm separatione naturę humorum conueniente. Deinde vis quoque inest pharmacis stimulandi & irritandi genus venosum, quod scilicet irritatione hac fibris suis transuersis incitantur ad excretionem humorum inutilium intra se contentorum, & à massa san-

ſanguinis ſecretorum. Nonnunquam, vt in hydropibus, inutilis & aquoſa ſubſtantia aggregata certo in loco ventris, irritatione pharmaci purgantis educitur & euacuatur, vt non opus ſit aliqua ſeparatione inutilium ab vtilibus, neque etiam præcedente quadam concoctione opus ſit. Alioqui in vacuandis humoribus, qui ſunt mixti cum ſanguine (autore Galeno) tria ſunt conſideranda, nempe concoctio humorum, qua habiles fiunt humores, vt facile poſſint ſeparari: deinde ſeparatio ſequitur, quę aut à natura ipſa aut à medicamento fit: poſtremò autem eſt excretio, quæ eſt aut naturalis, aut excitata irritatione pharmaci cuiuſdam. Ab inutilibus enim humoribus agitata & quaſi ſtimulata, vaſa reijciunt à ſe humores moleſtantes, profligante expultrice, qualem expultricem videmus eſſe in diareis ſpontaneis ſeu fluxionibus ventris, quibus & certum viſcus aut vniuerſum corpus inutili humore ſeſe exonerat. Fiunt autem excretiones horum humorum partim propter acrimoniam, ſi tales natura fuerint, partim ꝑꝑ pharmaci violentiam, qualitatem irritantem & moleſtantem vaſa. Transuerſis autem fibris

vaſorum fit expulſio, vt nimirum purgationis cauſa ſit non ἕλξις .i. tractus pharmaci, vt cenſuit Galenus, ſed vt nos arbitramur cum alijs quibuſdam doctis viris, ὦσις.i. expulſio, quæ fit per transuerſas fibras, quemadmodũ tractio exercetur ſcilicet per longas fibras: quoniam ſimili modo ſine pharmaco natura quoq; ipſa euacuat & expellit è venis purgandos humores, cuius imitatricem artem medicã eſſe dicimus. Diſtinguuntur autem purgantia differentijs purgandorum humorum: ſuos enim humores quodlibet pharmacũ propriè purgat: ſed poteſt etiam alium humorem purgare: veruntamen non tam propriè ſed quaſi per accidens. vt verbi gratia, Rhabarbarum propriè purgat bilem flauam & pituitam, ſed minus propriè, id eſt, duntaxat irritando & ſtimulando vaſa & aperiendo obſtructiones viaſq; patefaciendo, aquã etiam hydropicã ducit ſed non tam validè & propriè vt ſuccos Ireos, aut aliud quoddam pharmacum educẽs aquas, facere conſueuit. Idem eſt iudicandum de reliquis. vt quando melancholicus humor purgandus eſt, pharmaca ſunt adhibenda, quæ ſingulari proprietate hoc efficere poſſunt.

ſunt. Idem faciendum eſt in reliquis, vt ſi mouenda eſt bilis aut pituita, aut ambo ſimul humores mixtis proprijs & accommodatis vtendum eſt. Poteſt autem fieri, vt quod bilem ducit propriè, idipſum quoque per accidens non tantùm pituitam, ſed etiam melancholicum humorem, deniq; ſanguinem ipſum è corpore poſſit educere. Vt inſuper purgationibus (quas Græci appellant ὑπερκαθάρσεις) euenire conſueuit, quæ tamen purgatio non propria ſit pharmaci, ſed ei accidat propter violentiam, & ꝙ maiore doſi ſit exhibitum quam debeat exhiberi. Ergo non accidentibus, ſed proprijs viribus pharmacorum facultates ſeu δυνάμεις ſunt æſtimandæ, quod medici veteres fecerunt: nec eſt exiſtimandum, quod quæuis pharmaca poſſint per ſe quemlibet humorem euacuare, quod ex his, quę diximus modo, euidēs exiſtit. Hactenus quid nobis videretur de modo, quo pharmaca purgandis humoribus efficacia ſint, & vtrum ἕλξει, an verò ὤσει euacuent humores expoſuimus, quæ præterea autē ſunt, quæ dici poſſunt de purgantibus medicamentis nolo prolixius commemorare, cùm antea ſint à nonnullis doctis expe-

rientiaq; & vſu rerum claris medicis expoſita, vt meam ſcriptionem aut declarationem non deſiderent.

Spiritum qui contineatur in ventriculis cerebri non eſſe animalẽ ſed vitalem.

QVanquam inuitus contra ea diſputo & ſentio, quę vulgo & à doctis fere omnibus probantur & pro veriſſimis habentur, nihilominus propter defenſionem veritatis non tantùm aliorum, ſed meos quoq; proprios, ſi intelligam me erraſſe, lapſus refellere & corrigere ſum paratus. Inprimis autẽ alienum à vero mihi videtur eſſe, ꝙ fermè omnes philoſophi & medici hactenus dixerunt & ſcripſerũt, incluſum in ventriculis cerebri ſpiritum proprium quendã eſſe & diuerſum à vitali, quem vulgò appellant animalẽ, eumq; generari in cerebro, & à ſubſtantia cerebri effici, & quo cerebrum tanquam inſtrumẽto præcipuo, nec non nerui etiam & ad ſentiendum & ad mouendũ vtantur. Cuius tamen rei veritatem longè ſecus ſe habere quam plerisque videatur exiſtimo. Ac primum de corde & ipſius ſpiritu vitali, quomodo ſe habeant aut quomodo generentur & ſubſiſtant, diſſere-

ſeremus. Conſtare cor ipſum forma & materia quadam nemini dubium eſſe opinor, nec non etiam quod cor principale ſit organum vegetatricis potentiæ, conſtat inter omnes. Primum enim eſt quo viuere dicitur animal, & quo perēpto, vita quoq; animalis aboletur, nec ſine corde quicquā dicitur viuere. Et materia quidem cordis mixtum quiddam eſt ex quatuor elementis, vt reliqua omnia ſunt inſtrumenta animalis corporis, differētibus tamen inter ſe temperamentis mixtionum, prout formæ quoq; & eſſentiæ organorum inter ſe differunt. Vt autem aliarum partium naturæ ſeu formæ eſſentiales tanquam principia differunt à materia quam informat, quæ vt diximus certis temperamentis & craſibus ſeſe cuiq; formæ ſubſtantiali ſubijcit, ita quoq; ſuo temperamento mixta cordis materia informatur ſpecie eſſentiali cordis, quæ ſpecies ſeu forma ſeu natura ab animæ eſſentia propagatur, quemadmodū alias etiā omnium reliquarum partium organicarum & ſimilariū naturę ſuæ.i. formę naturalis cauſam habet ipſam animā, quæ ſimul vna exiſtens continet omnes à ſe naturis quibuſdam informatas partes tanquā

συνεκτικὸν quoddam αἴτιον, de quo suprà quoque diximus, disserentes de occultis & manifestis potentijs rerum naturaliū. Species quidē formæ naturalis cordis vna eademq́; est in omnibus hominibus, sed materiæ temperamentum, quamuis ratione principij naturalis idem sit, nihilominus secundum magis & minus, propter qualitates elementorum, differunt, propter quā differentiam viuaciores alij dicuntur alijs esse. Nam si tēperatissima sit materia cordis, qualis fuit à creatione mundi & primordio humani generis, viuacissimos etiā homines esse oportet, quæ viuacitas valde diminuta est posterioribus temporib. propter temperamenti imperfectionem, qua breuiori vitæ curriculo vixisse atque etiam nunc viuere homines constat. Libet nonnulla mihi explicare apertius & plenius de substantia animæ & organorum ipsius natura, quàm aliàs scripta reperiuntur apud interpretes Aristotelis. Constat animam esse formam seu ἐντελέχειαν corporis animati, quod ipsum multis vitæ instrumentis est constructum & compositum, quibus anima suas ἐνεργείας exerceat. Vt autem corpus varijs organis tanquam partibus

bus eſt diſtributũ & compoſitum, ita quoque minimè etiam compoſita aut in partes diuidua anima eſt. At nihilominus aĩa varijs multisq; potentijs p̃dita dicitur eſſe, q̃ tamen ſic ſe habeant, vt omnes potentiæ ſint intra omnes quadam περιχωρήσει vnitæ, vt ſeſe nec mutuò includant nec excludant localiter, nec modo partium corporearum diuidi aut vna ab alia ſeparari poſſit. Siquidem anima totum eſt, ſed ὅλως ὅλον ſeu ἀμερίστως ὅλον, quo ipſo incorporeũ & ἄϋλον εἶδος ipſam eſſe intelligimus. Nõnunquam Ariſtoteles vt in metaph. talem ſpeciem ὅλως λόγον nominat. Veruntamen anima cùm ſit materiæ expers, non forma eſſe dicitur vt ſeipſa, quemadmodum aliæ formæ incorporeæ, ſubſiſtere, & ὀσία poſſit dici ἐνέργεια, quales ſunt ſeparatæ mentes à corporibus, quibus ad ἐνέργειαν ſuam p̃ſtandam nullo eſt opus corporeo inſtrumento. Anima aũt q̃uis incorporea ſit ſpecie ſua ἐνεργείας tñ .i. actiones, exequi ſine corporeo inſtrumento nequit. Vt ſine animatis organis, vegetationis opus ſeu operationẽ exercendo ſeu ſenſionis, ſeu motionis, in loco vitæ particeps dici nequeat. Et hac rõne quicq̃d aĩa eſt id cauſa potentiarũ

esse dicitur, totaq; ipsa nihil aliud est, quàm omnes potentiæ suæ, quæ actionibus & ἐνεργείαις corporeis perficiuntur, adeoque οὐσία non dicitur esse ἐνεργείᾳ sed δυνάμει, quia videlicet possit operari seu ἐνεργεῖν, q̃ potentia sine corporeo instrumento actionem nullam habeat aut præstare possit. Ex quo concludēdum, animam in medio esse loco inter simplicissimas formas, & ἄϋλα εἴδη & ἔνυλα εἴδη, quandoquidem sit quodammodo ἄϋλον, & quodammodo ἔνυλον εἶδος. Quatenus est ἄϋλον εἶδος, duntaxat efficax est ad agendum seu operandum, nec pati quicquam potest à corpore, cùm sit incorporea species, & partium diuisionisq; expers. Veruntamen potentiæ ipsius omnes, non tantũ intra se omnes manent, constituendo essentiam animæ, sed etiam extra se, tanq̃ formis naturalib. instrumenta sua ꝓpria perficiunt, vt possint actionũ vitæ & passionũ obire functiones. Anima itaq; suis partibus .i. potentijs tota est intra se, & hoc nomine tota est in toto corpore, & in qualibet parte corporis tota. At informando corpus speciem naturalẽ de se propagat, & formam substantialẽ largitur cuilibet parti, tam organicæ quàm similari, vt hoc

hoc nomine in formatione tota etiã quodãmodo extra se esse dicatur, sed cũ distributione naturalium formarum, quib. organa suarum potentiarum efformat & cõstituit. Sunt autem omnes naturæ seu formæ substantiales partium corporearũ trifariam distributæ, nempe in organa vegetatricis animæ & organa sentientis, & organa mouentis in loco animæ. Quæcunq; autem ita se habent, vt multa sint, formis naturalibus distincta & separata inter se, nihilominus tamen causa essentiæ seu substantiæ suæ vnum aliquid esse dicantur ista multa, quo nimirum vno existente principio, aut generantur ipsa efficianturq; aut conseruentur, vt essentiam suam multitudo hæc naturalium substantiarum huic vni formæ seu essentiæ acceptam referat & transcribat. In sic habentibus necesse est, vt quæ species vna in multis inest forma discrepantibus, & specie naturali differentibus, vt ipsarum materijs tanquam subiectis ἐνύλοις insit. Vni autem huic formæ seu essentiæ continenti aut efficienti multitudinem istam naturalium substantiarum, nempe animæ insint ἀύλως ille potentiæ suæ: vt verbi gratia, alio

modo dicimus formam ædificij esse in animo fabri, & alio modo in materia ipsa, qua extruitur domus extra intellectum artificis. In animo enim seu phantasia artificis, forma domus est sine materia; sed cũ materia eadem forma extrinsecus subsistit. At partibus eodem modo, domus in phantasia artificis non est diuidua, quoad diuidua est, quatenus extra phantasiã propter materiam, esse & subsistere dicitur. Sic etiam differunt inter se artes reliquæ & formæ artium, & quatenus formæ illæ seu species extrinsecus adminiculo materiæ subsistũt, vt alia sanitas est quàm animo cõcipit medicus, & alia qua corpus sanum esse dicitur. Hoc modo vnum specie & partibus quantitatis indiuiduum dicitur, aut efficere multa, aut continere multa partibus quantitatis discrepantibus, aut partium illarum naturis seu formis substantialibus differentia. Hanc similitudinem transferre licet, ab artibus ad naturæ quoq; opera. vt verbi gratia, plastica facultas seminis vna numero & essẽtia dicitur esse varijs potentijs prædita, quę tamen quantitatis partibus aut naturis inter se non discrepent, & hoc modo omnes intra omnes esse dicuntur,

tur, quatenus videlicet quiddam eſſe vnum & ὅλως ὅλον, nihilominus tale eſt vnum, vt multarum natura diſcrepantium partium cauſa effectrix exiſtat, vt omnium iſtarum partium, quas deinceps per informationē animæ, animatas appellare ſolemus. vt verbi gratia, Cerebri ſubſtantiæ cauſa efficiens plaſtica facultas exiſtit, item cordis, item carnis, nec non neruorum & cutis, & venarum & arteriarum, deniq; reliquarum omnium partium, quas notum eſt formis ſubſtantialibus inter ſe diſcrepare. Producitur itaq; à plaſtica potentia ſimul anima cum corpore animato hoc modo, vt corpus animatum multas partes habeat ſimilares & organicas naturis ſubſtantijsq; differentes. Anima autē continens partes illas tanquam συνεκτικὸν αἴτιον omnes in ſe continet λόγους illos, ſed ſine materia & impartibiliter: qualescunq; autem ſint λόγοι illi partium organicarum, ſunt cum materia concreti, & inter ſe eſſentialiter differentes. Sed nihilominus in anima iſti λόγοι ſunt vnum eſſentia, nec anima quicquam aliud eſt, quàm omnes iſti λόγοι ἄϋλοι, quibus anima continet tanquā potentijs multitudinem iſtam τῶν ἐνύλων λόγων, quibus

tanquam inſtrumentis ad vitales & animales ἐνεργείας exercendas vtitur. In anima enim ἄϋλοι λόγοι duntaxat ſunt & ἐνεργητικοὶ & non παθητικοὶ, ſed λόγοι materiati, quibus diſtinguuntur organa animæ, non tantùm ſunt ἐνεργητικοὶ, ſed etiam παθητικοὶ, totumque ſuum eſſe tranſcribunt animæ ἀΰλοις λόγοις, qui, vt diximus, nec quantitate nec naturis inter ſe differunt. Anima verò ipſa nihil aliud eſt, quàm ipſius omnes potentiæ: vt anima vegetatrix eſt omnes ſuæ potentiæ, quibus ἐνεργητικῶς vegetat, & ἐνεργείας exercet in omnibus organicis partibus: vt potentia vegetatrix ventriculi eſt, quæ inſtrumento ventriculi exercet ἐνέργειαν concoctionis, nec non etiam nutritionis ipſius ventriculi. Item potentia vegetatrix cordis ſimili modo vtitur inſtrumento cordis ad vegetandum ipſum & ad generandos ſpiritus, ſanguinemq; vitalem. Haud longè ſecus potentia quoque animæ ἄϋλος & λόγος quidam eſt, efficaciam habens vegetandi & conſeruandi etiam ſubſtantiam cerebri, & ab ipſo propagatorum neruorum. Idem ſentiendum de omnibus reliquis partibus vegetatricis animæ, cuius poten-

potentiæ omnes nihil aliud ſunt quàm ἄϋλοι quidam λόγοι, conſtituentes ipſam animam vegetatricem vnam eſſentia, vt tales λόγοι non differant inter ſe vel eſſentialiter, vel naturaliter, ſed duntaxat formaliter, ſeu ex natura rei, quod Ariſtoteles appellat τῷ λόγῳ inter ſe differre. Nam quæ duntaxat τῷ λόγῳ inter ſe differunt, id eſt definitione, ea nulla re alia differre oportet (vt ſubiecto, aut partibus, aut loco) qua differentia formali nulla alia minor eſſe aut dici poteſt, cùm differentia realis maior ſit, & hac maior etiam ſit differentia eſſentialis: vt verbi gratia, anima vegetatrix differt realiter in homine ab anima ſentiente, quia potentiæ ſunt in diſcrepantibus realiter ſubiectis, veruntamen non tamen eſſentialiter differunt: anima autem Petri ab anima Pauli non tantùm realiter, ſed etiam eſſentialiter diſcrepat: de quibus differentijs copioſius & plenius diſſeruimus in libro, quem calumnijs Genebrardi antitrinitarij theologi oppoſuimus, quem tamen librum theologaſtri quidam ſuppreſſerunt, & me armis defenſionis meæ contra hypocritam illum ſpoliauerunt.

Ex his quæ diximus hactenus perſpicuum eſt, animam media conditione eſſe inter formas, à materia omnino ſecretas, & formas cum materia concretas, quibus conſtituuntur res naturales, & non animatæ. Animam autem multis potentiarum λό-γοις definimus, qui tamen inter ſe ſeparatas ſubſtantias non conſtituant, propterea quod ſint non cum materia concreti, ſed ἄϋλοι quidam λόγοι. Id quo melius intelligatur, quomodo ſint vnius eſſentię inſeparabiles & indiuiduæ partes, vt quarum vna in alia inſit ſine mixtione & ſine confuſione, ſineq; ſeparatione, cùm non ſint compoſitæ tales ſubſtantiæ ex materia & forma, nec ſint compoſitæ etiam ex partibus quantitatis, quo melius & planius iſtud intelligatur, exemplo quodam ſenſibus noto declarare placuit. Senſiles res quatenus afficiunt viſum noſtrum coloribus, quantitate, figura, numero, motu & quiete, id faciunt ἐνεργείᾳ quadam, quam mediante lumine diffundunt in pellucido corpore, quæ ἐνέργεια expers quantitatis & materiæ eſt; qua ἐνεργείᾳ res aſpectabiles dicuntur afficere ſenſum oculorũ noſtrorum. Quod ad primum actum attinet ſenſilium rerũ,

quæ

quæ ſentiuntur, ſeparata ſunt inter ſe, & vnum in altero eſſe nequit, cùm videlicet multa ſeu omnia ſimul noſtros poſſint pellere oculos. Sed ratione actus ſecundi, qui ſunt ἐνέργειαι q̃dam rerũ ſenſilium in pellucido corpore, quodãmodo à materia rerũ aſpectabiliũ oẽs ἐνέργειαι ſine confuſione & mixtione in ſe mutuo ineſſe dicunt̃, vt neq; ſe mutuo includant, neq; excludãt ſubiectis quibuſdam, aut quãtitatis partibus, ſed totę ſint in totis alijs: quare fit vt quod ab vno ſentitur & videtur, idipſum à mille alijs videri & conſpici queat. Sentiturq; hoc modo quantitas ſine quantitate afficiens oculos, & color ſine colore, & figura ſine figura: idem de reliquis ſentiendum. Etenim aliud conſtat eſſe colorem ipſum, & aliud ἐνέργειαν coloris in pellucido: item aliud eſſe magnitudinẽ aut figuram, & aliud ἐνέργειαν magnitudinis aut figuræ, quatenus in pellucido eſt & per eam afficitur viſus. Gręci theologi περιχώρησιν appellant hanc vnitatem multitudinis alicuius, qua omnia ſunt in omnibus ſine confuſione, & ſine mixtione, ſineq; materia, & ſine quantitate, quo vocabulo vtuntur etiã in explicando myſterio ſanctæ Trinitatis. Et hoc mo-

do etiam anima tota, ratione nimirum potentiarum, quæ in ſe mutuo ſine quantitate & materia dicuntur eſſe, quomodo eſſendi τὸ ὅλως ὅλον definire ſolemus, quæ ſunt perfectiſſima ὄντα, & pro principijs nobiliſſimis haberi conſueuerunt: quoniam in omnibus vnitas eſt principium multitudinis, cùm alioqui etiam vna ſit forma, quæ ſubſtantiam cuiusque rei conſtituat. Multa autem ſunt accidentia, multaq; propria πάθη, quæ in re naturali propter vnã hanc formam effloreſcunt. De multitudine partium animati corporis & vnitate animæ paulo antè diximus. Quin etiã vniuerſam rerum naturalium multitudinem dependere ab vno Deo confitetur Ariſtoteles, q̃ ſit vnus omnia, tanquam principium & opifex omnium rerum, quem Plato θεῖον λόγον appellat, à quo tanquam creatore omnis multitudo creatarum rerum promanauit, tanquam principio & opifice quodam. Sic enim Ariſtoteles ſcribit in lib. λ. metaph. circa finẽ: λέγω δὲ οἷον, εἴς τοῦτο διακριθῆναι ἀνάγκη ἅπασιν ἐλθεῖν, καὶ ἄλλα οὕτως ἐστὶν, ὧν κοινωνεῖ ἅπαντα εἰς τὸ ὅλον, quo docere voluit Ariſtoteles ἐν τῷ θείῳ λόγῳ, tanquam principio, omnes ideas creandarum

rum rerum inesse, quæ omnes sint aliquid vnum & simplicissimũ propter essentiam diuinam: propter creationis autem ἐνέργειαν in multitudinem creaturarum opificium diuinum progredi, quam multitudinem significare voluit Aristoteles vocabulo ἄλλα, quod apponitur quoad causa essentiæ & vnitatis in creatore τὸ αὐτὸ esse dicitur. In principio .n. vnum idemq; ratione essentiæ omnia vnum existunt, & hoc modo vnum DEVM omnia supereminenter esse dicimus, cùm extra ipsum & nõ in ipso sit multitudo essentiarum. Alioqui principij proprium illud est, vt vnum existẽs causa sit multorum: quare summi principij & eminentissimi proprium illud est, vt ipsum sit causa creatarum rerum. Nec mirari quispiam debet, quod dixerim animam esse respectu organicarum partium ἄϋλον quiddam εἶδος, tanquam principium, organicis & naturalibus partibus exercens ἐνεργείας vitæ, cùm Aristoteles naturalem quoque formam, qua pars organica vegetabilis esse dicitur quodammodo ἄϋλον εἶδος esse dixerit in priore libro de ortu & interitu. Forma enim naturalis, vt carnis forma, quoad caro instrumen-

tum eſt vegetationis, non ſemper eandem numero materiã informat, q̃uis ipſa forma eademq́ue numero ſemper maneat. Nam propter materiam animatarum partium, in ſenſili trãſpiratione ſubinde propter calorem, priore materia exhalante & euaneſcente, noua materia ſuccedit propter nutritionem, informanda eadem ſpecie numero carnis, quæ forma eadem ſubſtantiæ informetur, qua prior euaneſcens materia informata erat. Simili quoque modo creſcens, vt verbi gratia, caro nouam materiã aſciſcit quæ augmenti ſit cauſa, priſtinatũ forma & non noua aliqua ſpecie carnis informante, quarum materierum reſpectu, duntaxat ſecundum eandem ſpeciẽ & non ſecũdum eandem materiam numero exiſtentem, & nutriri & adoleſcere animatas partes ſcribit Ariſtoteles. Et hoc modo εἶδος quoq; .i. naturalem formã animati corporis quodammodo ἄϋλον eſſe pronunciauit, non quod omnino ſit ἄϋλον, quod in animatis tamen corporibus adſcribi nequaquã poſſe, per ſe manifeſtum eſt, quoniam talia corpora ſimpliciter & omnino ſunt ἔνυλα. Quo perſpicitur etiam quodnam diſcrimen ſit formarum naturalium

ani-

animati & inanimati corporis, quod nimirum illa vegetari ſolent, hæc verò intra ſe nullum habent vegetationis principium. Hactenus de formis naturalibus potentiarum animæ vegetatricis, deque anima ipſa continente illarum formarum cauſa, ſatis ſuperque dictum arbitror, quibus, quæ poſterius dicentur, melius cognoſci poſſe exiſtimo.

CAPVT II.

De corde & principatu ipſius inter reliqua organa vegetatricis animæ.

VEgetatricis animæ multa eſſe organa ſeu inſtrumenta naturalibus formis diſcrepantia inter ſe, & inter hæc organa principatum adſcribi cordi ipſi probatione non indiget. Principatus autem ille eſt, quod videlicet propter cordis viuificũ calorem reliquæ partes omnes animati corporis, viuere, vegetari, nutririq́; dicuntur, & quo extincto moriuntur & viuere deſinunt. Quamobrem Ariſtoteles propter principatum illum Cor ſcribit eſſe ſedem animæ principalem, in qua habitet anima tanquam in arce quadam, & vt Græci

appellant ἐν ἀκροπόλει, à quo nimirum omnes partes pro ſua natura accipiunt calorem viuificum, quo ſui officij munera & actiones præſtare queant, cùm ſine calore illo nec vegetatio ſit in partibus vllis, nec vis ſentiendi vlla, aut mouendi, tametſi cerebrum harum duarum facultatum principatum habeat, & ob id autore Galeno τὸ ἡγεμονικὸν ei ineſſe dicatur. Nihilominus principatus ille ſubſiſtere nequit ſine principatu vegetatricis animæ, quem adſcribimus cordi. Et Galenus etiam cor ipſum proprium animæ domicilium appellat, in libro quodam metho. curandi diſtinguens ψυχικὰς κινήσεις ab ijs motibus, quorũ cauſa ſit cerebrum, quos ipſe nominat practicas motiones. Cordis autem motus ſunt, quibus ipſa quodammodo anima moueri videtur, quales motus nominibus affectuũ diſtinguimus, vt amoris, odij, triſtitiæ, lætitiæ, iræ, miſericordiæ, & in ſumma comprehendente vocabulo ὀρέξεως omnes illos affectus & motus cordis, vt omnino appetitricis animæ ſedes domiciliumq; in corde eſſe videatur. Ab his motibus differunt practici motus, qui cerebro adſcribuntur, propter neruos & muſculos, quib-

non

non ipſa anima aut ipſius inſtrumentum animæ, nempe cerebrũ ipſum, ſed inſtrumenta quædam extra cerebrum, articuliq́; corporis loco mobiles exiſtunt. Galenus officia & actiones cerebri & cordis propter peritiam anatomiæ rectè ſciẽterq́; diſtinxit. Ariſtoteles autem propter imperitiam ignorantiamq́; τῶν φαινομένων eadẽ confudit, quando omnem principatum animæ, ſentientis ſcilicet, mouentis & vegetatricis collocat in corde, nullumq́; aliud officium cerebri eſſe cenſet, quam vt oppoſitum cordi ipſum cordis calorem ſua frigiditate contemperet, quod à plerisque anatomicis meritò eſt reprehenſum. Principiũ autem mouendi in loca animal, cùm ſit appetitus, rectè Ariſt. appetitũ in cordis affectib. ſtatuit eſſe, qua ratione & nos dicimus, principiũ mouendi animal in loco, poſſe & debere cordi adſcribi, cùm nõ niſi pp appetitũ ſeu ὄρεξιν animalia loco citent. Etenim pp cognitionẽ ſenſuũ aut pp ratiocinationẽ, q̃ facultates cerebro adſcribunt, loco non cietur animal, quanq̃ etiã nõ ſine illis ſeſe cõmoueat, non tñ principalis motionis in loco cã exiſtimari debet, ſiquidẽ ſine appetitu horũ nihil motionis in loco cã

existat, vt docet Aristoteles libro 3. de anima. Neque verò quia appetitus sine his notitijs animal non mouet, ob id notitiæ tales per se causæ erunt motus in loco. Nam si per se notitia quoq; causa esset, & appetitus etiam per se causa esset motionis, tum neutrum per se causa esset, sed ambo propter commune quoddam εἶδος quo participaret, vtrumq; motus in loco causa existeret. Quare commune illud cùm nullũ sit, quod causa motionis in loco possit dici in animalibus, necesse erit, vt solus appetitus seu ὄρεξις per se causa existat motionis in loco animalibus, siquidem sentiendo aliquid animal non ex necessitate moueatur, sed appetitus si accesserit ad notitiam, necesse est ipsum moueri. Aristoteles negat commune quoddam εἶδος esse facultatis, quo appetitus & sensus seu notitia idẽ participando, ambo εἶδος dicãtur causa esse motus in loco animalibus, quia nullum tale commune εἶδος ne fingi quidem possit à quoquam. Perinde hoc est atq; si dicam, hominis proprium esse, vt sentiat, item brutorum animalium itidem propriũ esse, vt sentiant, sed non per se, verùm propter commune quoddam εἶδος, quod analytici sub-

ſubiectum proprietatis appellant, quod vnicum eſt & ſolum. vt proprietatis huius ſubiectum vnicum eſt per ſe, cui facultas inſit ſentiendi propriè, nẽpe animal ipſum. Homo enim non quia homo, item brutũ non quia brutum, ſed quia vtrumque animal eſt, hac proprietate per ſe participant, quia animalis etiam ratione per ſe participant. Quo manifeſtum eſt, appetitus ſeu facultas ὀρέξεως cùm ſedem habeat & domicilium ſuum in corde, etiam principatũ eſſe mouendi ſeu motricis facultatis animæ in corde. Mouendi autem principium in cerebro non principaliter, ſed duntaxat adſcribi inſtrumentaliter debet. Principaliter autem cerebrum inſtrumentum eſt ſentiendi & cognoſcendi eas res, quę vt deſiderabilia ſeu vt ὀρεκτὰ cordis affectus moueri poſſint, non autem ipſa per ſe cognitione, talium rerũ, loco mouetur ipſum animal. ορεκτὰ autem ſub ratione boni vel mali, proſequendi aut & fugiendi affectus mouent. Quod autem alij ſunt alijs quibuſdam affectib. mobiliores, promptiusq; afficiuntur, in cauſa eſt temperamentum cordis : vt calidiores dicimus eſſe procliniores ad iram, & frigidiores, animo re-

missiore præditos esse. Aut causa est affectionis cordis malus aut bonus spiritus, qui extrinsecus mouet cor, aut habitus aliquis consuetudine acquisitus, vt alio afficitur animo virtute, & aliter vitijs præditus. Quãquam autem appetitus his commemoratis modis & conditionibus determinatús est, nihilominus voluntas, quæ est species appetitus (siquidem voluntas est appetitus rationalis) suapte natura indefinitus est, & indeterminatus appetitus respectu oppositorum seu contradictionis, nempe respectu boni & mali. Et propter hanc indeterminationem, qua definitur voluntas, potentia contradictionis, per essentiam liberam voluntatem esse diximus, quod tamen ignari philosophiæ Theologi minimè concedendum esse existimant: quando dicunt, in his quæ pertinent ad salutem nostram voluntatē humanam nulla prorsus libertate esse præditam, in quo planè aberrant à vero, non intelligentes hanc essentialem libertatem esse voluntatis nostræ, quæ definiatur potentia contradictionis, cuius potentiæ propriæ sint ἐνέργειαι VELLE & NOLLE. Etenim vt Aristoteles scribit in metaph. potentiæ omnes

natu-

naturales ſeu ἄλογοι ſunt determinatæ ad vnum, id eſt, ad vnam quandam duntaxat exercendam ἐνέργειαν per ſe: vt ignis per ſe tantùm calefacit, & non etiam refrigerat, & glacies tantùm refrigerat, & non etiam calefacit: & truncus ſeu lapis tantùm cadit deorſum, & non etiam ſurſum mouetur: ignis autem tantùm ſurſum & non etiam deorſum cietur: & ventriculus duntaxat vim habet (ſi non impediatur) ad concoquendos cibos, & non etiam ad corrumpendos. Quod corrumpit cibos interdum, id facit per accidens, quia videlicet morbo quodam laborat. Secus potentiæ rationales ἐνεργείαις ſuis ſunt comparatę, cuiuſmodi eſt rationatrix facultas in homine, nec non etiam voluntas, quæ eſt appetitus participans ratione. Vna eſt ratio quæ percipit intelligendo oppoſita, vt bonum & malum. Siquidem vna ſcientia dicitur eſſe oppoſitorum. Deinde etiam potentia voluntatis ad actiones & ἐνεργείας oppoſitas eſt inde terminata eſſentialiter, vt ad VELLE & ad NOLLE. idem enim numero eſt quod poteſt VELLE, & quod poteſt NOLLE, & nihil eſt, quod ex neceſſitate VELIT, aut quod ex neceſſitate NOLIT. Quemad-

admodum ignis ex neceſſitate calefacit, & non poteſt non calefacere: & truncus ex neceſſitate pondere ſuo deorſum cadit, & non poteſt non deorſum cadere: propter hanc potentiam contradictionis duarum energiarum reſpectu eiuſdem obiecti liberam voluntatem eſſe pronunciamus, nō quod ſimul poſſit VELLE & NOLLE vnum idemq́; obiectum, ſed quod viciſſim. Nam duo contradictoria non poſſunt ſimul eſſe in vno eodemq; ſubiecto, ſed neceſſe eſt alterum tantum ineſſe. Quare voluntatis ἐνεργείαις opus eſt quadam determinatione, vt velit aliquid, aut nolit. Determinantes cauſas ad vnam operationem, ſeu ἐνέργειαν paulo antè recenſuimus. vt verbi gratia, voluntas noſtra poteſt amare DEVM, & poteſt nō amare. Sed quod amat in cauſa eſt ſpiritus DEI bonus, quod odit, in cauſa eſt vel peccatū originis vel ſpiritus malus: ipſa enim ſeſe voluntas non determinat ad vnam ἐνέργειαν, cùm ex ſe & per ſe ſit libera & indefinita potentia, reſpectu ſuarum actionum. His euidens eſt & perſpicuum, quomodo libera per eſſentiam ſit dicenda voluntas, & quomodo nihilominus per accidens ſerua & mancipata poſſit dici:

Voluntas hominis eſt per eſſentiam libera & συνεργητικὸν quiddam.

dici: absurdissimeq; faciunt, qui potentiam hanc ad motus suos trunco similem aut lapidi faciunt: vt qui de essentia aut potentia animæ dicunt esse peccatum originis, voluntatis potentiam cum animæ substantia perimunt. Qui de his rebus disputant sine philosophiæ cognitione, perinde faciunt atq; si cæcus velit iudicare de coloribus. Sic etiam faciunt, qui voluntatis nostræ in rebus ad salutem nostram pertinentib. nullam συνέργειαν esse statuunt. In voluntate porrò mens seu ratio quæ gubernat affectus cordis, ipsa quidem organum corporeum non informat, & gubernãs affectus legis appellationem habet, quæ inflexibilis est, & vt sic loquar adamantina, nec aliqua prauitate corrumpi potest. Siquidem mẽs simplex semper vera est & capax verorum, nec vnquam falsitate implicatur, aut detorquetur à veritate, nisi propter phantasias, quæ deprauant non intellectũ ipsum, sed hominem præditum intellectu. Intellectus enim ipse per se nunquã errat, nunquam hallucinatur, vt inquit Aristoteles, sed intelligens propter phantasiam falsam, & fallaces sensus hallucinari solet. Et hac ratione homo non intelligere, sed potius

opinari dicendus est. Ex his quæ diximus perſpicitur, non modo cor ipſum τιθήνην τῆς ὀργῆς eſſe, vt ipſum appellat Democritus in epiſtola quadam ad Hippocratem, ſed etiam nutriculam eſſe, & ſedem domiciliumq; reliquorum omnium, etiam affectuũ ſine quibus animal loco nõ poſſe moueri ſuprà oſtendimus. Deinceps vegetatricis etiam animæ, ꝑꝑ quam cauſam principatũ cordi adſcribamus explanare conabor. Vegetatricis animę complura eſſe organa, quibus nutrimentũ cõficiatur & paretur vniuerſo corpori nutriendo, non eſt vt anxiè probem. Deinde nullã etiam partẽ corporis expertẽ eſſe huius facultatis animæ propter vegetationem ſeu nutricationem, inconfeſſo eſt. At vnam quamq; particulam ſimilarem pro ſua natura nutriri, conſtat inter omnes. Naturæ autem cuiq; ſuum temperamentũ conſequitur, nempe ſuus calor ſuumq; humidum natiuum, quibus differunt inter ſe, quemadmodũ etiam differunt naturis ſeu formis ſubſtantiarũ: vt verbi gratia, alia natura carnis eſt, quàm ſit oſſis aut membranę, ita quoq; horum omnium craſes ſeu temperamenta inter ſe differũt. Penes calorem aũt natiuũ cuiusq; partis

partis vegetatricem ἐνέργειαν atq; officinā esse dicimus. Non .n. epar calore seu tēperamēto carnis nutritur, nec caro epatis, sed suo vnumquodq; calore humidoq; vegetatur. Quod ipsum quoq; in stirpibus vsu venit. Alia enim temperatione caloris & humidi natiui vegetantur radices, & alio stipites & ramorum substantia, & alio foliorum fructuū substantia, & posterioribus à prioribus præparantur succi ad nutricationem idonei. Veruntamen hæc omnia à seipsis non habēt, vt nutrimento viuere queant, si cordis viuifico instrumento destituātur, nempe calore vitali, qui à corde instrumento arteriarū p vniuersum corpus in omnes partes nutriendas diffunditur. & ob id calorem istum medici appellāt influentē calorem seu participatū seu ἐπίῤῥυτον cordis calorē, cùm suus cuiusq; partis proprius calor potius σύμφυλος, quàm ἔμφυλος ἐπίῤῥυτος dici mereatur: propterea φ ἔμφυτος calor & influens sit cā in omnib. reliquis partib⁹, vt nutriantur & vegetētur. Principatus hic cordis nullā desiderat probationē, cū sit sensu ipso manifestissimū. Sine cōmunicato isto calore constat, mēbra reliqua nō nutriri & vegetari, quo certè ēt extīcto calore cordis

omnes reliquas partes emori, & vita sua priuari necesse est. Neq; verò alia causa viuētibus adhuc corporib. τῆς ἀτροφίας existit, quàm priuatio influentis huius caloris, quem vt reuocent medici, interdum ad exteriora dropacibus & sinapismis extrinsecus appositis vtuntur, quibus nisi vtantur, necesse sit membrum tabescere, atq; omni vegetatione priuari, hoc calore penitus extincto. Ex quo par est intelligi sine calore influente à corde, nihil posse nutricationis esse particeps aut vegetationis. Quo manifestum est principatum viuifici caloris in corde esse, qui differat à calore elementari seu igneo, qđ deinceps planum faciemus. Paulo antè viuificum istum calorem respectu cordis dici & esse ἔμφυτον, & respectu partium extra cor appellari ἐπίῤῥυτον ostendimus. Quoad verò idem calefacit, vt vegetat reliquas omnes partes corporis, hac ratione ἔμφυτος dici non debet, quandoquidem illis partibus φύσει non insit, sed κατὰ πάθος, quemadmodum etiam Aristoteles sanguinem κατὰ πάθος & non ἐμφύτως calidum esse scribit. Itaq; solidas omnes partes corporis animati non ἐμφύτως sed κατὰ πάθος viuifico isto calore incale-

cale-

calescere dicimus, vt proprius calor constituens partium similarium substantiã σύμφυτος potiùs, quàm ἔμφυτος dici mereatur. Restat vt nunc, quæ causa sit vitalis huius caloris in corde ipso, explicemus: quòd autem propter animam talem vim & efficaciam in se habeat nemini dubium. Inter animatas substantias, & naturales quæ animæ sunt expertes, hoc discrimẽ esse omnes nouimus, quòd videlicet naturales substãtiæ nullam intra suam materiam præstare possint ἐνέργειαν seu actionem, sed duntaxat patientis corporis, quod extra agentẽ substantiam est seu efficientem, τῶν θιγγάνειν ἐνεργητικαὶ seu efficaces ad mouendum esse dicuntur propter formas suas, quibus præsertim esse solent & dici naturales. Diuersa ratio est substantiarũ animatarum, vt quæ formis sint præditæ talibus, quę intra suam propriam substantiam seu proprium subiectum mouendi alterandiq́ue vim & efficaciã obtinent. Vt caro aut neruus intra se habet principium suæ ἐνεργείας propriæ seu actionis, quam exercent siue nutriendo semetipsa, siue motum in loco exercendo, quo à seipsis .i. potentia animę motricis informatis ipsa moueri versus

principium ſuum & quaſi conuelli ſurſum verſus dicuntur. Non enim mouentur articuli, niſi nerui & muſculi naturali cõuulſione quaſi contrahantur, quo contractionis motu ſimul etiam articuli mouentur. Vegetatrix autẽ anima, aut motrix in loco, talium actionum cauſa dicitur eſſe: naturalis autem forma carnis aut nerui quatenus naturalis, principium non eſt mouendi, ſed patiendi tales motus, cùm natura principium ſit, quo res mobiles ſint & dicantur. Quum autem principiũ aliud ſit, quo potius mouere quàm moueri (ſiquidem anima ἀπαθὴς quædam ὀυσία eſt) aliquid dicimus. Sequitur vt in corpore animato, nempe qđ ſuo proprio & interno principio mouetur, duæ cauſæ motionis inſint. Vna eſt, qua mobile corpus propter formã naturalẽ mobile dicitur eſſe. vt forma naturalis carnis in cauſa eſt, vt caro mobilitatis ſit particeps, vt nutricationis aut conuulſionis naturalis. Anima aũt quæ naturam hanc carnis informando perficit, principiũ eſt quo caro non patiatur, ſed efficiat & exerceat tales motus in ſubſtantia carnea, mobili exiſtente propter ſuam naturam. Anima aũt non informat naturalem ſubſtan-

ſtantiam carnis, neq; etiã exercet ἐνεργείας ſuas in carne tanquam ſubiecto absq; corpore quodam, quod Stoici αἰθερῶδες ſeu ὄχημα τῆς ψυχῆς appellant, quod ἀπαθὲς, quemadmodum anima quoq; ipſa, exiſtẽs duntaxat ſit efficax ad agendũ & operandum, quam operationem ſeu actionẽ viuificam appellare ſolemus, ſiquidem vita nihil aliud ſit quàm ἐνέργεια & operatio animæ ipſius in corpore animato. Corpus illud proprium animæ, omnino ſpirituale eſt, quod Ariſtoteles ἀναλογίᾳ quadam ſimile dicit eſſe corpori cœleſti, quod ipſum etiam tantum mouẽdis his inferiorib. efficax ſit, & ἐνεργητικὸν & ἀπαθὲς, & viuificans caduca hæc corpora ſua vitali virtute & influentia. Tale corpus habere etiã animas teſtatur Ariſtoteles, quæ corpora gradibus & perfectionis & imperfectionis, & (vt Ariſt. loquitur) τιμῇ καὶ ἀτιμίᾳ inter ſe differant, quemadmodũ etiam ſubſtãtiæ animatę nobilitate & ignobilitate inter ſe diſcrepẽt. Corpus illud ſpirituale appellamus, quia ꝓpius accedit ad naturam ſpiritus ſeu animæ ſua ἀπαθείᾳ, & efficacitate mouendi conſeruandiq; corpus naturale, & quod quemadmodũ anima neq; excludat informatione ſua corp⁹ naturale, neq; à corpore

naturali excludatur, etiam dum informat & perficit & viuificat ipſum corpus naturale. Nec eſt quod dicat aliquis, animam ſeipſa poſſe tales ἐνεργείας viuificandi corpus naturale exercere, vt non ſit opus ei adminiculo huius quaſi cœleſtis corporis, quod nimirum autore Ariſtotele τῷ ἄνω ϛοιχείῳ proportione reſpondeat. Etenim anima extra ſe operationes ſuas exercet, & rationem habet δυνάμεως, vt nimirum ſit ὀσία δυνάμει, quę δύναμις in actum ſe profert reſpectu corporis cuiuſdam, vt nimirū anima ſine corpore quodā viuificare corpus naturale nequeat, vt anima cœli ſine corpore cœleſti viuificare hæc inferiora & caduca non poteſt. Quoniam anima non ſeipſa viuere, ſed ἐνεργητικὸν quiddam ſeu viuificans reſpectu corporis alicuius duntaxat dicitur, quoniam non intra ſe viuit, nec vitam in ſemetipſa habet, quemadmodum intellectus ſeu mens in ſemetipſa vitam habere dicitur & ἐνέργειαν, qua nimirū dicitur ὀσία eſſe ἐνεργείᾳ. Anima autem non vt forma naturalis, immediatè informat ſuam materiam, ſed mediante natura ſeu corpore illo ſuo cœleſti. i. quod proportione reſpondeat cœleſti corpori, anima-

tum

tum constituit corpus. Anima enim respe-
ctu corporis animati non tantùm forma-
lis, sed etiam efficientis causę rationem ob-
tinet. At ποιητικὸν αἴτιον nihil dicitur sine
corpore, quod videlicet effectio seu effi-
cientia sine contactu in rebus naturalibus
non possit esse, vt docet Aristotes in priore
libro de ortu & interitu. Naturale autem
corpus est pars animati corporis, quod ge-
neratur à plastica facultate antequam ani-
ma informet partes omnes, qua informa-
tione ἐνέργεια plasticæ facultatis desinit, &
ἐνέργεια animationis incipit in corporibus
animatis. De potentia enim materiæ tales
animæ à plastica potentia deducuntur in
actum. Quæ tamen animæ separabiles à
corporibus non sunt, vt humana anima se-
parabilis est. De quo plura diximus in li-
bro de facultate plastica seminis. Itaque a-
nima nec seipsa viuit, nec etiam viuificat si-
ne corporis adminiculo, quod paulo antè
appellauimus αἰθερῶδες, quod nimirum
proprium ipsius animæ & quodammodo
ὄχημα ipsius existat. At verò mens seipsa
viuit seu vitam habet in semetipsa. Ita & si-
ne adminiculo corporis suapte ὀσίᾳ fit e-
nergia. Mens autem animæ duplicē exer-

cet actionem; vnam qua verum contemplatur & theorica dicitur; alteram qua prodit extra se motibusque cordis & corporis gubernandis præesse, & hęc ipsius vita pra-ctica appellari consueuit. Talis est mens non tantùm humana, sed etiā cœlestis primus motor existens. Vt anima corpus perficit: sic perfectrix animæ est, eiq; vitā suppeditat mens ipsa. Mentes autē, vita & perfectio Deus ipse, quo viuificante beatas mentes esse dicimus, vt expertes Dei seu diuinæ vitæ miseras, & quasi mortuas esse dicimus. Causa ergo viuifici huius caloris in corde existētis est anima, suo corpori quasi cœlesti informans naturam cordis, quod corpus αἰθερῶδες, Aristoteles στοιχεῖον appellat, simile quodāmodo cœlesti elemento, quod qualitatibus materiatorū elementorum vacans, nihilominus causa sit viuifici seu vitalis caloris, cùm tamen ipsum neque calidum neq; frigidū sit corpus, quemadmodū etiam cœleste corpus viuificū est caloreq; vitali stirpes terraq; nascētia omnia viuifica, cum suis ipsa animæ virib. proprijs vegetari nequeant absq; illo calore solis, à quo tanq̄ à corde vitalis calor in stirpes diffunditur, q proprius illorū non est, sed ipsis

κατὰ

κατὰ πάθος inest eodem modo, quo cordis calor per omnes partes diffusus, sine quo functiones vitæ reliquæ partes nullas præstare possunt. Non rectè sentiunt, q calidũ natiuum, cœleste illud corpus: aut simile cœlesti arbitrantur esse. Nam natiua caliditas, vt etiã humidum, materialis est qualitas concremento elementorũ proueniẽs, cùm viuificare illud calidum proprium sit animę ratione corporis illius, quod cœlesti corpori proportione cõparatur, quod corpus Arist. scribit in secundo de generat. animal. neq; ignem esse neq; igneum quiddam, siquidẽ ignis nõ viuificet, neq; etiam ignea seu calore igneo prædita, & necessitate viuẽtia pducant. Structura porrò cordis tribus distinguitur differentijs calorũ, & primus quidẽ quodãmodo substantialis est cordi, q dicitur vitalis seu viuificus, à natura aīæ cordi insitus: alter aũt est & dicitur natiuus, q adscribit cordi pp temperationẽ quatuor elemẽtorũ, q quasi materia cordis est, pprius seu naturę ipsius materię, pp quã nãm caro cordis pfectioni caloris viuifici subiect⁹ dicit, & vulgo ipsũ vocãt natiuũ calorẽ seu ἔμφυτον. Terti⁹ est calor elemẽtaris sc. seu igneus, q aut κατὰ φύσιν, & sic sanitas

appelatur, aut παρὰ φύσιν, & hac ratione morbus cordis dici conſueuit. Duo poſteriores calores ſecundum magis aut minus, gradibusq́; quibuſdam inter ſe differunt. Viuificus autem calor vnus idemq́ue eſt, nec magis aut minus recipit, cùm ſit proprius ſubſtantiæ cordis & quodammodo ſimilis calori ſolis, qui vnus idem eſt, ſed ꝓ ſubiecti varietate magis minusq́; calefacere dicitur. Conſubſtantialem autem appello calorem illum viuificum, quia ſimul ſit cum natura cordis, & perempta natura ipſius ſimul ipſe quoq; deſinit eſſe, & vt natura cordis non recipit magis & minus, ita nec conſubſtãtialis ille. Etenim vt ſubſtantia, ita quoque proprium ſubſtantiæ πάθος magis & minus reſpuunt: quoniam magis & minus rebus naturalibus accidunt propter materiã, & propter qualitates ſeu accidentia quædam, non autem propter ſubſtantiam, aut propter propria πάθη ſubſtantiarum. Calor porrò natiuus ſeu ἔμφυτος compoſitus eſt ex eo, qui proprius eſt αἰθερώδους σώματος, & calore qui cordi ineſt propter craſin elementorum, & quem ignem hactenus appellamus, quod videlicet cauſa ipſius in mixto corpore ſit

igneum

igneum elementum. Oſtendimus ſuprà viuificum illum calorem ſeu vitalem non prouenire à materiato, ſed quodam quaſi cœleſti corpore, & qui ſenſu (vt calor ignis) percipi nequeat, ſitque duntaxat ἐνεργητικὸς & non παθητικὸς, cùm ſit quaſi forma reſpectu caloris natiui, qui cum cõtrarijs elementis mixtile quoddam corpus conſtituit. Analogia quadam cœleſtis corporis & caloris quod diximus intelligi poteſt: ſolem quaſi cor & fontem dicimus eſſe viuifici caloris, quo ſole ſtirpes etiã quæ in terra naſcuntur, vegetantur & vireſcunt: is radijs ſuis virtutem hãc vitalem diffundit in omnibus, qui radij & quę virtus conſubſtantiale πάθος eſt ipſius ſolis, nec magis nec minus recipiunt, idemque ſemper numero manent, nec euaneſcunt, vt calor elementaris euaneſcit, neq; etiam minuũtur vel augentur, cũ materia vacent, quemadmodum ſol ipſe cum materia non eſt concretus. At verò calor elementaris augetur & minuitur, quanquam ἔμφυτος calor, quoad materiatus eſt, tantum minuitur, & non etiam augetur, propterea quod ipſius craſis nullam habet reparationẽ ſeu ἀναστοιχείωσιν quandam. Deinde idem ca-

lor natiuus non idem numero manet semper, sed ratione suarũ partium causa materiæ perpetuò exhalat & euanescit in corpore animalis, nec alio modo vnus esse dicit, quàm συνεχείᾳ, quemadmodum ignea flamma vnitatẽ habere dicitur pp continuitatem fluxionis, siquidẽ flamma nihil aliud est, quàm perpetuũ ῥεῦμα, quo partes exhalationis igneæ euanescentes & subinde succedentes & renascentes continuantur. Simili modo calor etiam ἔμφυτος, quoad materiatus est, semp in corpore nostro exhalat, euanescitq; tanq̃ flamma ignis, & vicissim reparatur quotidianis alimentis, quibus vegetantur animantium corpora. In stirpibus licet hoc modo calor materiatus seu elementaris non tantopere euanescat, quod videlicet tanta ipsius vis & efficacia non sit in stirpibus, nihilominus tamen subinde diminuitur & decrescit, vt tandem viriditas hęc, q̃ prouenit in ipsis, marcescat, & quodammodo vegetatrix anima priuatione caloris obstupescat, etiamsi nõ emoriatur, qđ fit secundum autumnũ & hybernum tempus. In animalibus fomentũ seu ὑπέκκαυμα caloris huius elementaris, est humidum natiuũ. Est .n. calor ille in aliena

mate-

materia, quemadmodum flammeus calor in aliena materia esse dicitur, qui vt paulo antè ostendimus, semp̱ euanescit, semperq́; nouo nutrimento reparatur, vsq; dum vita animalis durat. Euanescit aũt perpetuo pp̱ materiam, quã constat nõ esse ꝓpriũ ignis seu caloris ignis elementaris (ignis .n. synceri forma in sua ꝓpria materia cõsistit, & tali fluxu non habet euanescentes partes) Reparatio autẽ seu refectio caloris huius prouenit à natura animę, q̃ est nimirũ αἰθερῶδες illud σῶμα vitali efficacia p̃ditum, q̄ semper idẽ numero est, isq́; tanq̃ cœlestis ignis detrimẽti expers existit, simulq́; cum aĩa abolita per mortem desinit esse. Anima aũt nõ ipsa per se, sed pp̱ materiam, cũ qua est compacta, & ꝓpter qualitates elementorũ, q̃ sunt in hac mixtione materiæ, dicit̃ interire, quoniã nulla forma aliàs etiã corrumpi & interire per se dici solet, sed pp̱ totũ & compositũ abolitũ ipsa quoq; forma (sed p̱ accidens) pati interitũ dicitur. Hactenus calor insit⁹ quomodo sit cõpositus cũ calore viuifico aĩę & elementari calore exposuimus, qualem calorẽ ἔμφυτον substãtię cordis adscribimus, quo ipsum seipsũ vegetando cõseruat, & nõ modo seipsum, sed ẽt

reliquas omnes partes corporis vegetat & viuificat diffusione sanguinis & spiritus vitalis per arterias in vniuersum corpus. Illũ sanguinem spiritumq; cor per se creat intra se, nec non etiam eundem creat instrumento arteriarum à se propagatarũ, quib. etiam spiritus ille vitalis vnà cum sanguine in omnes partes fertur, quo & calefiũt, & omnes partes corporis nutriũtur etiam. Spiritus autem ille generatur ex sanguine: atq; substãtia sua spiritus ille αἰθερῶδες σῶμα & nõ simpliciter aër existit, qui aër nec nutrit nec materia nutrimenti esse potest, vt nonnulli putant. Sed vt aqua non nutrit, verùm recreat tantùm vires: ita quoq; aër spiritum vitalem non nutrit: nec materia est nutritionis, sed si præter naturam calefiat, ipsum refrigerando recreare & temperare solemus. Cor autem non tantùm è sanguine generat spiritum illum vitalem, sed suum proprium calorem quoque substantia illius caloris tuetur & conseruat: nõ minus quàm reliquas partes corporis. Deficiente autem illo spiritu, vt fit in syncopa, corpus ipsum totumq; adeò corpus de vita periclitatur. Ex quo euidens est, cor ipsum suo proprio spiritu vitali, suam incolumitatem

tatem & ὀσίαν defendere ac tueri, qui ſpiritus & ipſe compoſitus eſt ex elementari ſubſtantia aërea,& efficacia viuifici corporis, quod ſuprà nominauimus αἰθερῶδες σῶμα. Ipſum enim virtute ſua diffundit viuificum vigorem in iſta aërea ſpiritus ſubſtantia, quemadmodũ ſol radios ſuos diffundit in pellucido corpore, vt quãuis aëreum illud corpus propter tenuitatẽ ſuam &calorem ſemper exhalat,nihilominus viuifica illa qualitas non exhalat, ſed eadem numero manet, quemadmodũ ijdem numero radij ſolis permanent immobiles, quamuis ſubinde aër mobilis & non idem numero exiſtat. Hactenus quæ caloris ſpiritusq; vitalis natura ſit & proprietas expoſuimus:nunc deinceps eundem ſpiritum in ventriculis quoq; contineri, nec alium eſſe & diuerſum ab eo, qui vulgò animalis appellatur, euidentiſſimis argumentis, vt opinor, demonſtrauimus.

CAPVT III.

Spiritum, qui continetur in ventriculis cerebri, vitalem eſſe, et non animalem, differentem ſubſtantia à vitali.

CONSTAT cerebrum ſedem & domicilium eſſe ſenſionis & rationis,

quemadmodum ſedes affectuum eſt cor ipſum, vt ſuprà probauimus. Corde quidem nihil mobilius eſſe cõſtat, cùm propter pulſuum agitationẽ ſuſq; deq; perpetuam, & ꝓpter affectuũ turbationem, quib. vtriſq; motibus obnoxium eſt ꝓpter ſummũ calorem: qui & ipſe mobilis eſt ſemper & nihil quietũ eſſe patitur, in quocunq; exuperet ipſius qualitas. Cerebrum aũt ex omnibus corporis partibus, autore Galeno & Ariſtotele, cenſetur temperamẽto ſuo frigidiſſimũ eſſe, & quod Ariſtoteles ꝓpter frigus cor calori oppoſitũ eſſe opinatur, vt nimirum feruorem cordis qualitate contraria temperaret, (in quo tamen multũ fallitur) nec aliud ei munus aſſignare videtur Ariſtoteles præter hanc refrigerationem. At nos cum anatomicis energian & officinam ſenſionum motioniſq; in loco, & facultatẽ qua cientur animalia adſcribimus. Inprimis autem principatum interiorum ſenſuum diſcretioniſq; iudicium, qua diſcernit res ſenſiles extra ſe poſitas, cerebro attribuimus. Quod officium & quam ἐνέργειαν vt præſtare commodè poſſit, ſedatum ipſum tranquillumque ſtabili & firma natura præditũ eſſe oportuit. Quamobrem non

non ſine cauſa frigidius eſt factũ reliquis, cũ frigiditas cauſa ſit ſtabilitatis quietisq;, quemadmodũ calor ipſe mobiliſſimus eſt, & in quibus ineſt calor multus, eadem inquieta etiã inſedataq; neceſſe eſt eſſe, ꝓpter quam cauſam & cor quoq; ipſum perpetuis motibus agitari ſolet. Cognitio autem & ratiocinatio & ſenſio pro motibus haberi nequaquam debent, vt autor eſt Ariſtoteles lib. 7. phyſic. certæ & ſtabiles debent eſſe oẽs notitiæ & apprehẽſiones tũ ſenſus tum rationis, cùm nihil ne intelligere quidẽ nec ſentire dicatur, q non idem ſtabiter intelligat aut ſentiat, cũ pro inſanis habeantur, q turbulentis ſenſionibus aut rationibus vexantur. Quamobrem notitiæ tales cognatiores ſunt magis ἠρεμήσει, quàm κινήσει, vt Ariſtoteles docet libro 1. de anima. Manifeſta ergo eſt cauſa, cur cerebrum frigidius ſit reliquis, & qualitate ſua natiua multum differat à temperamento cordis. Veruntamen quamuis frigidius ſit, ob id tamen temperamẽto caloris vitalis vacare nõ debuit, extra quam temperationẽ ſi frigidius exiſtat, neceſſe ſit ipſum ſtupeſcere, vel morbido quodam affectu, vt lethargo, aut caro, aut naturali ſtupore, qui ſomnus

appellatùr. Frigus enim exuperans omnes animatas ἐνεργείας actionesque impedire solet, quod & in stirpibus euenire & in animalibus euidens est, vt probatione non egeat. Ex quo perspicitur cerebro opus esse temperatissimo quodam calore, vt suas actiones & officia exercere possit. Temperatissimus autem calor est spiritus vitalis, propterea quod eius substantia sit ἀερώδης seu aërea. Aërem autem constat temperatè esse calidum: calorem autem qui sit in crasso solidoq; corpore illum esse feruidissimũ, qualis est in cordis substantia, quamuis cor causa sit generationis spiritus vitalis & aërei, quem generat ex sanguinis substantia, qui & ipse sanguis calidior spiritu est, siquidem crassiore etiam substantia sit præditus. Temperatus autem ille calor spiritus vitalis non tantùm reliqua membra omnia, sed etiam cerebrum ipsum vegetat, quin etiam cor ipsum vegetat: propterea quòd indiget etiam temperatione hac, ꝙ immodico feruore terrenæ ipsius substantiæ exurantur, quam exustionem prohibet etiam aëris perpetua inspiratio & expiratio temperando calorem illum & igneum feruorem repurgando à fuliginosis excre-

Calidius multipliciter dici, monet Aristoteles lib. 2. de part. animalium.

men-

mentis, quale non generatur in vitali ſpiritu, cum ſit aëreus & non igneus, vt in ſanguine & in corde: quibus refrigerãdis etiã pulſus perpetuus opitulatur. Proinde frigidiore exiſtẽte cerebro reliquis partibus, & cum feruidi caloris nõ ſit capax propter cauſas ſuprà dictas, foueri ipſum & vegetari neceſſe eſt plurimo ſpiritu vitali, & qui impleat etiam ipſius cauitates, (quas appellant ventriculos cerebri) quo abundare etiam ſpiritu ipſum oportet, vt temperatiſſimum in ſe haberet calorem, cùm impatiens ſcilicet ſit exuperantis caloris non minus atq; frigoris. Quod autem ſpiritus ille contentus in cauitatibus cerebri, non alius ſit quàm vitalis, non tantùm finiente cauſa, quod modò à nobis factum eſt, ſed etiam efficiente & materiali cauſa demonſtrabimus. Galenus in quodam libro methodi curandi, tres differentias commemorat ſpiritalis ſubſtantię, naturis & locis inter ſe diſcrepantes: & ſpiritum quidem naturalem in venis generari ſcribit, de quo tamen dubitat, & nõ immeritò. Proprium enim ſpiritum ſanguis habere non poteſt, neq; illum venarum calor generare potuit, quod videlicet calorem ſanguis & venæ vi-

uificum à ſeſe non habeant, & propriũ ſuumq;,ſed alienum & acquiſititium ſeu ἐπίκλητον,qui nimirum ipſis affluit ꝓpter coniugium arteriarum, ſine quo neq; ſanguis neq; venæ vegetari poſſunt. Deinde natura cùm frigid⁹ ſit ſanguis, venarũ calor ipſum non hoc modo calefacit,vt ſpiritalem ſubſtantiam generet in ipſo, quod propriũ eſt caloris arteriarum, alioqui diſcrimen nullum eſſet inter venas & arterias, nec venæ viuificum calorem acceptum referrẽt ipſis arterijs, à quibus calorem illum accipiunt autoribus anatomicis. Quare conſtat ſpiritus naturalis nullam eſſe cauſam, vt ipſe etiam nullius effectus habeat ex neceſſitate rationem. Deinde animalis ſpiritus quomodo generetur, aut ex qua materia generetur, Galenus non explicat, quare & illum fictitium eſſe certius probari poteſt, quàm ipſum reuera exiſtere, qđ in præſentia facimus. Solus igitur vitalis ſpiritus reſtat,& eſſentiam paulo ante & cauſas eiuſdem his argumẽtis demonſtrauimus, vt deſiderari nihil poſſit. Generationis cauſam diximus eſſe efficiẽtem quidẽ ipſum cor & arterias: materialem autẽ eſſe cauſam ſanguinem ipſum corde arterijsq; contentum. Quod ſi ani-

animalis differt à vitali ſpiritu, quæro quænam cauſa ipſius ſit efficiens ſeu generans, aut q̃ materia, aut q locus materiæ? Si ſanguis materia eſt, aut is intra arterias cerebri continebitur, aut extra arterias effundetur in ventriculos cerebri. Si contentus intra arterias mutetur in ſubſtantiã ſpiritalem & aëreã, cauſa nimirũ huius mutationis eadẽ erit q̃ in reliquis omnibus arterijs. Cùm aũt materia & efficiens cauſa ſit eadem, neceſſe eſt vt effectus quoq; ſit idẽ, .i. vt quod generatur illis cauſis, ſit ſpiritus vitalis & non animalis. Aut ſi ſpiritus animalis materia ſit, extra arterias effuſus ſanguis in ventriculos cerebri, quem deinde cerebrũ ſua ſubſtantia permutet in ſpiritũ animalẽ ſuo contactu, nulla ratio reperietur, ꝑp quam tales ſpiritus generari queant etiã ratione ſeu reſpectu materialis cauſæ, nec non ẽt efficientis cauſę. Nã effuſus ſanguis in cauitatib. in grumũ concreſcit, aut mutatur in pus. Deinde ſpirit⁹ generatio ex ſanguine nulla eſſe poteſt, niſi efficiẽs cauſa multũ in ſe calorẽ vitalem cõtineat, vt in ſe cor & arteriæ obtinẽt. Conſtat aũt reliquis omnibus partibus cerebri ſubſtantiã frigidiorem eſſe, vt ſpiritibus generandis nullo

modo efficax esse possit, quum ipsum magis calefieri (quàm calefacere) spiritu vitali oporteat. Neque etiam spiritum vitalem in alium spiritum, nempe animalem, contingit permutari opificio cerebri ex arterijs egrediēte, impleto ventriculo ipsius. Etenim consentaneum non est, spiritum materiam generationis esse alterius spiritus. Et omnino spiritum causam instrumentalem esse constat animati corporis, & non ipsum esse animatū. Sanguis enim & spiritus animata corpora non sunt, sed instrumenta sunt quibus corpus vegetatur & nutritur. Sanguis enim materia est, quæ animato corpori assimilatur nutricatione, & ex inanimata fit animata pars: vt sanguis tum demum animationis est particeps, quando in solidæ partis substantiam, carnis vel nerui, vel cerebri, vel mēbranæ permutatur. Illud enim quod nutritur & vegetatur (nempe solidæ partes) animatum existit: sed quo vegetantur & nutriuntur inanimata quædam materia existit. Simili modo spiritus vitalis instrumentum est efficientis causæ nutricationis, nempe eius quod nutritur: quoniam quod nutritur viuifico spiritus vitalis calore tanquam instru-

stru-

ſtrumento, ſemetipſum vegetat & nutrit. Eisdem cauſis & inſtrumentis ſemetipſum cerebrum quoq; vegetat & nutrit: ratione autem vegetationis inſtrumentis eisdem vtitur (vti omnia alia) ſanguinis & ſpiritus vitalis, vt vitalis ille ſpiritus incluſus in ventriculis cerebri, inſtrumentum ſit vegetatricis ipſius animæ, & non animæ ſentientis aut mouentis in loco. Autore autem Galeno, exercendis vitæ muneribus atque energijs ſolidæ partes principem facultatẽ obtinẽt, quoniã vt inquit Galenus, τὰ στερεὰ μόρια πρώτως ἐνεργεῖ: vt verbi gratia, vegetatricis animæ inſtrumẽta ſunt ſolidæ partes nutricationis. Ipſæ enim ſunt quæ nutrimentum in ſimilem ſui ſubſtantiã permutant: ſed inſtrumento (vt diximus) ſanguinis & ſpiritus vitalis. Iisdem inſtrumentis etiam cerebrũ ad ſemetipſum nutricandum & vegetandum vtitur: & vt cerebrũ quatenus eſt anima vegetatrice præditum, πρώτως exercet energiam nutricationis, ita quatenus eſt inſtrumentum ſentientis & mouentis loco animæ, ſimiliter dicitur πρώτως ἐνεργεῖν ratione ſenſionis & motionis in loco. Reſpectu autem harum energiarum ipſum quoq; inſtrumẽtis qui-

busdam vtitur, vt neruorum & exteriorum sensuum structuris, item musculorũ cum neruis consortio, sine quibus cerebrum neq; sentire neque mouere animal voluntario motu queat. Ex quo euidens est, spiritum in ventriculis inclusum cerebri, non esse principale instrumentum animæ sentientis aut mouentis, sed ipsius vegetatricis animæ spiritum illum instrumentum esse, non differentem à reliquo vsu, quem spiritus vitalis habet in omnibus vegetandis partibus. Quo manifestum est hallucinari Galenum, quando scribit spiritum illum in cerebro aut esse animam ipsam sentientem, aut esse principale ipsius instrumentum. Neutrum enim esse verum, paulò antè cõmemoratis argumentis perspicuum est. Quod si spiritus ille proprius nõ est cerebri, quatenus cerebrum instrumentum est sensus & motus, sequitur vt etiam necesse non sit, ipsum influere aut substantia aut qualitate sua in neruos, quod idem Galenus pro certo affirmat. An substantiæ, an verò duntaxat qualitatis cuiusdam causa in neruos penetret, dubitare videtur in lib. 6. de placit. Hippoc. & Plat. Nos paulo antè spiritum illum ostendimus vegeta-

geta-

getatricis animæ inſtrumentum eſſe, cùm in omnibus alijs partib. tum etiam in cerebro, quo calore etiã nerui in vniuerſo corpore diſperſi non deſtituuntur propter arterias, calorẽ illum per totũ corpus diffundentes, vt eo non tantũ carnes, ſed etiã nerui ac reliquæ partes ſimilares incaleſcant. Nam vt cerebro, ita quoq; neruis frigus infeſtũ eſſe conſtat, & vt Hippoc. loquitur, inimicum. Quærat fortaſſe quiſpiã, vnde nerui vim illã ſentiendi accipiant, cũ per ſe talem facultatem non habeant: quod manifeſtũ ex eo eſt, quod obſtructis illis craſſo humore aut præciſis, in parte inferiore neruorũ ſenſus motusq́; perimitur, vt neceſſe ſit, facultatem hanc neruis ineſſe, cõmunicariq́; ipſis à cerebri ſubſtantia. Atqui ipſis influit qualitas quædã, ꝓp quam facultatẽ habeant iſtam ſentiendi & mouendi corpus. Huic ſimilis eſt qualitas pulſatoria, q̃ à cordis ſubſtantia penetrat in ſubſtantiã arteriarũ, facultatem hãc pulſus conciliãs ipſis, quã per ſe & à ſe ipſis non habeant arteriæ. Amborum viſcerũ principum conſtat tales δυνάμεις eſſe ἐπιῤῥύτους, & nõ ἐμφύτους, quẽadmodũ facultates naturales aliàs in omnibus partib. corporis ἔμφυτοι dicuntur eſſe. Sed

hæc quia nota ſunt medicis & philoſophis, pluribus non cenſeo eſſe explicanda. Nec minus etiam illud Galeni falſum eſſe videtur, quod ſcribit ſpiritum animalem poro quodam ſeu meatu per medium opticum neruum tranſire in oculum, & propter illũ aliàs dilatari pupillam, aliàs verò contrahi anguſtius: ſiquidem huius motionis foraminis vueæ tunicæ oculi alia mihi videtur cauſa eſſe, nempe muſculus medius in radice oculi, circundans neruum opticum, cuius contractu cenſendum ampliari vueę foramen. Relaxatione autem idipſum fieri anguſtius & contractius, ſiquidem tunicæ terminari in extremo ſeu radice oculi videntur, vt hoc nomine talis motus inſit ipſi tunicæ vueæ propter cõiugium rotundi dicti muſculi. Quod diximus manifeſtiore ſigno euidens eſt in Catorum oculis, quorum foramen pupillę ſubitò interdum rotunda ſpecie dilatatur, relaxato autem illo contrahitur vuea tunica circa foramen non rotunda figura, ſed in longum protracta, rimæ cuiuſdam anguſtæ repręſentans ſpeciem. Quod ſi ſpiritus implens oculum cauſa eſſet huius motionis, ſequeretur, vt quemadmodum dilatata pupilla rotũdam

habet

habet ſpeciem, vt eandem quoq; figuram contracto foramine haberet, quod in aliorum animalium oculis accidit. Quin etiã de poro illo ſeu meatu anatomica inſpectione non conſtat. Scribit enim Veſalius experientiſſimus anatomicus, ſeſe nunquã vidiſſe meatũ illum in neruo optico grandiſſimo boum, quantumuis recens mactatis bobus neruum illum conſideraret & inſpiceret. Non minus alienum à vero eſt etiam quod ſcribit Galenus, ſpiritus illius in oculo exiſtentis extra oculum αὐγοειδῆ qualitatem diffundi in pellucido, & penetrare vſq; ad rem conſpiciendam ſeu aſpectabilem, quam ſic attingendo quaſi radijs ſpiritus huius, oculus dicatur exercere ἐνέργειαν viſionis: cuius opinionis abſurditas ab Ariſtotele acutiſſimè eſt confutata, vt ferè à Galeno nihil potuerit dici aut defendi abſurdius. Sed omiſſis illis reuertor ad probationem ſpiritus vitalis, quem nos dicimus ventriculis cerebri contineri. In ſuperioribus oſtenſum eſt, cerebrum non indigere feruido calore, qualis eſt in corde, aut qualis etiam eſt, quamuis remiſſior, in reliquis partibus, ſed admodum temperato, quo nimirum ſic vegetetur cerebrum,

vt officio ſenſionum non ſit impedimen-
to. Quare & ſanguinem cerebri quo nutri-
tur minus feruidum eſſe oportuit, & ſpiri-
tus vitalis maiorem copiam: quę vẽtriculis
ipſius includeretur ſine ſanguine, ſedatiſſi-
mè & quietiſſimè calefaciens ipſum cere-
brũ ſuapte natura frigidius exiſtens. Quod
ad ſanguinem attinet, arterialis ſanguis nõ
multus eſt in ipſo cerebro propter immo-
dicum ipſius feruorem, ſed natura ſagax &
prouida ſanguinem venarũ & arteriarũ ſi-
mul mixuit in quatuor ſinub⁹ in dura mẽ-
brana efformatis, qui tamen ſinus eſſent
conſtituti, & quaſi conflati ex corporib. ve-
narum & arteriarũ, in vnam quandã ſub-
ſtantiam quaſi mixtorũ & coaleſcentium,
vt mediam quandã naturam habeant inter
venas & arterias. Ita quoq; in his incluſus
ſanguis mixtus eſt & temperatus ex vtroq;
ſanguine, frigidiore ſcil. qui venarum pro-
prius eſt, & calidiore, qui proprius eſt arte-
riarum, vt ex vtriſq; vnus mixtus & optimè
temperatus calore & frigore ſanguis in his
ſinubus includeretur. A quibus propagines
enatæ cerebri ſubſtantiam idoneo nutri-
mento vegetarent, i. temperato quodam
ſanguine in ſinubus iſtis contento nutri-
rent,

rent,qui tamen ſinus,vt Veſalius inquit,inſtar arteriarum pulſu quodam eſſent præditi,quo maior copia vitalium ſpirituũ penetraret ad ventriculos cerebri, ad quos peruenire etiã ramos nonnullos inde propagatos ſcribit,haud dubiè vt ex illis etiam in ventriculum portio quædam influeret ſpiritus vitalis. Ad generationem quoque eiuſdem ſpiritus facit plexus ille arteriolarum χοροειδὴς, in ventriculis cerebri efformatus, vt copiam vitalis ſpiritus nunquam deficientem generet & efficiat. Propter eandem cauſam plexus etiam ille retis mirabilis, quod ex complexu multarum venarum & arteriarum compoſitum eſſe dicunt anatomici, in cerebro boum vel ouium, & ſubiectum baſi cerebri, in quo ſanguis contentus extenuetur & concoquatur, vt illic plurimus generetur ſpiritus vitalis,qui deinde exhalet,& ſubeat in ventriculos cerebri: ſimilemq́ue vſum habet plexus ille, quem habet plexus efformatus in ventriculis humani cerebri. Reprehenditur Galenus à Veſalio anatomico, q Veſalius negat plexum illum ſub baſi cerebri reperiri in humano cerebro, ſed duntaxat in boum & caprarum cerebris, vt hac in

parte pronunciet cæcutijsse Galenum in anatomia humani cerebri. Sed hæc hactenus sufficiant de generatione multi spiritus vitalis redundantis, & copiosè affluentis in cauitatibus cerebri, quibus vegetari substantiam cerebri oporteat, & non qui spiritus sit instrumentum sensionum aut motus in loco animalium in neruis, nec substantia nec qualitate sua penetrãs. Proinde vt calore isto vitali cerebrum eget & vegetatur, ita quoq; defectu istius caloris hebetatur & stupet: quod manifestum est tam in affectibus secundum naturam cerebri, quam in affectibus qui ei accidunt contra naturam. In syncopa enim affecto corde & spiritu vitali ad ipsum confluente, ipsum etiam cerebrũ suo calore priuatur, nec sentire propter stuporem nec mouere loco corpus potest. Soluta autem syncopa & reuertente ad cerebrum spiritu illo per arterias suas, rursus functiones suas cerebrum obire incipit. Præterea non alia est causa quod per somnum stupescit cerebrũ, quàm quòd somni tempore diminuitur spiritus vitalis & calor in cerebro, & qui in arterijs est plurimus, magna ex parte versus cor ad interiora ab exterioribus confluit.

fluit. Somni enim tempore naturales vires, quibus ſanguis & ſpiritus generãtur in corpore, calidiores ſunt & efficaciores pp collectum calorẽ in interiorib. viſceribus. Etenim vires facultatis animalis non tam cibo ſeu alimentis quàm quiete & ſomno reparantur reficiunturq́;, propterea quòd motibus & ſenſibus, dum vigilat animal, magna copia caloris & ſpiritus vitalis exhalat, cùm ſine intermiſſione propter tenuitatem ſpiritus ille diffluat, tanquam ῥεῦμα quoddam flammeum ſemper exhalans & euaneſcens: cuius ſignum eſt quod corpus noſtrum quamdiu viuit calore ſuffunditur, qui ſenſu tactus etiam percipi ſolet, & veſtitu, ſi cohibeatur: ne diffletur hyberno tempore cauſa eſt, vt veſtibus calefiamus, cùm ipſæ per ſe veſtes nos non calefaciant. Fluxus ille & euaneſcens perpetuò calor in cauſa etiam eſt, vt non poſſit ſine alimentis corpus noſtrum viuere. Nã vt ignis in foco cõtinuari nequit, niſi ſemper ſuggeratur materia, quam flamma depaſcat & conſumat: ſic calor animalis ſemper euaneſcens ὑπέκκαυμα requirit, nempe nutrimenta per os ingeſta, quo foueatur, & detrimẽta fluxionis iſtius reſarcian-

tur. Cauſa igitur hæc eſt, propter quam interdiu conſumitur ſpiritus vitalis iſta effluxione & difflatione de qua diximus, & eò magis exhalat ſubſtantia ſpiritus, quò impenſius ſentiendo & laborando defatigatur corpus. Hoc detrimentum ſpiritus vitalis ſequitur ſomnus. Somni autem effectus eſt refectio & recuperatio per quietẽ ſpiritus vitalis, qui ſenſib. ſeu cerebro neruisq; ſuppeditat ſufficientẽ calorem, vt munus ſuum poſſint exercere. Nec alia cauſa eſt & defatigationis & moleſtiæ, quę laboribus, i. energiis ſenſionum & motionum deprehenduntur, quàm diminutio caloris natiui, qua diminutione nerui & membra afficiuntur, propter laborem ſc. & vigilias, quibus langueſcere & quodammodo ſtupeſcere neruos & cerebrum oporteat. De neruis non eſt dubium, quod laborib. defatigentur: de cerebro non tam conſtat, vtrum etiam ſentiendo defatigetur & laboret. Quod autem cerebrum etiam laboret & ſenſus ipſi, Homerus etiam teſtatur, vt quando Vlyſſes continuatione viſionis dicit ſibi laboraſſe oculos. Sic enim loquitur apud Homerum Vlyſſes, ἔκαμον δέ μοι ὄμματα ſeu ὄσσε. Hippocrates in primo etiam

de

de diæta aſſiduis energijs ſcribit defatigari ſenſus noſtros: & præterea aſſidua ſenſione & continuata moleſtari nos & tædio affici notiſſimum eſt, vt ferè nemo ignoret, voluptatum quoq; maximarum ſatietatẽ eſſe nullam aliam ob cauſam, quàm quòd vitalis caloris conſumptione ſeu exhalatione nerui laſſitudinem quandam & moleſtiam ſentiant: & ob id eorundem quoque energiæ non moleſtia carent propter laſſitudinem neruorum, qua energia langueſcente & deterius ſe habente, neceſſe ſit etiam voluptatem moleſtia & tędio permutari: quæ cauſa etiam eſt vt voluptates hominum (vt ille inquit apud Terentium) non ſint perpetuæ, quemadmodum perpetuæ ſint Deorum voluptates. Nam ſi idẽ obiectum quod vehementer delectat, idemq; vigor ſentiendi in noſtris ſenſibus perduraret, ſequeretur vt ſemper perfecta ſenſio eſſet, & hanc ſenſionem perpetua quædam voluptas comitaretur. Sed his omiſſis (quæ planius apud Ariſtotelem in Ethicis explicantur, & vberius in tractatu de voluptate) ad noſtrum propoſitum denuò reuertamur. Quamuis complures ſunt aliæ cauſæ ſomnificæ, hæc tamen quam

commemorauimus, maximè naturalis eſt, ea verò ſomni cauſa, quam adfert Ariſtoteles, minus conſentanea videtur eſſe, qui non cerebri ſed cordis refrigeratione creari hoc πάθος ſomni exiſtimat, cùm tamen in ſomno cor magis vigere & ſpiritus recreari & interiora calefacere, quàm inter vigilandum videatur. Huic haud diſſimilis cauſa eſt, quòd in magno terrore aut metu tremulo motu quatiuntur mēbra, nempe ab exterioribus vitali ſpiritu diffugiente ad interiora corporis, & hac refrigeratione membris trementibus. Signum eſt, neruos etiam caloris vitalis abundantia roborari, motusq́; validiores exercere, vt hanc ob cauſam irati robuſtioribus membris vtantur, quam non irati, quoniam ira diffunditur calor & ſpiritus vitalis magis ad exteriora membra, quàm ſedato corde & tranquillo exiſtente. Hactenus, vt opinor, certiſſimis & euidentiſſimis argumentis eſt demonſtratum, ſpiritum qui contineatur in ventriculis cerebri non alium eſſe, quàm vitalem ſpiritum elaboratiſſimum & temperatiſſimum, quo cerebrum vegetatur vt inſtrumento animæ vegetatricis, & non quo ſenſiones & motiones membro-

bro-

brorum in loco exerceantur, vt visum Galeno fuit, qui non rarò causam sine qua non, pro causa principali allegare solet. Si cui secus videatur, Galeniq; sententiã magis probandam existimet, equidem non laboro. Non enim tanquam dictator prȩscribo alijs, quid sentiendum sit, sed quid mihi videatur esse verissimum, planis minusque obscuris rationibus exponendum hoc scripto putaui: quod si quis redarguat verioribus rationibus oppositis, tantum abest, vt ægrè sim laturus, vt etiam permagnas ei gratias sim habiturus, qui me non rectè sensisse suis verioribus conuincat sine calumnia & maledicentia.

DE CALORIS VI ET EFFICACIA IN REBVS NATVRALIBVS, TVM *generandis tum corrumpendis,* *autore Iacobo Schegkio Schorndorffense.*

CAPVT I.

MVLTAE me variæque causæ impulerunt, vt aliquid de caloris natura & efficacia scriberem, propterea quòd vna hæc qualitas quasi fabricam & officinam in generandis corrumpendisq; rebus naturalibus sibi vēdicare videatur. Vna enim est inter omnes qualitates primas efficacissima, & sine qua reliquæ qualitates simplices nullam vim habeāt, vel ad substantias, vel accidentia rerum constituenda, vt merito qualitas hæc quasi opifex & δημιουργὸς existat, autoribus etiam philosophis, quod

ipsum

ipſum etiam ſatis ſuperq́; experiẽtia ſit notum. Occurrunt etiã nobis de natura caloris cõmentantibus multę perplexæq́; quæſtiones & dubitationes, quas explicare nõ admodum ſit facile, & de quibus nonnulli diſputando magis inuoluere cognitionem hanc, quàm explicare veritatem eius conſueuerunt, dum fictis falſisque rationum fundamentis, quid in hac diſputatione verum ſit perſpicere & declarare nequeant. Multa enim explanant non veris & ſolidis, ſed à ſe fictis quaſi hypotheſibus & poſtulatis, vt verum ſi ſit cõcluſum, nequaquam ob id neceſſe ſit, etiam probationem & argumenta ipſorum eſſe vera & conſentanea: in quo plurimum eſt momenti, ne rudes & incauti lectores huiuſmodi ſcriptis decipiantur. Ordiemur autem diſputationem hanc, vt par eſt, & quod in omni methodo fieri debet, à definitione caloris: deinde differentias eiuſdem deſcribemus: poſtremò manifeſtis ac minimè obſcuris principijs & hypotheſibus, quę explicanda erunt, demonſtrabimus. Definitio hæc eſt caloris apud Ariſtotelẽ: vt nimirũ ſit qualitas prima, efficax in generatione rerũ naturaliũ ad colligẽda ὁμόφυλα,

Calor quid.

quibus collectis mixtisq;, vna quędam species substantiæ constituatur. Etenim in mixtione quatuor elementorum, quando ex ijs generantur substantiæ quædam naturales, principalem vim habet calor, qui proprius dicitur esse ignis tanquã elementi, vt eius opificio reliqua elementa sic vniantur ratione ὁμοφυλίας, vt exhibeant se vna quadam specie substantiæ informanda ac perficienda. Verum materia ex multis illis constituitur, quæ duntaxat vni formæ subijcitur, siquidem cuiq; formæ sua & οἰκεῖα ὕλη in generatione subijci solet. Apparatus autẽ iste vernaculæ materiæ (subigente calore hoc modo substantias naturales ex elementis concretas, & architectante mixtionem quatuor, & in primis trium patientium elementorum, propter qualitates duas patibiles in vnius materiæ essentiam, quæ sit capax vnius formæ substantialis) ab Aristotele sic describitur, quando nimirum inquit: calorem efficere τῶν ὁμοφύλων mixtionem, & vnitatẽ formis nascituris congruentem. Talis autem calor σύμφυτος dici consueuit, quòd videlicet σύμφυσιν contrariarum qualitatum elementorumq; efficiat, mixtione vnum aliud

οἰκεῖα ὕλη.

Calor σύμφυτος.

aliud constituens, vt actio & passio alteratioque desinat ac terminetur ista συμφύσει: quæ σύμφυσις deinde causa sit formæ substantialis, qua per se vnum constituitur, mixtione elementorum & crasi eorundẽ non nisi secundum accidens vnum constituentibus. Forma hæc substantialis respectu mixtorum & elementorum ἕξις à philosophis & Aristotele appellatur, quia forma hac motus & alterationes desinant in rebus nascentibus: quoniã σύμφυσις prohibet & forma substantialis, vt actio & passio amplius in contrarijs elementis nulla inesse possit: ipsaq; generata substantia hoc modo propter vnitatem συμφύσεως, ἀπαθείας particeps esse dicitur, propterea quòd ipsum à se ipso nihil pati possit: quoniam agens & patiens essentialiter inter se discrepant, nec vnum per se constituere possunt. Cùm autem ipsum vnum causa substantiæ & συμφύσεως à se ipso essentialiter non possit differre (alioqui non esset vnum per essentiam) sequitur ex necessitate, vt quod vnum constituitur συμφύσει ac forma substantiali, ipsum à semetipso alterari aut moueri nullo modo possit, & respectu sui ipsius ἀπαθὲς quiddam esse, sit dicendum,

Forma substãtiali per se vnũ constituitur, sed elementorũ κράσει, nõ nisi secundũ accidens.

Forma substãtialis ἕξις dicitur.

σύμφυσις est causa ἀπαθείας in rebus generatis.

vt nihil ex forma & materia conſtitutum mixtumq; ex elementis internam cauſam efficientem ſuæ corruptionis & alterationis habere ſit exiſtimandum, propter modo dictam συμφύσεως vnitatem, vt omnia hoc modo habentia, vt ἀπαθῆ ſic etiam ἄφθαρτα dici mereantur. Omnino enim neceſſe eſt, vt quæ agunt & patiũtur, δυνάμει ſint prædita, vnum actionis & alterum paſſionis; quæ neceſſe eſt, vt ſeparatæ ſint, & vt nequaquam vnum aliquid συμφυὲς conſtituant. Duo autem ſunt principia generationis in omnibus rebus, vnũ eſt, quod appellatur ποιητικὸν, & alterum eſt, quod dicitur παθητικόν. Efficiens ſeu ποιητικὸν ſic definitur ab Ariſtotele lib. θ. Metaph. vt nimirum principium ſit mutãs aliud, quatenus eſt in alio. Patiens autem hac definitione exprimitur, vt nimirum in ſe habeat principium, quo ipſum mutari ſeu alterari poſſit ab alio, quatenus aliud. Quibus definitionibus apparet, quę ſit differentia potentię agentium & patientium corporum, quibus neceſſe eſt ſubſtantias naturales generari, nec non etiam corrumpi. Liquet ergo in ſubſtantijs mixtis ineſſe propter σύμφυσιν & ἕξιν quandam ἀπάθειαν, vt nimirum

Duo principia generationis.

1. Principium ποιητικόν.

2. παθητικόν.

mirum nullum internum principium habeant, vel ſuæ alterationis vel corruptionis, vt omnino ſit neceſſe, externum principiũ eſſe motionis ſeu alterationis, quod principium ποιητικὸν appellamus, cùm patiendi duntaxat principium in ipſis exiſtat, quo nimirum ὑπ' ἄλλου ἢ ἄλλο pati motionem dicuntur. Quo loco conſideranda eſt differentia inter principia motionis, quorũ vnum Græci philoſophi appellãt κινητικὸν, & alterum nominant ποιητικόν: horum amborum genus eſt τὸ μεταβλητικὸν, quod δυνάμει, quemadmodum & τὸ μεταβλητὸν definitur. Prioris ἐνέργεια mouere ſeu mutare, poſterioris moueri ſeu mutari ἐνέργεια appellatur. Principium porro motionis internum, & quod pars eſt rei naturalis, nempe aut forma aut materia, inſeparabile eſt à ſubiecto mobili. Et forma quidem reſpectu mobilis rei naturalis principium κινητικὸν, & ſimpliciter natura rei appellatur, eſtq́; in ipſo mobili, quia ipſum, & quia non aliud quiddam, adeoq́; totum ipſum, ſeu ex toto, & non ex parte principium eſſe dicitur motionis, cùm omnino ſimplex ſit & minimè compoſitum κινητικὸν, vt formæ ſubſtantialis terræ cauſa, vt terra ſe-

Differentia principiorum mouentium.

cundum naturam deorſum fertur, & forma aquæ ſubſtantialis cauſa eſt per ſe, vt aqua calefacta remotis calefacientibus iterum refrigeretur, aut priſtinum frigus reciperet. Et hoc modo formam ſubſtantialem in rebus naturalibus internũ principium motionis naturalis eſſe liquet, quãuis ipſa res naturalis à ſemetipſa primo nõ moueatur, ſed cũ primo mota fuerit, motio ipſius à forma ſeu materia ſine externo motore perficitur. Et hac ratione forma dicitur eſſe principium motionis in ipſo mobili exiſtens, quatenus eſt ipſum, cuiuſmodi mouentia propriè κινητικὰ, ſed non ποιητικὰ appellamus: quoniam motionis ποιητικὰ non ſunt ex toto principium, ſed ex parte quadam, quandoquidem omnia externa mouẽtia ſint compoſitum quiddã ex materia & forma, quo nomine etiam principia hæc appellantur μεταβλητικὰ, quoad videlicet ſunt extra rem mobilem, vt mouere rem mobilem, quatenus aliud quiddam ſunt eſſentia ſeu ſubſtãtia, quàm mouens ipſum. Differunt autem eſſentialiter, cùm res naturalis à forma ſua non niſi formaliter differat, & nequaquam eſſentialiter aut realiter, cùm res naturalis nihi aliud

aliud ſit, quàm forma in ſua materia ſubſiſtens. Alterum principium eſt internum τῆς μεταβολῆς, quod ipſum quoq; in re naturali ineſt, quatenus ipſa, & non quatenus aliud quiddam, propter cuius principij potentiam res naturalis mutabile quiddam aut mobile dicitur eſſe, quæ tamen potentia deducitur ad actum ratione paſſionis, non ab interno, ſed ab externo mouente: quale mouens ſit, gratia cuius res naturalis moueatur ſeu mutetur ab alio, quatenus aliud, quod paulo antè nominari ab Ariſtotele ποιητικὸν calorẽ ὁμόφυλον monuimus. Hactenus quomodo diſtinguenda ſint principia motionum & mutationũ, nec non & quomodo συμφύσει vnum, multis inter ſe mixtis cõſtituatur, expoſuimus. Nec non etiam quod in ſubſtantijs naturalibus quibuſdam ſcilicet (vt in elementis) inſit principium κινητικὸν, quo à ſe ipſis & ſua ſponte videlicet mouentur elementa, & quo etiam motu mixta ipſa cauſa elementorum moueri poſſint. Mixtæ autem ſubſtantiæ naturales, quatenus ſunt mixtæ propter σύμφυσιν mixtorum, huiuſmodi κινητικὸν principiũ in ſe non habent, quod videlicet reſpectu interni principij ſint

ἀπαθῆ quædam corpora, & non nisi externis mouentibus (pro habilitate suæ tamen materiæ) promoueri mutarique consueuerint, quæ mouentia τῶν ποιητικῶν scilicet αἰτίων appellationem obtineant. Quod autem efficientes causæ motionum, seu ποιητικὰ αἴτια, non informando rem naturalem, sed tangendo motum mutationemque in patientibus subiectis excitent, ipsum per se est manifestum. Et hac ratione propter σύμφυσιν nihil ipsum se ipsum generare aut alterare consueuit, aut loco mouere. De mixtis etiam illud est admonendum, quòd videlicet perfectè quædam misceantur, determinante hanc mixtionem forma substantiali, quoad rationem habet finientis causæ. Alia sunt mixta imperfecta, quæ priuantur videlicet informatione formæ substantialis, qualia sunt quæ accidunt elementis, cùm contrarijs qualitatibus sese mutuo afficiunt, quo in genere etiam sunt mixtiones elementorum in rebus putrescentibus. De artificiosis autem mixtionibus in præsentia nihil opinor esse dicendum. Præterea calor σύμφυτος mixtorum corporum ad igneum elementum propriè pertinet,
quod

quod ipſum ſimplex eſt ignis propria ſubſiſtens materia, qui in numero eſt quatuor elementorum, & qui cum reliquis tribus vnum mixtum corpus conſtituit; non autem eſt ignis, qui in aliena materia ſubſiſtens, fomentum ſeu nutrimentum quoddam deſiderat, qualis eſt flammeus ignis, aut inſtar quiddam habens illius ignis, qui tantùm abeſt vt conſtituat ſubſtantiam mixti corporis, aut vt pro elemento haberi poſſit, vt potius eo diſſolui & interire mixta corpora neceſſe ſit, vt pro calore σύμφυσιν conſtituente calor ipſius nequaquam haberi debeat. Cæterum σύμφυτος calor non niſi mixtis naturalibus ſubſtantijs ineſt determinante craſin mixtionemque forma ſubſtantiali, ſine qua calor innatus ſeu σύμφυτος nullus ineſſe poteſt, neque animatis neque inanimatis naturalibus ſubſtantijs: quas inanimatas nonnulli negant φύσει, id eſt, forma ſubſtantiali, ſed ſolis craſibus dicunt ſubſiſtere, quoad nimirum expertes animæ ſunt illæ ſubſtantiæ. ſolas enim animatas ſubſtantias ſpecie ſũbſtãtiali opinantur informari, in quo tamen mihi videntᷣ longiſſimè

σύμφυτος calor in quibus inſit.

Quorundã error.

aberrare à vero, & Empedoclis potius, quã Ariſtotelis ſentẽtiam tueri, quos alio quodam libro confutauimus, vt hic superſedendum putemus huic reprehenſioni erroris. Nec ſi caro priuatur anima, ob id deſinit eſſe ſubſtantia naturalis, quæ à viua carne differt, quod videlicet quatenus eſt ſubſtantia naturalis, & generata plaſtica facultate, potentiæ gratia ſubijcitur informationi animæ, (ſiquidem anima eſt ἐντελέχεια non tantùm organici, ſed etiam naturalis corporis) quoad verò per mortem priuatur animatione, tũ duntaxat eſt ſubſtantia naturalis orbata potentia hac, qua poſſit etiam animari, eiusque corruptio naturalis non eſt mors, ſed putrefactio, de quo alias plura dicemus. Quòd de carne dicimus, idem intelligi debet de reliquis etiam partibus animati corporis, quæ non tantùm anima, ſed etiam φύσει ſubſiſtunt, quod vt in philoſophia manifeſtum, anxiã probationem non deſiderat. Mixtarum porrò ſubſtantiarum duplex eſt conditio. Quædam enim natura duntaxat ſimplicibus elementis conſtat, vt mixtura carnis aut ligni: in quibuſdam autem miſcentur mixtæ quædam ſubſtantiæ, quæ & ipſæ mix-

Mixtorũ differentia.

mixtione quadam elementorum ſunt generabiles: vt lac non tantùm ex elementis eſt generatum, ſed continet etiã in ſe ſubſtantias quaſdam, & ipſas ex elementis generatas: vt quorum cauſa ſeparabilis eſſe dicitur in butyrum, caſeum & ſerum, quæ ſubſtantia inter ſe differũt, & nihilominus his omnibus mixtis lactis ſubſtantia dicitur è ſanguine generari. Dupliciter autem lac corrumpi dicimus. Vna eius corruptio eſt, ſi abolito natiuo eius calore, partes ipſius formam butyri, caſei, & ſeroſi humoris adſciſcunt. Altera corruptio eſt, ſi ſubſtantia ipſius (quoad nutrimentum exiſtit) in chylum permutatur, quæ differt à priore corruptione, qua nimirum vt totũ quiddam in partes ſuas in ipſo mixtas diſtrahitur. Nam poſteriore corruptione, vt per eſſentiam totum, nempe ex materia & forma compoſitum, in aliam materiã ac formam, nempe chyli permutatur. Mixtæ .n. ſubſtantiæ non tantùm in ſua mixtilia diſſoluuntur corruptionibus, ſed etiam cauſis generantibus & alterantibus ex vna forma ſubſtantiali permutantur in aliam formam, quæ permutatio non tam corruptio, quàm generatio dici cõſueuit: vt ſi ex chylo

Duplex lactis corruptio.

generetur ſanguis, & ex ſanguine generetur caro. Alia autem ſimpliciter corruptio eſt, quæ aut violenta eſt, aut naturalis, & putredo ſolet appellari. In omnibus autem corruptionibus calidũ ἔμφυτον, quod prius erat, neceſſe eſt aboleri & extingui. Ex lacte quando generatur chylus, lactis forma permutatur chyli forma: ſed ſi ex lacte non generetur alia res naturalis ſeu ſpecies, calore ipſius corrupto proprio & inſito, in partes ſuas quibus miſcetur, ſeparari conſueuit, de quibus paulo antè dictum. Dubitatur de ſanguine, vtrum ſit ὁμοιομερὴς ratione ſuæ compoſitionis, an verò ſit ex quatuor humoribus vulgò notis mixtus & compoſitus. Veteribus medicis viſum eſt, ipſum ſanguinem compoſitum eſſe mixtione quatuor humorum, ſed recentioribus quibuſdam ſine mixtione hac, & ex elementis duntaxat conſtitutus videtur eſſe. Duplex autem eſt mixtarum ſubſtantiarum cõpoſitio, vna eſt ſimplex, & altera duplex, & quodammodo gemina exiſtit. Simplex eſt mixtio, quando ſolis mixtis elementis conſtitutæ propriæ & vernaculæ materiæ forma ſubſtantialis ſeu eſſentialis ineſt: vt quando generatur caro ex ſanguine:

N. B.

Sanguis num ſit compoſitus ex quatuor humoribus.

ne:quoniam caro duntaxat in elementa,& non etiam in alias ſpecies mixtiliũ ſubſtantiarum diſſolubilis eſt. Lac aũt ſic compoſitum eſt, vt diſſolubile ſit in plures ſpecies ſubſtantiarũ ex elemẽtis mixtarũ, vt in butyrum,caſeum & ſerum. Prior compoſitio communis eſt omnibus mixtis,altera verò duntaxat quibuſdã adſcribitur, cùm aliud ſit compoſitũ diſſolui in partes ſimplices,in elementa, aut in partes compoſitas ex elementis, quæ nimirũ merito pro dupliciter compoſitis haberi ſolent, quoad nimirum mixta ex alijs mixtis corporibus conſtituũtur. Quo ſanè modo Paracelſici oĩa ex ſulfure,ſale & argento viuo mixta & cõſtituta eſſe ſtolidiſſimè ſomniant. Qui porro ſanguinẽ ſimplici compoſitione ex elementis duntaxat concretũ eſſe dicũt, hi partim æquiuocatione vocabuli ſanguinis, partim falſis & tantũ veriſimilibus decipiuntur argumentis, quorũ errorẽ & cãm erroris paucis in p̃ſentia perſtringã. Vocabulo ſanguinis ſimplex ſignificatur ſanguis, q̃ eſt vnus ex quatuor humorib. q̃n etiã cõpoſita ſubſtãtia ex quatuor humorib. eodẽ ſignificat. Gal. in cõmento quodã ſup̃ lib. Hipp. de natura humana, hãc duplicem ſignificationẽ vocabuli ſanguinis diſtĩguit, & ſimplici ſan

guine tam non nutriri corpus animalium ſcribit, quàm ſingulis reliquis tribus ſeparatim exiſtentibus humoribus non nutriatur. Eum autem qui nutriendo ſit idoneus, ex neceſſitate compoſitum eſſe ex quatuor illis notis humoribus. Itaq; non negamus, ſimplicem illum ſanguinem non niſi ſimplicium elementorum mixtione generari, quemadmodũ reliquorum humorum quiuis ſua ex materia propter elementorũ mixtionem ſolam, prout fert natura ipſius, generatur. Materiam autem cuiuſque generationis neceſſe eſt à chylo contineri, cũ non niſi ſua propria materia quælibet res generetur, vt ſanguis ex materia ſanguinea, & melancholicus humor, item bilioſus & pituitoſus, quiuis etiam ſuæ materiæ habet ſubiectionem, qua naſcitur ſeu generatur. Igitur homonymia decepti, ſanguinem quo nutriatur animal, opinantur ſimplicem ex quatuor elementis habere generationem. Argumentum alterũ quo vtuntur, & ipſum ſpeciem habet veri, ſed explicatione & declaratione conſentanearum rationum falſum eſſe deprehenditur. Etenim ponunt, excepto ſanguineo humore, reliquos tres nihil aliud eſſe quàm

περιττώματα, seu excremẽta quædam sanguinis nutrituri corpus, in quo, mea quidẽ sententia, longè aberrant à vero. Etenim quamuis ex his tribus humoribus haud inficiamur περιττώματα esse, si redundent in sanguine, vel propter exuperantiam quantitatis, vel propter dyscrasian qualitatis. Præterea concedimus etiam hoc ipsis postulatum, quod videlicet περιττώματα, i. humores illi tres cõtra naturam misceantur cum sanguine, si multum exuperẽt vel quantitate vel qualitate vitiosa, & appellationem habere περιττωμάτων: quæ tamen exuperantia, si mediocris sit, tanquam περίττωμα cum sanguine misceri possit, etiam secundum naturam, propter latitudinem scilicet sanitatis, quam nisi statuamus, confiteri necesse sit ἀπάθειαν, de qua in præsentia plura dicere supersedebo. Hoc modo exuperantibus humoribus, & morbum creantibus in sanguine, vt sanguinis substantiam non corrumpant, nihilominus vt περιττώματα sanitati ipsius & integritati officiunt, qua ratione etiam redundare & περίττωμα esse, nõ autem constituere substantiam sanguinis dicuntur: proinde humores constituentes mixtione sua sangui-

nem (inſtrumentum ſcilicet nutritionis omnium partium ſimilarium,ſeu materia potius exiſtens) generatione ſua nec priores nec poſteriores ſanguine ipſo exiſtunt: & quando ſanguis generatur in venis meſaraicis, non ſic generatur, vt omnino ſit expers aut melancholici humoris, aut biliosi tanquam redundantis excrementi & inutilis, quod ipſum declarat ſecretio illorum,tanq̃ περιττωμάτων, per lienem & per veſicam bilis,qui mixti cum toto ſanguine ab his viſceribus duobus repurgantur, vt quod reliquũ eſt maſſæ ſanguineæ, ſecundum naturam ſeſe habeat, temperatione æquabili,ſecundum iuſtitiam,vt vocant,omniũ humorũ, qua mixtione etiã ſanguis integer & ſanus ſeu ſalubris dici mereatur. Repurgatione enim hac non ex toto humores illi ſeparãtur à maſſa ſanguinea, ſed duntaxat qualitatis aut quantitatis cauſa redundantes, quibus habentur pro inutilibus excrementis ſubſtantiam mixti non conſtituentibus. Alioqui etiam in generationibus ſubſtantiarum mixtarum duplex περίττωμα eſſe cõſtat. Vnum eſt, quod ſimpliciter pars generatę rei nequit eſſe aut dici: vt quando generatur chylus, περίττωμα ipſius

ipſius (nempe reliquię ciborum) nullo modo aut ratione pars ſubſtantiæ chyli haberi conſueuit. At verò quæ propter exuperantiã & non ſimpliciter περιττώματα exiſtũt, aut dicuntur, eadem propter mediocritatẽ & naturalẽ temperationem pars ſubſtantię mixtæ eſſentialis dici debẽt, vt tres humores ſecundũ naturã temperatos cũ ſanguine ſimplici, mixtũ ſanguinem conſtituere dicimus. Etenim ſi intemperies per ſe eſt cauſa, vt non ſint pars ſubſtantiæ, ſed περιττώματα quædam eſſe dicãtur, & cauſa hæc per ſe referatur ad illum effectum ratione negationis, ſequitur vt etiã affirmatio cauſę contrariæ referatur ad effectũ contrarium per ſe. Humores aũt illos ſimul cũ ſanguine generari in meſaraicis venis re ipſa & ratione ſeu demonſtratione, quã alio quodã libro ſumus executi, manifeſtũ eſt. Quamobrem in meſaraicis ſi excremẽtitij generantur humores, eadem naturæ officina, ſimul etiam vtiles temperatiq́; & q ſubſtantiã mixti ſanguinis conſtituãt, generabuntur. Nec verò ſi quid περιττώματος habeat rationem, ob id pars eſſentialis mixti corporis eſſe non poterit, vt expreſſis vuis, aut expreſſis ſuccis herbarum reliquiæ ſunt

inutiles, & περιττώματος habent rationem, cum prius integris ſubſtantijs partes eſſentiales eſſent totius ſubſtantiæ. Nec ſi redundans humiditas in fructibus περίττωμα eſt, ob id temperata humiditas pars ſubſtantialis mixti corporis non erit: nec ſi redundans bilis, aut melancholicus humor, aut pituita excrementum eſt ſanguinis, ob id ſecundum naturam temperati non habendi erunt pro mixti ſanguinis partibus eſſentialibus. Quibus manifeſtum eſt omnibus, decipi illos fallaci ſpecie argumēti, quo aliquid cum ſecundum quid verum ſit, id ꝓ ſimpliciter vero habetur. Nō enim vt humores illi, quatenus περιττώματα, nō ſunt partes eſſentiam mixti ſanguinis conſtituentes, ob id ſequitur, vt etiam ſecundum naturam temperati non poſſint eſſe partes mixti ſanguinis. His autem humoribus vt excrementitijs, non tantùm in generatione & primis venis, ſed poſterius etiam in ſecundis venis ſanguis deprauari poteſt, alias propter venoſi ſanguinis dyſcraſian, alias autem propter diætæ & rerū non naturalium deprauatum vſum, quibus non raro morbidus efficitur ſanguis & excrementoſus. Corriguntur etiam hæc

vitia

vitia ſanguinis, partim excretionibus inutilium humorum, partim etiam concoctionibus, quibus ſuæ integritati reſtituitur ſanguis temperatusq; efficitur. Fernelius negat humores reſpectu ſanguinis ὁμόφυλον quiddã eſſe, nec ijs συμφύσει quadam ſubſtantiam ſanguinis cõſtitui, quod nimirum ἀλλόφυλον ſint quiddam, perinde vt ex farina & cinere non poſſit confici panis. Credo equidem, & ipſum verum eſſe cenſeo, ſi reſpicias ad humores, quatenus περιττωμάτων habent rationem. Sed paulo ante oſtendimus, humorum naturales etiam eſſe quaſdam temperationes & mediocritates, quarum cauſa propter ὁμοφυλίαν & σύμφυσιν vnum ſanguinem conſtituant, nempe συμφύσει vnum. At verò ſeroſus humor ſanguinis inter humores ſanguinis ſubſtantiam conſtituentes haud numeratur, quod ſcilicet is ex materia in chylo non generetur, vt reliqui humores, ſed qui erat in chylo idem quoq; permanet in ſanguine, qui tamen ob id περίττωμα dici non debet, quod vtilis ſit diffuſio ſanguinis per vniuerſum corpus, quem ob vſum Hippocr. ipſum appellat ὄχημα τῆς τροφῆς. Propter aqueum enim humorem illum ſanguinis

Fernelij ſententia.

Seroſus humor cur non pars ſit ſubſtãtiæ ſanguinis.

ſubſtantia penetrat in omnes partes corporis nutriendi, quamuis humore illo nihil nutriatur, ſed aut per ſudorem, aut per vrinam, aut inſenſili tranſpiratione è ſolidis partibus vacuetur. Etenim vt aqueo, ita quoq; aëreo, quatenus aqueum aut aëreũ nihil ſolidi corporis aut generatur aut nutritur. Sed de hoc errore negantium ſanguinem eſſe mixtum humoribus quatuor illis notis, diſputabimus abundè ſatis in libro contra Simonium ſcripto, refellentes errorem ipſius, quod cenſet, nullã febrim putredine humorum prouenire. Deinde vnitatem συμφύσεως, quæ mixtis ſubſtantijs ineſt, tripliciter diſſolui poſſe, deinceps oſtendemus. Vnum genus eſt diſſolutionis ſeu διακρίσεως, quo mixtum diſſoluitur perfectè, perfecteque corrumpitur in ſuas partes, quæ ſunt aut elementa, aut ex elementis mixtæ quædam ſubſtantiæ: vt ſi lac in ſuas partes diſſoluitur, aut ſi caſeus putredine corrumpitur, quæ putredo terminatur, ſi fiat diſceſſio ſeu diſcretio in elementa. Altera eſt διάκρισις imperfecta nimirum, qua concretum συμφυὲς corpus diſſolutione elementorũ imperfecta, priorem ſpeciẽ ſubſtantiæ amittens, excipiente

hanc

hanc imperfectam διάκρισιν noua συγκρίσει, qua noua etiam ſpecies ſubſtantiæ efformatur, vt ſi fiat è chylo ſanguis, aut è ſanguine caro, aut ſi ſory metallum permutetur in miſy, & miſy permutetur in chalcitida. His .n. permutationibus, prioribus imperfectè diſſolutis, nouis concretionibus elementorum tranſeunt & permutantur ſpecie nouæ ſubſtantiæ. Tertiũ genus eſt ex vtriſq; quaſi compoſitum, quo nimirum pars quædam prioris ſubſtantiæ perfectè diſſoluitur in elementa, quibus concreta fuit: pars autem imperfecta διακρίσει diſſoluta, & interim noua συγκρίσει concreta, materia exiſtit generationis & nouæ cuiuſdam ſubſtantiæ: vt ſi corruptione cibi in ventriculo ex vna ipſius parte reliquię ciborum generentur propter putredinem, ſed ex altera parte noua concretione generetur chyli ſubſtantia. Hanc diſſolutionem ſeu διάκρισιν, quaſi geminã appellat Ariſtoteles libro 4. meteor. σῆψιν ἐκ μέρους, de qua in ſequentibus plura diſſeremus. Hactenus de calido connato in ſubſtantijs mixtis (quod Græci appellant σύμφυτον θερμὸν) ſatis ſuperq; diximus: deinceps quod inſitum ſit & dicatur calidum

(Græci appellant ἔμφυτον θερμόν) explanare aggrediemur.

CAPITIS SECVNDI

Argumentum.

Quid calidum insitum seu ἔμφυτον θερμὸν sit explicatur, nec nõ etiã plastici vocabulo significetur.

CALIDVM insitum seu ἔμφυτον non nisi animatis corporibus inest, sed tamen non sine calido illo, quod connatum seu σύμφυτον appellatur, inesse potest, de quo præcedente capite disseruimus. Differt autem ἔμφυτον seu insitum ab eo, quod σύμφυτον seu connatum appellatur, quod videlicet hoc constituit corpus ἀπαθὲς, vt præcedente capite probauimus: illud autem constituit ἐμπαθὲς corpus, & interno principio mobile atq; alterabile, quo differunt inter se inanimata corpora ab animatis corporibus. Inanimata enim in se non habent principium, quo primò ipsa sese moueant, quemadmodum animata, quæ à semetipsis promouẽtur, qui motus aut propter vegetationem ipsis inesse dicitur, vt animatis omnibus, aut quod sese de loco in loco moueant, vt animalibus omnibus. Distinguimus autem calorem bifariam: Vnus est & dicitur elementaris calor, qui

in sua

in ſua propria materia ineſt, & pars eſt mixti corporis ἀπαθείας in rebus mixtis cauſa exiſtens. Alter verò calor eſt non ſimplex, & non elementaris, ſed in aliena materia ſubſiſtens, fomento & pabulo quodam indiget quo foueatur, nec pars eſt mixti corporis nutriendi, cum ſit ποιητικὸς, & cauſa ſit, vt corpus ſemper alteretur, ſitq; obnoxium motioni, vt ob id ἐμπαθὴς dici poſſit, quemadmodum prior calor, elementaris ſcilicet, contraria de cauſa ἀπαθὴς dicebatur. Externus autem calor omnis ſeu ποιητικὸς tangendo vim habet ad mouendum (quoniam, vt Ariſtoteles inquit, tactus cauſa eſt, & principium actionis & paſſionis in corporibus) quo motu ſeu alteratione aut corrumpit aliquid, aut generat: vtrumque facit partim generando, partim corrumpendo quippiam. Primus calor violentus appellatur; ſecundus appellatur plaſticus ſeu generans & efformans ſubſtantias rerum: tertius eſt ἔμφυτος ſeu inſitus in animalibus calor ille, de quo iam loquimur, qui partim vim habet ad corrumpendum quippiam, partim ad generandum & conſeruandum id, quod prius erat. Ipſa enim rerum euidentia liquet, calore inſito non

Calor ἔμφυτος.

tantùm conſumi & tabeſcere corpora ipſorum, quod ipſum eſt fame cõfici, quàm refici, & ſubinde nutrimẽtis inſtaurari & adoleſcere, & ab interitu vindicari. Calor autem corrumpens ſimpliciter igneus dicitur & flammeus, qui nullius generationis (cùm non ſit elementaris ignis) cauſa exiſtit, qualis etiã in corporibus animatis febrilis calor exiſtit, & omnes reliqui μαρασμώδεις exiſtũt. At plaſticus calor omnino artificioſus eſt, & inſtrumentũ naturæ, quo ſubſtãtiæ naturales tam animatæ quã inanimatæ generantur, qui tamen calor neq; ignis eſt, neq; igneus, ſed cœleſtis quidam vigor exiſtit, generando duntaxat res, & non etiam corrumpendo efficax exiſtens, cuius inſtrumentum etiam ſit calor elementaris in generatione ſubſtantiarum naturalium. Plaſtico illo calore eſt efficax corpus cœleſte, quo inferiora hæc & caduca corpora generantur, & generationibus rerum naturaliũ ſubſtantiæ perpetuo propagantur, & ſine quo nec animata, nec inanimata generari aut ſubſiſtere queunt, quoniam (vt Ariſtoteles inquit) ſol & homo generant hominem. Plaſticus autem ille calor cœleſtis eſt, qui nec ignis eſt elemen-

Calor igneus.

Calor plaſticus.

men-

mentaris, nec igneum quiddam, in aliena materia accensus, scilicet ignis, & qui fomento quodam indiget, & etiam extra se alterando & calefaciendo ποιητικὸς ac sensibili qualitate caloris efficax existit. Plasticus autem ille calor vtroque illo calore tanquam instrumento vtitur simili modo, quo artifices igneo calore ad efficiendum aliquid artificiosè vtuntur. Quocirca Zeno Stoicus calorem hunc cœlestē artificiosum ignem appellat, via certaque ratione naturæ progredietem ad gignendum. Hoc calore cœlesti & plastico generantur omnia corpora inanimata, quæ supra aut infra terram scilicet naturalibus principijs gignuntur, & animata etiam, quæ certis seminibus oboriuntur, non tam seminum plastica facultate, quàm cœlestis huius caloris efficacia producuntur. Nexæ enim sunt naturalium rerum causæ à cœlesti illo plastico vigore, de quo abundè satis diximus & scripsimus in libris tribus, De plastica facultate seminis inscriptis. Huic proportione quadam respondet corpus seu calor ille corporis, quod corpus proportione quadam Aristoteles scribit simile esse cœlesti corpori, cui

principatum adſcribit in generandis & efformandis ſubſtantijs animalis. Tali corpore & virtute ſcribit Ariſtoteles πλαςικὸν λόγον efformare ex materia ſeminali omnes partes animati corporis, atq; etiam animalis tam ſimilares quàm organicas, nec non etiam quamlibet animam ſeu potentię energias, varijs λόγοις inter ſe diſcrepantes, in corpore animando exercere: de quibus omnibus abundè ſatis, vt dixi paulo antè, in libris ſuprà allegatis ſcriptū reliquimus. Itaq; plaſtica facultas, nec non anima etiam τοῖς λόγοις ſeu potentijs ſuis ad viuificandum aut ad efformādum corpus animatum tali corpore, cui adſcribitur vis viuifica, & hoc nomine pro calore quodā habetur (cùm nihil efficacius ſit calore in rebus naturalibus) tanquam proprio inſtrumento vtitur. Anima enim non vt forma naturalis ſuam materiam immediatè informat. Nam quæ ſic materiam ſuam informant, ſemetipſa non mouent primò, vt inanimata & naturalia corpora propter formas ſuas à ſe ipſis primo non mouentur, ſed ab alio quodam externo principio motionis ſuæ initium habent. Quamobrem cùm anima ſit non tantùm formalis

cauſa

causa animatorum corporum, sed etiam causa efficiens motionem, necesse est vt illas motiones viuificando corpus exerceat instrumento mediati cuiusdam corporis, sine quo ποιητικὸν αἴτιον dici aut haberi nequeat motionum illarum, quibus corpus animatum vegetatur, aut quibus corpus animalis in loco cietur. Id porro corpus & αἰθερῶδες & ὄχημα τῆς ψυχῆς à philosophis cæteris, & ab Aristot. τῷ ἀναστοιχείῳ ἀνάλογον dici alias ostendimus. Huius corporis instrumento & plasticam δυνάμιν, & animæ quoque potentias ad generanda & cõseruanda corpora animalia vti, hactenus liquere his, quæ diximus, arbitror. At verò neq; anima ipsa, neq; corpus ipsius propriũ αἰθερῶδες dictum, quicquam pati aut affici motibus seu alterationibus constat inter omnes, quod videlicet vtriusq; substantia sit ἄϋλος, & ob id duntaxat ad efficiendum & mouendum vim & efficaciam in se obtinent. Tametsi verò vtrumque sit ἀπαθὲς quiddam, nõ tamen ob id sequitur, vt nullo interitu aboleri possint, aut mortis expertia sint pereuntibus animatis substãtijs. Quamuis enim per se nõ corrumpantur, propterea quod expertia sunt contra-

NB.

riorum,& quod nulli ſubſtantiæ aliquid ſit contrarium, nihilominus ſecundum accidens, i. propter corpora naturalia, quæ informantur ab anima, & quæ corpora contrarijs affectionib. paſſionibusq; ſunt obnoxia, interitũ patiuntur: & vt Ariſtoteles ſcribit in metaphyſ. quamuis nulla forma animati aut inanimati corporis ſeparabilis ſit à ſuo ſubiecto ſeu materia, humana tamen ſpecies animæ, vt quæ prædita eſt mente ſola ex omnibus, cũ ſuo corpore (vt ſcribit idem lib. 2. De generat. animal.) illo αἰθερῶδες χωριστὸν, ſeu ſeparabile quiddam exiſtit. Corpus autẽ illud proprium animę, quod αἰθερῶδες appellamus, non eſt idem cum natura & ſubſtantia cœleſtis corporis, ſed ei Ariſtoteles quadam analogia ſimile eſſe ſcribit, quoniam, vt D. Paulus inquit, multæ ſunt differentiæ corporum variæq; ſpecies: quando nimirum probat, reſurrecturas animas noſtras non immortali aut elementis concreto corpore, ſed glorioſo quodam habitu æterni cuiuſdã corporis reſuſcitãdos homines à morte docet. Atq; eodem modo anima cœli, informans naturam ſui corporis, ſimiliter impatibilis exiſtit, neq; vllius motionis patiens eſt, prę-
ter-

terquam eius, qua ſecundum locum rotũda conuerſione cietur. Et anima quidem cœli duntaxat κινητικὸν eſt αἴτιον, & non etiam ποιητικὸν αἴτιον: vt anima eſt caduci corporis, quę nimirum vt formalis eſt cauſa reſpectu corporis, ita quoq; efficiens eſt cauſa reſpectu eiuſdem vegetationis & cõſeruationis per nutrimentum: vt corpus & anima tanquam agens & patiens inter ſe diſtinguũtur, alioqui enim ipſum à ſemetipſo corpus animatum vel animalis moueri non diceretur. Nunc deinceps de calore, quem ἔμφυτον appellamus, & qui duntaxat inſit corporibus animatis diſſeremus pauca, cùm de his etiam caloribus ſit à nobis diſputatum in libro de calido & humido natiuis. Ἔμφυτος hic calor inſtrumentũ eſt plaſtici caloris; qui calor plaſticus adſcribitur corpori αἰθερώδει: ſed corpus illud αἰθερῶδες inanimatis & animalib. hac differentia ineſſe ſcribit Ariſtoteles, q̃ & qualis ſit differẽtia animaliũ nobilitate & ignobilitate inter ſe differentium. Præterea calor hic ἔμφυτος nõ idẽ eſt cum eo, q σύμφυτος appellatur, ꝙ nimirũ propter σύμφυτον calorem naturalibus corporib. adſcribatur ἀπάθεια, ſed ꝓꝓ ἔμφυτον calorẽ dicimus aĩata

Ἔμφυτος calor inſtrumentum eſt caloris plaſtici.

corpora agere & pati quippiam, ſeu vegetari & alterari. Sic tamen coniuncti ſunt iſti duo calores in corpore animato, vt ἔμφυτος non perimat σύμφυτον calorem, ſed potius ipſum conſeruet, & ſubinde ipſum nutricando in integrũ reſtituat, nullo modo diſſoluens aut perimens σύμφυτον ſeu naturalem calorem partium nutriendarũ. Quo manifeſtum eſt, ἔμφυτον calorem nõ eſſe elementarem, & ſimpliciter conſtituentem mixti corporis ȣσίαν, ſed eſſe quaſi ignem in aliena materia: cuius proprium eſt non vt conſtituat, ſed vt corrumpat ſubſtantias ex elementis concretas, atq; etiam ex elementis conſtituta perimat, quoad ipſius pabulum eſſe poſſunt. Etenim ſine fomento (quod Hippoc. appellat ὑπέκκαυμα) talis ignis ſubſiſtere nequit, quod in primis conſpicuum eſt in flammeo igne, qui tam diu viget, quoad ei ſuppetit, quod ardore ſuo depaſcat nutrimentum, quo cõſumpto & ipſe euaneſcat, & ipſum quoq; combuſtibile corpus ſubſtantiam ſuam amittat, dum eius σύμφυτον concretionem elementorum calor flammeus conſumat. Ei calori ſeu igni (quem Ariſtoteles hoc epitheto deſcribit, quod ſit ignis in aliena

mate-

materia existens, ardor quidam consumēs & perimens suum subiectum) quodammodo similis est ἔμφυτος animalium calor, & quodāmodo dissimilis, propterea quòd non tantùm materiā συμφύτε caloris seu naturalis corporis animati consumit & depascit, sensim ipsam extenuando & in halitum permutando, tanquam in fumum & περίττωμα quoddam, sed etiam nutriendo subinde materiam deperditam reficit ac restituit, qua restitutione à morte & interitu vindicat corpus animatum. Corruptio & in halitum dissolutio materiæ à necessitate prouenit, qua agens & patiens inter se conflictantur tanquam contraria, & qua agens si superet, necesse sit ipsum patiens vinci & profligari. Calor autem ἔμφυτος propter elementorum concretionem hac necessitate conflictatur, qua nō minus ipse perpetuo consumitur, & quasi ῥεῦμα quoddā ipsius existit (quale adscribit Arist. flammæ ignis, qua consumatur, & ad nihilum redigatur materia, ipsius quasi fomētum existens seu pabulum) ardore igneo subinde in fumum & halitum euanescente. Alia autem ratione ἔμφυτος calor dissimilis est calori igneo seu flammeo, quoad

videlicet instrumentum est plastici caloris seu animæ plastico illo calore ipsum dispensantis, vt & vegetationis seu nutritionis actionem & energiam ipso exerceat, perinde eo vtens, vt artifices flammeo calore vtuntur, vt artis suæ effectus & opera conficiant, qualem ignem supra artificiosum appellari à philosophis ostendimus. Quæritur deinceps quinam aut qualis humor materiæ ipsius sit, quem subinde consumat, ac denuo nutritione reparet, & perditum restituat. Humorem illum natiuum vulgo appellant, quo penitus siccato & absumpto, necesse sit animatum corpus emori, vitamque suam amittere. Quo liquet, humorem istum quasi vitalem præstare ei humori, quo perempto, contingit σύμφυτον calorem aboleri. Quare quæ sit sit differentia vtriusque humoris considerandum in præsentia erit. Suprà ostendimus γενέσει priorem esse calorem σύμφυτον, & perempta vita amissoque calore isto viuifico, nihilominus σύμφυτον calorem cum suo humido non corrumpi. Naturales autem substantias perfici animatione seu informatione animæ, manifestum est. Quamobrem necesse etiam est, calidum &

Quodnã sit fomentũ & pabulum natiui caloris.

& humidum σύμφυτον in generatione animatorum perfici calido & humido vitali, quibus vtrisque extinctis vita cum morte permutatur, ſed tamen ſubſtantia naturalis permanet, donec σύμφυτον calidum cum ſuo humore aboleatur cauſis illis, de quibus poſterius diſſeremus. Non ergo prius viuit animatum corpus, quam in ipſo calidum & humidum ἔμφυτον ſit generatum plaſtica facultate ſeminis. ſine his enim informatio animæ nulla eſſe poteſt, ſimulq́ue ſunt, & ſimul deſinunt formæ, & ipſarum vernaculæ ſeu οἰκεῖαι materiæ, quas informant. Quæ cauſa autem ſit, quòd creſcente ætate, & progreſſu temporis, quo ſeneſcunt omnia viuentia, aut paulatim etiam minuantur, & decreſcunt calidum & humidum ἔμφυτον, & irreparabilia ſint, vt in integrum reſtitui nequeant, expoſuimus in libro ſuprà commemorato: quibus explicandis ob hanc cauſam in præſentia ſuperſedebimus. Quot autem & quibus modis calidum hoc viuificum queat extingui, in his quæ ſequuntur, explanabimus. Principatus huius caloris eſt in corde, quē anima ſuo corpori αἰθερώδη principaliter illic fouet & generat,

eo modo quo ſuperius eſt dictum. Nam li-
cet αἰθερῶδες illud calidum ſeu corpus, non
ſit eodem modo, quo eſt ἔμφυτον calidum
ipſum, nihilominus calorem hunc ἔμφυτον
N.B. κατὰ ὀντελέχειαν efficere & generare dici-
tur, quemadmodũ ſolis radij, quamuis ipſi
calidi nõ ſint, nihilominus calorẽ viuificũ,
& generando & cõſeruando res animatas,
ꝓducunt. Ἔμφυτον autẽ illum calorẽ tem-
peratiſſimum eſſe conſentaneum eſt, & i-
pſum non niſi propter neceſſitatem mate-
riæ humidum ſuum depaſcere cenſendum
eſt. alioqui enim viuificus non eſſet nutri-
endo & vegetando corpus animatum, vt
ob id corporibus animatis ἐμπάθειαν ad-
ſcribamus, vt corporib. naturalibus ἀπά-
θειαν attribuimus propter σύμφυτον calorẽ.
Huius ἐμφύτου caloris principatum conſtat
eſſe in corde. Cuius ſubiectum etiam prin-
cipale, nempe humidum natiuum, ibidem
ſubſiſtens, quo fouetur, & quod ipſum etiã
ex parte quadam conſumptum denuo re-
ficit & inſtaurat. non enim poteſt ex toto
conſumi, quin vita ſimul extinguatur, ni-
hilominus paulatim conſumitur; quæ cõ-
ſumptio ſenectus dici ſolet, & nihil aliud eſt
quàm vt Galenus inquit, via ad mortem.
Poteſt

oteſt autem calor hic extingui, ſed violē-
tr, vt interim humidum non ſit abſum-
tum. Calor autem ἔμφυτος proprius eſt
ordis, quoad viuit, & primò ipſe calere di-
itur, vt propter ipſum reliqua omnia pro
alidis & calorem viuificum participanti-
us numerentur. Quapropter cor cali-
um eſt in primis, deinde ſanguis, deinde
piritus vitalis, qui & ipſe τῇ φύσει calidus
ſt, cùm ſanguis non niſi τῷ πάθει calidus
ſſe dicatur ab Ariſtotele. Generat cordis
ubſtantia nō ſanguinem (vt Ariſtoteli vi-
um fuit) ſed ſpiritum vitalem, quo & ipſum
or ſemetipſum calefacit, & reliquas o-
mnes partes ſimilares, diffuſo per arterias
n vniuerſum corpus calore vitali, vegetat:
t ſine eo nulla pars vegetari queat, aut vi-
æ eſſe particeps, qualem vim & efficaciam
calidum σύμφυτον habere nemo dixerit.
Humidum illud primogenium (vt vocant)
ſeu natiuum, plurimum eſt in ſolida cordis
ſubſtantia, exiſtens aëreum ſua natura: cū
aërea ſc. ſuapte natura ſint calida & humi-
da, & hoc modo humidum natiuum, vt
ἀερῶδες merito dicatur τῇ φύσει calidum:
vt propter terrena & aquea corpora τῇ φύ-
σει frigida exiſtunt temperamento: quam-

uis cor hac ratione humidiſſimum exiſtat, nihilominus ſolida ipſius ſubſtantia multum terrenæ materiæ admixtum ſibi habet, vt ſoliditate hac magis incaleſcat, & firmitate ſua terrena minus ſit obnoxiũ diſſolutioni, cùm aërea propter tenuitatem corpora facilè euaneſcant & diſſipentur. Quo ergo minus à terrea ſubſtantia frigoris ſit patiens, ipſum intra ſe è ſanguine concreto generat magis copiam ſpiritus vitalis, quem vt calore ſuo generat, ſic viciſſim ſeſe calefacit, & diffuſum ꝑ arterias impertit omnibus nutriendis vegetandisque partibus. Et ille quidem ſpiritus eſt, qui propter tenuitatem & mobilitatem perpetuo exhalando, extra corpus conſumitur. Et quoniam cor atque arteriæ perpetuo etiam reficiunt & inſtaurant ipſum generando è calidiſſimo ſanguine, qui ſanguis etiam ſine intermiſſione generatur è chylo, opificio caloris vitalis, quem ab arterijs accipiunt venæ; & chylus nullo non tempore ex alimentis, quæ concoquuntur in ventriculo, generari conſueuit, ipſam quoque concoctionem vitali calore cordis ſeu ſpiritu vitali adminiſtrante. Ex his omnibus, quæ dicta hactenus & demon-

ſtrata

strata sunt, concludendum, calorem ἔμφυτον, humidumq́; ipsius proprium in causa esse, vt animata corpora mori, i. ad mortem accedere sine intermissione & reuiuiscere etiam continua refectione, ac restitutione humidi natiui, quod perpetuo per alimenta reparatur, rectissimè & verissimè dicatur. Etenim ἔμφυτος calor vtrũq; præstare potest & efficere, cùm sit ποιητικὸς, & per se humidum dissoluat, in halitumq́ue permutet, qui difflatione extra corpus in aërem dissipatur. Idem verò nõ seipso, sed quatenus est instrumentum animæ vegetatricis, in causa est, vt quod exhalauit parte quadam humidum ἔμφυτον, id restituatur reponaturq́; denuo, detrimẽtum eius, quod decessit humiditatis, resarciendo. Tanta autem vis est caloris huius in consumendo humidum natiuum, vt intra septimum diem totum absumendo in hominibus causa existat interitus, mortisq́; necessitatem adferat, autore Hippoc. qui in lib. De natura pueri testatur, abstinentia alimentorum vitam humanam vltra septem dies non durare, & hac ratione scribit ἑπταήμερον εἶναι τοῦ ἀνθρώπου βίον. Quo cernitur, quantam vim habeat ἔμφυτον

θερμόν, vt diſſoluat ſuum proprium humidum, quod ἔμφυτον ſeu natiuum appellamus. Eiuſdem inſtrumento anima plaſtico ſuo corpore ſeu calore quodammodo cœleſti, huic vt diximus detrimẽto ſuccurrit, reparãdo ſcilicet, quod neceſſitate materiæ abſumptum eſt & deperditum. Reparatur autem id ipſum alimentis, & inprimis proprio calidi natiui nutrimento, nempe quod aſſimilari poteſt, & tranſire in ſpeciem ſeu formam nutriẽdi corporis. Eius autem duplex eſt reſtitutio, quarum vna deſcribitur quãtitate, vt nimirũ quantitas eius, quod reparatur, & eius quod fuit abſumptum, pari quantitate compenſetur, aut plus reſtituatur, aut minus quàm deceſſerit. At verò qualitatis par ac ſimilis reſtitutio & reparatio nequit eſſe, quandoquidem humidum natiuum progreſſu ætatis ſiccius fiat, vigoremq; ſuum paulatim amittat, quæ cauſa etiam ſit ſenectutis in corporibus animatis. Sed de his omnibus alias copioſius diſſeruimus. Quo manifeſtum eſt, in corporibus animatis ex neceſſitate corrupta humiditate natiua, ꝓcreari περίττωμα ſeu excrementa permutatione vtilium in corpora quædam inutilia ſeu vaporo-

Reparatio humidi duplex.

roſa, propterea quòd extra corpus hali-
i perpetuo excernantur & difflentur, cum
tentis illis, vtiles ſubſtantias neceſſe ſit
e vigore & vita ſua periclitari. Deinceps
onſiderabimus etiam quomodo calore
to natiuo è ſanguine ſeu humore ſangui-
eo generetur ſpiritus vitalis, qui à corde
 arterijs, vt efficientibus generatur, & in-
trumento arteriarum per omnes partes
orporis diffunditur, vt ſine eo nulla pars
imilaris vegetari & nutriri queat. Itaque
μφυτος ille calor ex ſanguine puriſſimo ge-
erat non tantùm ſpiritum vitalem, ſed et-
iam quoddam excrementum, quod pro-
pter humiditatem aqueam mixtam cum
ſanguine generari cõſueuit, & vaporis po-
tius quàm fumi appellationem meretur:
(quid enim vapor & fumus, vt Gręci appel-
lant ἄτμος καὶ καπνὸς, inter ſe differãt, ple-
risq; eſt notum) vitalem autem ſpiritum,
quo calefieri omnia neceſſe eſt, non niſi ex
ipſa ſanguinis ſubſtantia generari, nemo
eſt qui dubitet. Vaporis illud excrementũ
ſpiratione pulmonis à corde expurgatur,
& pulſu item cordis. Quod autem in arte-
riis ipſis continetur, earundem perpetuo
vibratione pulſuum diſcutitur ac repurga-

Spiritus vitalis quomodo generetur

tur. Nam vt ex aqua nullus generari potest ſanguis (quoniã ſimplex aqua nullam vim habet ad nutriendum corpus) ita aër qui fit ex aqueo humore, nullo modo poteſt eſſe materia ſpiritus vitalis, neq; etiam aër ille qui inſpiratur, mutabilis eſt in ſubſtantiam vitalis ſpiritus, vt quibuſdam veteribus medicis, atq; etiã recentiorib. videtur. In hac igitur alteratione & mutatione ſanguinis aquoſæ ſubſtantię fit mutatio in vaporem, ſed ipſius ſanguinis ſubſtantiæ fit mutatio in ſpiritũ vitalem; perinde vt cibi, qui in ventriculo concoquuntur, pars quędam ipſius inutilis excrementi habet appellationem, & pars altera efficitur chylus, qui prima eſt materia nutritionis, ex qua ſanguis generatur, vt ferè ſine excremento in corpore animalis nihil, quod vtile ſit, ad vegetationẽ natiuo calore ſeu ἐμφύτῳ generetur. Differt aũt ſpiritus vitalis à reliquis duobus caloribus, in corpore animato exiſtentibus ſeu animali, quorũ alterũ σύμφυτον, & alterũ ἔμφυτον appellauimus. Ἔμφυτος enim calor eſt, qui generat vitalẽ ſpiritum, ſed σύμφυτος eſt calor, quẽ ſpiritus vitalis quamdiu calefacit, tam diu corpus illud, in quo eſt calor σύμφυτος, viuere & vegetari

[illegible]etari dicitur: qua ratione ſubſtantialis eſt [illegible]italis ſpiritus ſeu calor ἐμφύτῳ calori, qđ [illegible]mbo ſc. ποιητικὸν quoddam αἴτιον exiſtũt [illegible]eſpectu alterius cuiuſdã. Nos ergo vt diſ[illegible]inguamus calorẽ vitalis ſpiritus à reliquis [illegible]duobus modo dictis, appellabimus ipſum [illegible]φύσει calidum, quod inſtar habeat & ſimi[illegible]litudinem ignis elementaris, qui φύσει etiã calidus eſt, & non corrumpit, ſed conſtituit duntaxat res naturales cũ cæteris elementis mixtus, & συμφύσει concretus. Hunc ipſum calorem ſeu ſpiritum vitalem medici vulgo nominant, influens calidum, quòd videlicet diffuſus per vnum corpus, ipſum calefaciat & vegetet, cauſa exiſtens nutricationis inſtrumentalis in omnib. partibus ſimilaribus. Veruntamen ſpiritus vitalis eo differt ab igne elemẽtari, quia vitalis ſecretus quidã eſt ignis, totum calefaciens corpus viuifico calore. Nec eodem modo quo ignis elementaris concretus eſt, ſed quaſi ſimplex & puriſſimus (tametſi non negemus ipſum etiam ex elementis eſſe conſtitutum) aut etiam quo ἔμφυτος aut σύμφυτος: quandoquidem σύμφυτον & ἔμφυτον calorem ſpiritu caloris vitalis neceſſe ſit vigere & conſeruari, ipſi autem vitali

non ſit neceſſe, vt ab alio calore conſerue-
tur, quemadmodũ nec igneo calori opus
eſt alio calore, quo vigeat & caleat, vt ob
hanc cauſam ſolus τῇ φύσει calidus eſſe di-
catur. Quo manifeſtum eſt, vt quædam i-
gnis putreſcere nequit, ita nec ſpiritus vi-
talis putredini obnoxius, cum propter di-
ctam cauſam, tum etiam quòd viuificus
calor nullus (qualis etiam eſt ἔμφυτος ca-
lor) putredine poſſit corrumpi. Vtriusque
enim caloris corruptio, mortem & non
putredinem patientibus corporibus con-
ciliat. Calor autem ſpiritus vitalis, quem-
admodum etiam ἔμφυτος calor, extingui-
tur aut frigore, aut propter defectum ſuæ
materiæ ſeu nutrimenti, quo conſeruatur,
aut difflatione ſeu extenuatione, qua aut
ſecundum naturã ſenſim ex vniuerſo cor-
pore perpetuo fluxu exhalat & tranſpirat,
aut cõfertim, valde relaxatis poris & mea-
tibus corporis ſubitò effunditur, vt Gale-
nus inquit in quodam commẽto progno-
ſticorum: vbi Hippoc. ſymptoma deſcri-
bit peſtilentis cuiuſdam febris ſyncopticæ,
in qua biduo aut triduo tam copiosè ſpiri-
tus vitalis è toto corpore exhalat, vt to-
tius corporis habitus cadaueris ſpeciẽ quo-
dam-

dammodo acquirat. Eo in loco Galenus causam exponens huius subitæ mortificationis seu cadauerosæ formæ, scribit nullã aliam esse, quàm quòd spiritus vitalis in toto corpore relaxato patulis apertisq; poris subitò, & confertim exhalet quasi ῥεῦμα quoddam flammeum: siquidem Aristoteles flammam nihil aliud esse dicit, quàm perpetuum ῥεῦμα quoddam exhalationis, quæ flammeo exarserit calore. Sed de caussis corruptionum caloris sequenti capite disseremus. Hactenus quæ differentiæ sint calorum, qui insunt secundum naturam, ex his quæ dicta sunt, satis apertè nos exposuisse arbitror.

CAPVT III.

Quot & qui modi sint corruptionis naturalium.

ARISTOTELES 5. physicorum libro vt duplicem generationem, ita quoque corruptionem esse scribit: vnam, qua scilicet res naturales simpliciter corrumpantur, quia nimirum corruptione ex ente simpliciter, i. ex substantia fiat, nõ ens simpliciter, i. non substantia. Alteram secundum quid corruptionẽ nominat, vt si propter accidens dicatur quippiam corrum-

pi, vt verbi gratia, ſi ex calido fiat frigidum, aut ſi frigido corrupto calidum efficiatur. Hoc loco autem ſimplex corruptio (vt quidam falsò interpretantur) non opponitur neſcio cui compoſitæ corruptioni, cùm omnis ſit compoſita corruptio ex materia & forma. Idem Ariſtoteles duplicem ſtatuit eſſe generationem, nec non etiã corruptionem. vnam videlicet naturalẽ quã ipſe Ariſtoteles appellat εἱμαρμένην: alterã verò βίαιον ſeu violentam nominat. Quæ ſint naturales generationes ſeu εἱρμαρμέναι ipſum per ſe eſt manifeſtum: violentas autem conſtat eſſe raras & infrequentes & monſtroſas, de quibus etiam non opus eſt, vt plura diſſeramus. Corruptiones naturales porro ſunt violentis oppoſitæ corruptionibus, quarũ quæ naturales ſunt, cauſas habent naturales, & minimè infrequẽtes, quemadmodũ omnia quæ naturaliter eueniũt, plerunq; & in plerisq; ineſſe dicuntur, his vt contrariæ violentæ opponuntur corruptiones. Ratione ſubiectorum diſtinguuntur res naturales, vt nimirũ quædam ſint & dicantur animatæ, quædam autem expertes animæ exiſtant. Corruptio anima-

matarum rerum mors dicitur, quæ & ipſa quædam naturalis eſt, & quædam violẽta. Interitus autẽ rerum inanimatarum quidam violentis cauſis, nonnulli aũt naturalibus proueniũt. Cuius porro naturalis interitus exiſtit, id putreſcẽdo aboleri & corrumpi dicimus. Violentarum autẽ corruptionum, vt multæ differentiæ, ita quoque variæ cauſæ exiſtunt. Poſtremo Ariſtoteles naturalis etiam corruptionis, i. putredinis duas ſpecies ſtatuit, quarũ vna ſit, qua res ex toto ſeu ex omni parte & omnino putreſcat, & altera compoſitũ, quodammodo ex corruptione & generatione, quam appellat ex parte putredinem, ſeu, vt ipſe loquitur, ἐκ μέρους σῆψιν. Et hæ quidem differentiæ diuiſionesq; in ſpecies corruptionis & vulgo notæ probantur, & à philoſophis etiam deſcriptæ & expoſitæ reperiuntur; de quibus in ſequentibus plura, & plenius etiam quàm vberius differemus. Prima quęſtio eſt de rebus naturalibus, an omnes corrumpi poſſint, an verò quædam corpora ſint ἄφθαρτα & corruptionis expertia. Quod enim omnia ingenerabilia ſint etiã incorruptibilia Ariſtoteles libro 1. De cœlo grauiter operoſeq; ac ſollicitè demõſtrauit.

Num verò generabilia omnia ſint & corruptibilia controuertitur inter autores, & & non mediocrem habet diſputationem, argumentis in vtramque partem pondus quoddam habentibus. Galenus in lib. de maraſ. nulla demõſtratione cenſet probari poſſe, Omne quod generatum ſit, interitu quodam etiam ex neceſſitate aboleri. Deinde, vt mea fert ſententia, demonſtrabile eſt, & quòd quædã corruptibilia ſint, & quòd nonnulla ſint ex neceſſitate incorruptibilia: de quibus paulo pòſt diſſeram. Nec verò eſt, vt opinetur quiſpiam, ſe probaturum omnium generabilium corruptionem argumento contrariorum topico, quo dicũt dialectici, contrariorum eſſe contraria conſequentia. vt ſi ingenerabile ex neceſſitate ſit incorruptibile, ſequi etiã ex neceſſitate, vt generabile ſit corruptibile: quod tamen non ita ſe habet, vt ne topica quidem ratione propoſitum illud probabile exiſtat. Non enim ſi contrariorum contraria ſunt conſequentia, ob id modus etiam conſequentiæ in omnibus idem eſt. Ariſtoteles in 2. libro topicorum deſcribit duplicem modum conſecutionis in contrarijs antecedentibus & conſequentibus: quo-

N.B.

quorum vnus eſt, quando duorum contrariorum antecedentia, & conſequentia etiã ipſa fuerint inter ſe contraria, quam conſequentiam Ariſtoteles appellat ἀκολȣθȣσιν ἐπὶ τὰ αὐτά: vt ſi dicas, quemadmodũ virtute homines beati exiſtũt, ſic vitijs pręditi pro miſeris ſunt habendi. Alter modus eſt conſecutionis, quando videlicet non ad oppoſitum antecedentis ſequitur oppoſitum conſequentis, ſed ad oppoſitum conſequentis ſequitur oppoſitum antecedentis. Ariſtoteles conſecutionem ſeu conſequentiam hanc appellat ἀνάπαλιν ἀκολȣ́θησιν: vt ſi dicamus, quemadmodum ad bonum habitum ſeu εὐεξίαν ſequitur ſanitas, ita nõ ad καχεξίαν ſequitur morbus ex neceſſitate, ſed contra & ἀνάπαλιν ad morbũ ex neceſſitate ſequitur καχεξία, ſeu malus habitus corporis. Simili modo vt ad ingenerabile ſequatur ex neceſſitate incorruptibile, ob id tamen ad generabile non ſequetur ex neceſſitate corruptibile, ſed contra ad corruptibile ex neceſſitate ſequitur ipſum generabile eſſe. Ex quo ſequitur, vt quædam generabilia ſint hac natura prædita, vt naturalibus cauſis poſſint corrumpi, & alia ſint, quæ non poſſint corrumpi.

Quod ad primam causam attinet, si comparetur rebus creatis, nihil est, quod non possit non esse, & nihilominus permutari, excepto solo creatore, cui simpliciter nihil est oppositum: vt Aristoteles scribit in metaph.lib.12. quoniam τῷ αὐτῷ ἀγαθῷ malum non est oppositum, nec ipsum bonum ipso malo potest permutari, cùm ipsum malum neq; sit principium, neq; principijs quibusdam constitutum. In creaturis autẽ Aristoteles secundum Deum, alterũ scribit esse in rebus creatis, quod videlicet ipsis accidat, & non ex necessitate creaturis insit, sed duntaxat voluntate Dei, qua conseruator & gubernator est omniũ, quod bonũ à Deo proximum in creaturis Aristoteles appellat ordinem rerum seu τάξιν: qua omnia sint omnibus quasi consociata & cõnexa, quæ voluntate Dei possit permutari (si videatur & placeat) ἀταξίᾳ, & præterea etiam creaturæ possint permutari in nihilum. Id ipsum quoq; Plato voluit intelligi, quando in Timæo introducit Iouem loquentem cum cœlestibus substantijs, & vt eos vocat cũ inferioribus Dijs, vt nimirum intelligant sese non suapte natura immortales esse, sed sola voluntate Dei, à quo etiã

sunt

sint creati, & id quidẽ, quod dicimus, multo magis ad corporeas creaturas pertinebit, vt nimirũ suapte nequaq̃ natura, sed sola voluntate & placito diuino ab interitu vindicari possint. Sed nos in præsentia de naturalibus duntaxat causis quærimus, vtrum nonnulla sint incorruptibilia, quę tamen generabilia existãt. Constat sanè causis naturalibus partes vniuersi esse incorruptibiles propter τάξιν, qua nimirum salua & integra corruptio nulla accidat substantijs corporeis aut vniuerso mundo, quamuis creatum mundum esse concedamus. Quin etsi consideres partes, vt terram & reliqua elemẽta, nihil est quod corrumpi aut aboleri possit, quod videlicet ex toto contrarium ipsis nihil existat, quamuis secundũ partes mutabilia sint elementa. Cùm autem omnia propter cõtraria sint corruptioni obnoxia, si quid sit, cui contrarium nihil sit, aut quod à contrario vim nõ patiatur, id incorruptibile esse necesse est. Deinde multa esse dicuntur, quæ nec putrescere, nec violentia ignis aboleri possunt, vt in metallis aurum esse dicunt, & fortasse alia quædam in natura talia existunt, quæ contrarijs nullis sunt oppo-

sita vt ab ijs corrumpi possint. Cœleste corpus autem nullã in se habere causam corruptionis naturalem in philosophia Aristotelis & Platonis, nullam habet dubitationem. Veruntamen vt incorruptibilia quędam esse corpora, quamuis generata sint, vt argumentis quibusdam est demonstrabile, ita quoque similiter demonstrari potest, quod generata naturalibus quædam causis corrumpi possint, & interitu quodã aboleri. Vtriusq; causam, nempe propter quam corrumpi possunt, aut non corrumpi possunt, deinceps explanare & declarare aggrediemur, paulo altius argumenta huius demonstrationis repetentes. Constat res omnes diuidi secundum esse suum in actum & potentiam. Deinde etiam liquet inesse subiecto, aut hoc modo, vt permutari non possit contradictorio, aut vt possit permutari opposita contradictione. Deinde etiam inconfesso est, res naturales nullam vim habere ad agendum vel patiendũ aliquid sine potentia, cùm non sint (quemadmodum incorporeæ substantiæ) ὀσία ἐνεργεία, sed propter potentiã omnes energijs motionum, i. actionibus & passionibus perficiantur. Præterea consideranda etiam

etiam hæc eſt differentia potentiarum, ꝙ videlicet quædam inſunt ſuis ſubiectis inſeparabiliter, & quiddam ſunt cum ipſis ὁμούσιον, i. conſubſtantiale quiddam conſtituant, excludēdo videlicet potentiã contradictionis, vt in ſubiectis nimirũ ſuis perpetuo actu inſint. Omne enim id ſemper eſſe, aut ſemper ἐνεργεῖν dicitur, quod contradictioni non eſt obnoxium, eoq́; nomine ex neceſſitate dicitur eſſe, quo & actus ipſe potentiæ contradictionis eſt oppoſitus. Alia potentia eſt, quæ nõ excludit, ſed includit potentiam contradictionis, qua videlicet res poteſt eſſe, & poteſt non eſſe. Cuius potentiæ in rebus naturalibus cauſam dicimus eſſe naturam ipſam quam definimus, vt ſit cauſa, qua res poſſit eſſe, & qua poſſit nõ eſſe, autore Ariſtotele in metaph. Prima autem materia eſt, & nõ ſimpliciter materia, qua ſubſtantiæ generabiles ſunt & corruptibiles. Quin etiam corruptibile & incorruptibile dupliciter deſcribimus. Quædam enim ἁπλῶς ſunt incorruptibilia, ſeu vt Græci vocant, ἄφθαρτα, quæ opponuntur ſimpliciter corruptibilibus, vt cœleſtes ſubſtantiæ mortalibus & caducis ſubſtantijs, quæ toto genere phyſi-

co inter ſe diſcrepant, vt autor eſt Ariſtoteles lib.θ. metaph. circa finem. Alia ſunt ſecundum quid ἄφθαρτα, quę & ipſa ſecundũ quid ſunt φθαρτά: vt ſi quis dicat, aurũ reſpectu ignis eſſe ἄφθαρτον, attamen reſpectu alterius cuiuſdam φθαρτὸν ſeu corruptibile eſſe dixerit. Deſcribuntur talia corruptibilia ſecundum quid, & incorruptibilia conditionibus quibuſdam affectorum aliquo modo corporum, aut locorum aut temporum; vt verbi gratia, hominem immortalem & ἄφθαρτον hac conditione dicere poſſumus, ſi humidũ & calidum natiuum perpetuò eadẽ qualitate & quantitate in ipſo reficiatur & reſtituatur alimentis, vt interim nihil à rebus non naturalib. violenti patiatur. Aut ſi quatenus ipſum ſeſe nihil poteſt corrumpere, aut ipſum ſeſe nihil poteſt alterare, hac ratione ipſum ἀπαθὴς & ἄφθαρτον eſſe dicamus. Alia ſunt quæ loci gratia pro incorruptibilibus numerantur, vt ſi quid loco ſeparatum ſit, & expers ſit alterationis contrarij corporis; vt ſi quis ignem elementarẽ, quatenus ſuper aëreũ elementũ collocatus eſt ἄφθαρτον eſſe dixerit, ꝙ videlicet propter locum ſeparatus ſit ab omni eo, quod ipſum contraria qualitate al-

te alterare queat, aut si quo tempore aut quàm diu nutriatur quippiam, eodem etiam ipsum corruptionis expers esse statuat. De his in præsentia satis dictũ sit, nunc ad alia deinceps nos conferemus explicanda. Potentiæ porro quædã κινητικαὶ cõsubstantiales sunt cum eo subiecto, quorum etiam formæ substantiales esse dicuntur, & ob id cum suo subiecto συνούσιον quiddã esse dicuntur, quæ formæ substantiales pro principijs etiã numerantur motuũ & quietum, eorũ, quibus tanq̃ naturæ insunt, & subiecta mobilium substantiarũ illarũ constituunt. Huiusmodi potentias motrices seu κινητικὰς dicimus inesse elementis respectu motionis in loco, qua sursum aut deorsum secundũ naturam ciëtur. Hoc enim in motu nullius externæ motionis impulsu indigent, nec laborant etiam aut defatigantur, vt solent quæ externo impulsu mouentur, vt si terra sursum, aut ignis deorsum moueatur. Similiter etiam elementa suis in locis sine labore & defatigatione quiescũt, nulloq; detrimento afficiuntur, quẽadmodum alias, quæ non in naturalibus locis quiescũt, ꝙ videlicet potẽtia contradictionis exclusa, perpetuitatis in motu & quiete

integritatem & incolumitatem ſempiterni actus ineſſe conſtet mobilibus his naturalibus. Quo imitantur etiã cœleſtis motus æternitatem, qui ſine labore defatigationeq; perpetuo actu ſui ſubſtantialis exiſtat, materia & potentia contradictionis nullum habentibus locum in ſubſtantia & motu cœleſtium corporum. Principium porro illud κινητικὸν, ſeu potentia hæc, nihil aliud eſt quàm forma ſubſtantialis elemẽtorum, qua ratione principium mouendi in elementis dicitur eſſe, non quatenus aliud quiddam ſint, ſed quatenus ipſum aliquid eſſe elementa dicuntur, i. conſtitutũ quoddam mobile corpus: cauſa eſſentiæ à forma ſua, quæ nimirum principium motus & quietis internum & eſſentiale eſſe dicitur, cùm alia principia motus externa nõ ſint in mobili, quatenus ipſum eſt, ſed quatenus mobile aliud quiddam ratione ſuæ eſſentiæ, quàm ipſum mouẽs, exiſtit. Nam quæ ſic ſe habent mouentia & mobilia, eſſentialiter diſtinguuntur. Quæ autẽ principia in elementis motionis in loco interna ſunt, & naturæ etiam exiſtunt mobiliũ elementorum, aliquid idem ſunt eſſentialiter. Principium enim ſeu natura ab eo cu-

ius

us est, separari nequit: propter quam causam Aristoteles principium motionis in loco elementorũ penitus seu omnino & ex toto, nempe ὅλην ἀρχὴν, appellat lib. θ. metaph. quòd videlicet non tantùm causa sit motionis, sed etiam constitutionis substãtiæ elementorum, & quod externa principia motionum, non sint ex toto principiũ, i. simpliciter forma quædam substantialis, sed forma quædam concreta cum materia, & quodammodo ex principijs constitutum quoddam; quandoquidem externa omnia mouentia naturalia quædam sint corpora, & ratione motus ποιητικά. Quod autem diximus de motionibus elementorum, quibus in loco mouentur suis internis principijs, nempe formis substantialibus, quæ dicuntur principia esse, vt moueantur elementa sua sponte sursum aut deorsum adminiculo illarũ qualitatum, quæ nimirum sunt leuitas & grauitas, quas Aristoteles elementis inesse scribit tanquam ζώπυρον quoddam; quod diximus inquam & scripsimus, illud sic intelligi volumus, nõ quòd tali principio κινητικῶν moueantur elementa, quòd videlicet ipsa à se ipsis primò moueantur, quemadmodum ani-

mata corpora à ſe ipſis primò moueri dicũtur, ſed quòd externum principiũ quoddam ſit, quod initium faciat ipſorum motionis; facto autem initio ipſa ſuæ motionis, deinde intra ſe cauſam propriam habeãt. Dupliciter autẽ ipſum à ſe ipſo primo moueri dicitur; vnus mod⁹ eſt, quo animalia à ſeipſis moueri dicũtur; alter modus eſt, quo inanimata ſeu naturalia corpora ſeipſis primò moueri ſurſum & deorſum cenſentur, ſed falsò. Paulo antè oſtendimus, quòd grauia & leuia ſemetipſa primò mouere nequeant, & quòd ſponte ſua mouentur ſurſum aut deorſum, id prouenire, non quòd mouens & motũ prorſus idem ſint, & nulla re differant, quandoquidem forma ſubſtantialis & ipſa ſubſtantia naturalis, quamuis ſubſtantialiter ſeu eſſentialiter non diſcrepent, nihilominus formaliter, id eſt, definitionibus inter ſe differunt. At primò motum, ſi ipſum primo mouere dicatur à ſeſe, tum mouens & motum prorſus idem numero erunt, nec vlla diſcrepantia erit; quandoquidem formaliter idem exiſtant. At quòd idem omnino non poſſit eſſe primo mouens, & primo mo-

motum, iam demonſtrabimus. Quod primo moueri dicitur, id non propter aliud quiddam, nempe propter partem aliquam ſui mobile exiſtit. At nihil eſt, quod non propter partem ſui non poſſit eſſe mobile, quoniam omne quod mouetur ex neceſſitate corpus eſt, & in partes diuiduum. Præterea conſtat parte quieſcente etiam totum ex neceſſitate quieſcere, id eſt, quietem ineſſe toti propter partem aliquam quieſcentem. Ergo neceſſe, vt parte hac mota, totum quoq; ipſum moueatur, qua ratione pars mota in cauſa erit, vt etiam totum moueatur. Nam ſi negatio ſit cauſa negationis per ſe, ſequitur vt etiam affirmatio ſit cauſa affirmationis per ſe. Quocirca motus partis cauſa per ſe erit motionis totius. Proinde cùm mobile infinitè ſit diuiduum partibus, propter quantitatem, qua præditum eſt, ex neceſſitate nullum reperietur primum, quo moto, totum etiam moueri oporteat. Sed in ſeptimo phyſic. demonſtratum eſt, ſi mouentia deinceps & mobilia infinita exiſtant, nullum poſſe motum propter hanc infinitatem in rebus mobilibus exiſtere, propterea quòd nullum ſit in ſic

habentibus primum mouens : quare nec vltimum erit etiam quod moueatur. Ex quo est euidens, si dicatur ipsum à se ipso primo moueri, vt immobile sit: quandoquidem sine primo mouente, aut moto nihil mobile existat, quod ipsum Aristoteles subtilissimè demonstrauit ab initio lib. 7. physic. Hactenus demonstratum est, corpora naturalia, quoad mouẽtur sursum & deorsum, nullum in se habere principiũ, quo primò moueantur, vt animata corpora, sed esse quoddam externum corpus, cuius impulsu primò cieantur, quod ipsum pars mobilis corporis (vt iam probatũ est) nullo modo queat esse. Quo euidens grauitate & leuitate, quatenus mobilia sunt corpora naturalia, causa partium quantitatis nullum in ipsis principium esse, quo primo moueantur, sed quoad partes habẽt essentiæ, nempe quatenus distinguuntur in formam substantialem, & compositum ex forma & materia, hac ratione habet in se κινητικὸν principium, & etiam principiũ quo κινητικὰ existant: veruntamen κινητικὸν illud tale non est, quod primò moueat, quale κινητικὸν est in animatis corporibus, sed externo quodam mouente initium fit

mo-

motionis in talibus grauitate & leuitate mobilibus. Facto autem initio motionis, intra se causam obtinent, vt externi motoris adminiculo amplius non egeant. Quod ad reliquos attinet motus, & alteratione͂, quibus alterabilia dicuntur corpora naturalia, in se non habent principiũ κινητικὸν, sed extra se, vt proprium motionis principium (quæ natura appellatur nimirũ) insit in ipsis duntaxat, quatenus patiuntur motum, seu quoad κινητικὰ existunt, in quibus principium mouens omnino extra substã-tiam mobilis esse oportet. Etenim nihil semetipsum alterat, vt etiã semetipsum nihil generat aut corrumpit. Alterantia enim & corrumpentia sunt extra illud, quæ motibus his & mutationibus afficiuntur. Aristoteles lib. θ. metaph. sic habentia corpora moueri dicit ab alio, quatenus sint alia, .i. substantia discrepantia à mouentib. corporibus, & mouere etiam non se ipsa; sed mouentia alia dicuntur, quatenus alia, i. quatenus non sunt pars essentiæ mobiliũ corporum, vt verbi gratia, aqua mouetur ab igne, seu alteratur, quatenus ipsa est aliud quiddam, quàm ignis: & ignis alterat aquam, quatenus ipse etiã aliud quiddam

est, quàm sit aqua. Sed forma sursum aut deorsum loco mouens substantiam mobilem, κινητικὸν dicitur esse, quatenus non est aliud quiddam; sed quatenus est principium & causa ipsius κινητȣ͂, id est, mobilis corporis, quatenus est in mobili, quoad est ipsum mobile; cùm mobile ꝓpter formam istã sit & subsistere dicatur, vt forma respectu illo rectè ab Aristotele appelletur ὕλη ἀρχὴ, vt suprà disseruimus; quãdoquidẽ sit non tantùm mouens, sed etiã constituẽs ipsum mobile principiũ. Quę hactenus exposuimus, à paucis intelligũtur; quo factũ est, vt pleriq; & naturæ definitionẽ, quæ est apud Aristot. non rectè sint interpretati. Etenim natura est principiũ cõmunissimum, in omnib. rebus naturalibus existens causa motus & quietis earundem, non quoad in se ipsis habeant κινȣτικὸν principium, sed quoad extra se mouentẽ causam obtinent. Quoad autem mobilia sunt, intra se principium habent omnia naturalia, quo definito & certo quodam modo patiantur, & sustineant motiones; quod ipsum principium appellant vulgo παθητικὸν, & non ποιητικὸν motionum naturalium. Quod autem nonnulla animata corpora in se habent

bent κινητικὴν ἀρχὴν, id principium naturalibus corporibus accidit, quatenus mouentur. At παθητικὸν principium motus sine exceptione omnibus inest corporibus naturalibus. Quocirca in definitione Aristotelis principium motionis passiuum dicitur esse per se, & quia nõnullis etiã inesse principiũ κινητικὸν consueuit, idq; accidat naturali principio, quatenus naturale. Idcirco in definitione Arist. illud ꝑ accidens κινητικὸν principiũ excludit his verbis, quãdo dicit naturã esse principiũ motus & quietis per se, & non secundũ accidens; alioqui hac exceptione vti non debuisset, cũ per se, respectu eiusdem semper excludat id, quod per accidẽs est. At cõstat definitiones superuacaneis differentijs nõ esse onerãdas. Multi eorũ, q̃ hactenus exposuimus ignari, particulã hanc definitionis referũt ad priuationẽ, ꝙ videlicet priuatio nõ sit causa ꝑ se, sed per accidens motionis & quietis; quã tñ priuationẽ excludere minimè opꝰ fuit Arist. in hac definitione, cũ omnib. cõstet, priuationẽ nõ habere appellõnẽ naturæ in rebꝰ, siqdẽ res naturalis naturis, nõ aũt priuationib. cõstituantur. Quæ differẽtię sint potẽtiarũ, quarũ energiæ & actꝰ sunt motiones,

expoſitum ſatis ſuperq; arbitror eſſe; nunc quomodo ſeſe habeant tales potentiæ reſpectu agentium & patientium, & qua ratione item contrariæ inter ſe exiſtant, deinceps explanabimus. Potentiæ agentium & patientium inſunt differentibus eſſentialiter ſeu ſubſtantialiter ſubiectis, & non niſi contrariè inter ſe oppoſitis, vim ad agendum & patiendum habent; & agens in alio, quatenus aliud, itemque patiens ab alio, quatenus aliud, mouere & moueri dicuntur. Efficientia autem repectu patientium aut actu ſunt contraria, aut potentia ſeu ἐντελεχεία: de quibus differentijs non eſt opus vt in præſentia plura dicam, cùm alias ſint à nobis expoſitæ. Quibus poſitis ſequitur, vt ipſum ſeſe nihil alterare poſſit: item vt ipſum ſeſe nihil etiam generare queat, aut corrumpere, cùm ſine alteratione nihil neque generari, neque corrumpi poſſit. De motu in loco leuium & grauium corporum naturalium paulo antè diſſeruimus. Quin etiã incrementi & decrementi motionum cauſa nulla ſine alterationibus eſſe poterit. Quamobrem de cauſis alterationum, ſine quibus nihil neq; generatur, neq; corrumpitur, diſſeremus in præſentia.

Qua-

Qualitatum cauſa patibilium res alterabiles eſſe dicuntur: vt autem alteretur quippiam, duo ſint neceſſe etiam eſt eſſentialiter ſeparata eſſe; quorum vnum ποιητικὸν, & alterum παθητικὸν appellari conſueuit. Nulla autem alteratio propter has cauſas in rebus naturalibus ineſt ſine contrarijs, quæ ex neceſſitate ſub eodem genere exiſtunt; quod probatione non indiget, cùm per ſe ſit manifeſtum. Nam quæ per ſe cõtraria non ſunt, cauſa alterationis eſſe nequeunt, nec vnum reſpectu alterius ποιητικὸν aut παθητικὸν dici queat, vt ſubſtantia reſpectu alterius ſubſtantiæ ποιητικὸν nequit dici αἴτιον, cùm ſubſtantia non ſit ſubſtantiæ contraria. Nec diuerſa accidentia, quoniam contraria non ſunt, vim aliquam habent ad alterandum; vt album non poteſt alterare frigidum, cùm ſimul eſſe poſſint in eodem ſubiecto album & frigidum, vt in niue. Quæ ſunt hoc modo comparata, vnũ reſpectu alterius dicitur eſſe ἄφθαρτον ſeu incorruptibile, quoniam corruptio non niſi propter agentia & patientia corpora prouenit in rebus naturalibus. Sic etiã propter mixtionem, quando deſinunt motiones & alterationes propter σύμφυσιν, i.

quando vnũ aliqd ex multis alteratis συμφύσει cõstituit, vnũ illud expers alterationis corruptionisq́; exiſtit, i. à ſe ipſo neq; alterari neq; corrũpi poteſt, vt oĩno neceſſe ſit, in alterationib. eſſe quoddã ποιητικὸν αἴτιον; vt ne elemẽta qdẽ alterabilia ſint ſeipſis, multò minus corruptibilia, ſi nõ extrinſecus cã ſit, q̃ contrariã qualitatẽ contraria pmutare queat. His liquet, q̃ non tantùm ſint corruptionũ, ſed etiã q̃ ſint τῆς ἀφθαρσίας cauſæ. de quib. paulo plenius iã diſſeram. Quicqd corrũpitur tribus his cauſis neceſſe eſt corrumpi; quarũ vna eſt cauſa, vt corpus ſit primis qualitatibus prẹditũ. Secunda cã eſt, vt qualitate quadã propter quã alterari poſſit, ſit affectum, vt lignũ nulla qualitate eſt affectũ, vt ab igne colliquetur, vt plumbum colliquatur. Tertia cauſa eſt, vt ſit ποιητικὸν quoddã αἴτιον, patientẽ ſubſtantiã alterando ſc. & perimendo priorẽ qualitatem corrumpat. Proinde nec materia vacare poteſt, nec patibilibus qualitatibus, nec patibiles qualitates ſine materiali corpore eſſe poſſunt, quandoquidẽ τὰ πάθη non ſunt χωριστὰ, & ex neceſſitate aliqua ſubiecto inſunt. Præterea diſtinguendus eſt etiã modus corruptionũ: vnus eſt, quando vnũ per ſe ab altero dicitur corrumpi, vt ſi cõtraria

qua-

qualitas corrumpit contrariam, vt si frigus calorem. Alter est, quo dicitur corrumpi aliquid per accidens, vt si substantia propter corruptam qualitatẽ ipsa quoq; perimitur; quoniã substantia, vt diximus, per se ab alia substantia non perimitur, cùm non sint contrariæ inter se substãtiæ. Corrumpi verò eas peremptis qualitatibus aut crasibus manifestũ est. Simili modo dicimus, scientiam per se corrumpi obliuione, sed per accidens scientiam corrumpi dicimus, si perempto homine, ipsa quoq; aboleatur. Præterea corruptibiliũ quoq; substantiarũ illud discrimen est considerandũ, quemadmodũ etiã incorruptibiliũ. Nam quædam dicunt corruptibilia simpliciter, quædam verò secundũ accidens tantùm, vt aqua, causa substantiæ simpliciter est incorruptibilis, sed duntaxat mutata eius qualitate dicitur corrumpi tñ secundũ q̃d, & nõ simpliciter ipsa substantia. Simili modo distinguimus etiã incorruptibilẽ substantiã. Nam vt aliquid sit & dicatur simpliciter incorruptibile, tria hæc necesse est esse, nempe vt substãtia talis materiæ sit expers, & vt etiã contrariorũ, & vt nullum sit corruptionis efficiens, nempe μεταβλητικὸν αἴτιον τῆς φθορᾶς. At simpliciter corruptibile est, q̃ omnibus his causis

definitur. Secundum quid corruptibile eſt, quòd materia quidem præditũ eſt, & qualitate patibili: veruntamen cùm ipſum ſeſe corrumpere nihil poſſit, aut generare, ſi nullam cauſam habeat extra ſe corruptionis, vt verbi gratia, metalla, quæ generantur in abditis terræ locis, nullam videntur cauſam habere ſuæ corruptionis, quamuis contraria qualitate & patibili, nec nõ materia etiam ſint prædita, propter cauſam hanc abſentem nihilominus ἄφθαρτα videntur eſſe. Sunt etiam ſecundum quid incorruptibilia, exiſtentibus quidem cauſis corrumpentibus, & ſubiectis etiam rebus exiſtentibus, quę corrumpi poſſint: nihilominus ſi corrumpens cauſa reſpectu qualitatis alienæ, quæ patibilem ſubſtantiam non efficiat, reſpectu illius corrumpentis, ſeu efficientis corruptionem: vt ſi ignis καυϛικὸς reſpectu aquæ dicatur eſſe, aqua videlicet quia non eſt cõbuſtile quiddam, ſeu καυϛὸν etiam, hoc modo reſpectu ignis vt ἄκαυϛον, ita quoq; ἄφθαρτον aqua eſſe exiſtimari debet. Hactenus quibus & quot modis corruptibile & incorruptibile quippiam dicatur eſſe expoſuimus, ſed cũ ſine potentia nihil ſit corruptibile, deinceps

ceps etiam de potentia (quam Græci appellant δυύαμιν) & eius oppoſito ἀδυναμία, quæ ſint eius diſcrimina & æquiuocata (quoniam æquiuocum eſt vocabulū δυνάμεως) explicare conabimur. Ariſtoteles lib. δ.metaph. cuiuſmodi & quot numero ſignificata ſint vocabuli potentiæ, copiosè quidem,ſed tamen perobſcurè expoſuit, quæ, vt ſpero, nos in præſentia planius interpretabimur. In primis vocabulo potentiæ ſeu δυνάμεως ſignificatur principium motionis ſeu mutationis in alio, quatenus aliud, & non quatenus ipſum. vt anima,verbi gratia,principium eſt motionis in corpore animato, quibus motionib. & moueri à ſe ipſo loco dicitur,& vegetari. veruntamē reſpectu corporis animati potentia non dicitur eſſe, ſed ipſius actus & ἐντελέχεια. Quod autē ἐντελέχεια ſuæ quodammodo ſit oppoſita potentiæ materiæ, vel ſubiecti, ipſum per ſe eſt manifeſtum. Simili modo formæ, quibus inanimata corpora (vt elementa) ſurſum & deorſum mouentur,ſecundum naturam non appellantur potentiæ; quòd videlicet huiuſmodi formæ ſint principium motionis in ipſis mobilibus, quatenus ipſa ſunt,& non qua-

tenus aliud quiddam, de quo alias quoque memini me dixiſſe. Et quamuis anima reſpectu corporis animati ἐντελεχείας & δυνάμεως rationem habeat, tamen nihilominus ipſa dicitur in ſe habere δυνάμεις, quib. ſcilicet motus ſuos proprios in corpore animato mediantibus inſtrumentis quibuſdam à ſe informatis exerceat: nam ſeipſa nullas exercet ἐνεργείας, quandoquidē non ſit ὀσία ἐνεργεία, qua ratione δυνάμεως ipſa quoque anima, quanquam ſit ἐντελέχεια quædam, particeps eſſe dicitur, quæ nimirum principium ſunt informantes corpus animatum, mouendi vim habentes, & conferentes etiam corpori habilitatē patiendi motum, cùm vtriusq; modi δυνάμεις ꝑpter animam in corpore animato inſint, quod ipſum in corporibus inanimatis non accidit. Quo perſpicitur principalem hanc eſſe & propriam ſignificationem potentiæ ſeu δυνάμεως, vt nimirū ſit principiū mutationis & motionis in alio, quatenus eſt aliud. Quandoquidem nihil eſt, quod ipſum ſemetipſum primò mouere poſſit. Ipſum .n. reſpectu ſui ipſius agens & patiens nequit dici, nec forma reſpectu eius, in quo eſt, corporis naturalis & mobilis primo ipſa moue-

mouere dicitur. Alioqui ſine intermiſſione res naturalis ſemper moueretur, quoniam mouens à mobili inſeparabile eſſet, & mouens naturale cõiunctum cum mobili ex neceſſitate ſuam energiam exercet, quando eadem vis mouentis fuerit, eademque habilitas mobilis corporis exiſtit. Quin etiam animata corpora non ipſa ſeipſa mouent ſine potentia inſtrumenti & habilitate eius, quod patitur motum, alioqui ipſum à ſe ipſo animatum corpus ſemper moueretur ſine intermiſſione. Nec eſt quod dicas externa quadam cauſa impediri talia, ne ipſa ſeſe primò moueant. Nam quod ipſum ſeſe primo mouet, reſpectu alterius impedimenti cuiuſdam haud dicendum eſt, quod motu careat, ꝓpterea quòd id, quod reſpectu alterius motu priuatur, iſtud etiam reſpectu alterius primo motum à ſeipſo habere dici debet. Etenim id, quod tollit impedimentum in talibus, primo mouere dici conſueuit, vt quod ab alio initium habet ſuæ quietis, id ipſum etiam motionis ſuæ principium ab alio habiturum eſt. Ex quo concludendum, nihil expers eſſe potentiæ (quatenus mobile ſit) ratione cuius neceſſe non ſit,

aliud esse mouens primum, & aliud mobile ipsum, vt nihil ipsum à se ipso primo moueatur. Veruntamen animata corpora in se ipsis habent, quo primo moueri possint, non tamen sine instrumẽtis, vt dixi, in quibus insunt potentiæ motrices (vt paulo antè diximus) respectu mobilium, quæ & ipsa anima participent. Inanimata verò corpora tali destituuntur principio, cùm externũ sit, quo primo moueantur, vt natura communissimum principium existens motionum & quietum, significat tantùm habilitatem quandam patiendi motum & non efficiendi. Sed de his alijs in locis satis multa diximus, nunc ad definitionem potentiæ primam & principalem nos conferemus, qua nimirum dicitur mouendi principium, aliud, quatenus est aliud, & mouendi principiũ, non quo ipsum moueat aliud, sed quo moueatur ab alio (quale principiũ est natura ipsa) quatenus est aliud quiddã. Qua definitione perspicuũ est, potentiam esse in primo mouentib. & quatenus moueant, & quatenus moueãtur: illud actiuũ seu ἐνεργητικὸν, hoc verò passiuum seu παθητικὸν principium seu δυνάμιν appellamus. Aristoteles lib. δ. metaph. hanc principalem

&

& propriè dictam potentiam seu δυώαμιν
ic definit, vt sit ἀρχὴ μεταβλητικὴ καὶ στα-
τικὴ ἐν ἄλλῳ, καὶ μετάβλητον ὑπ' ἄλλου, ᾗ ἄλ-
λο, i. principiũ mutationis in alio, & quo-
d aliud ab alio mouetur, quatenus aliud
est. Significantur hac definitione duo prin-
cipia: quorum vnum est in mouente, & ἐ-
νεργητικὸν appellatur; alterum est in eo,
quod patitur motum, παθητικὸν dici con-
sueuit. Prius τῆς ἀπαθείας est particeps, po-
sterius τῆς ἐμπαθείας causa existit. Nam
propter talem δυώαμιν res patiens est mo-
tionum mutationum, in quibus necesse est
inesse priuationem quandam, cùm motus,
autore Aristotele, sit ἐκστατικὸν τῆς φύσεως.
Quam στέρησιν seu priuationẽ oppositam
esse τῇ ἕξει constat, quæ & ipsa δυνάμεως
cuiusdam habet appellationem. Quare ne-
cesse est, cum potentia mutabilis rei con-
iunctam esse priuationem quandam, sed
cum potentia mouentis non esse coniun-
ctam στέρησιν, vt quę simpliciter sit ἕξις quę-
dam propter ἀπάθειαν scilicet, qua mouere
duntaxat, & non etiam moueri res dicitur.
Ex quo intelligi par est, potentiæ vocabulũ
æquiuocè dici de efficientis & patientis rei
potentia, & esse vocabulum quod de pluri-

bus dicatur ordine quodam & reſpectu cuiuſdam principalis, qualia vocabula multa ſignificantia πϱὸς ἓν Græci appellant, vel ἀφ᾽ ἑνός. Potentia autem principalis ineſſe dicitur efficientibus cauſis, quæ propter ἀπάθειαν ςέρησιν ſeu priuationem excludũt, in reliquis autem, vt patientibus mutationem vel motũ, ineſſe neceſſe eſt potentiam ipſius cum priuatione coniunctã, propter quam videlicet mutabiles aut mobiles exiſtunt res naturales. Vt autem potentia dupliciter dicitur rebus ineſſe, ita quoque impotentia, quæ oppoſita eſt ipſi potentię, duplex eſt. Et prior quidem impotẽtia eſt priuatio primo modo expoſitę potẽtiæ. Altera partim impotẽtia eſt, quæ opponitur potẽtiæ huic, qua dicitur mobile quippiam eſſe aut patibile, quę ſi non eſſet, impoſſibile eſſet generari aut corrumpi quippiam: & hoc modo ipſam per ſe materiam primã impotentem eſſe dicimus, ꝙ videlicet expers ſit ſua priuatione, perfectu omnis potẽtię ſeu ἕξεως, qua ex vna forma in aliam formam poſſit permutari, ꝙ videlicet perfecta permutatione nõ ſit habilis, vt mutationẽ aut motũ in ſe recipiat, quoniã ipſa vt principiũ per ſe, quemadmodũ etiam forma immutabi-

tabilis existit. Quamobrem necesse est, vt alio quodam modo, nempe quadam ἕξιν qualitatũ primarum mobilis aut mutabilis existat, propter quã patibilem qualitatẽ in materia etiam formæ substantiales mutabiles esse dicuntur. Itaq; manifestum est, obnoxia motibus & mutationib. corpora participare potentia, propter quã obnoxia sint mutationibus,& hac ratione esse & appellari δυνατὰ, vt nihil sit δυνατὸν in rebus naturalibus sola priuatione & ἀδυναμίᾳ, q̃ sit opposita δυνάμει primo modo definitæ potentiæ. Non.n.propter priuationẽ (quæ nihil est,& non ENS dicitur) sed ꝓpter ἕξιν quandã materiæ,potens subiectum dicitur esse, hac potentia sc.qua mutari aut moueri possit. Et hoc modo πάντα,vt Arist.inquit τῷ ἔχειν εἶναι ἄντι δυνατὸν,& nequaq̃ τῇ στερήσει;quam στέρησιν subiectum nõ dicitur habere: siquidẽ negatio formę non possit dici habitus seu ἕξις quædam, vt per se manifestum est. Nam sine forma in subiecto nihil neq; mutabile, neque mobile existere solet. Quæ nimirũ negatio omnis formæ in materia prima, vt extrema est priuatio, ita quoque extrema est & summa impotentia, excludens omnem potentiam tam

efficientem, quàm patientem. Ex his liquet principalem & κυρίαν hanc esse potentiam & dici, quæ sit in efficientibus, quatenus vim suam exercent mouendis & mutandis alijs rebus. Alteram verò minus principalem potentiam adscribi mobilibus, mutabilibusq; rebus, in quibus ipsa inest; veruntamen non nisi respectu principalis potentiæ, quo respectu dicuntur non à se ipsis sed ab alio, quatenus aliud, moueri & affici. Principalis verò hæc potentia dupliciter distinguitur. Quædam enim est in his efficientibus seu mouentibus, quæ κατ' ἐντελέχειαν mouere dicuntur patientia corpora. Alterum genus est, quod ὁμοειδὲς existens, patiens corpus transformat in suam speciem; vt si caro è sanguine generet & efficiat carnem. Sed κατ' ἐντελέχειαν mouentia bifariam etiam distinguũtur. Quædam enim sunt prorsus ἀπαθῆ, excludentia omnem potentiam contradictionis, quod videlicet cum materia concreta quædam non sint corpora; vt cœlestia inferiora hęc corpora dicuntur alterare, cùm ipsa sint ἄϋλα & mutationis expertia corpora. Alia verò sunt ἔνυλα, κατ' ἐντελέχειαν efficientia corpora seu mouentia; vt quando venas effe-

effectrices causas esse dicimus sanguinis in ipsis contenti, κατ' ἐντελέχειαν. Constat sanè venas ipsas propter concretionem elementorum & materiæ non esse ἀπαθεῖς omnino, & hac ratione non excludere potentiam contradictionis. Illi verò, qui negant venas generare sanguinem, magno errore tenentur, quoniam existimant omne efficiens respectu sui patientis corporis ὁμοειδὲς esse efficiens. Sic enim disputant illi non posse fieri, vt venæ generent sanguinem. quia venæ sc. sint albicãtes colore, cùm tamen sanguis sit rubicundus. Quasi verò color sit numerandus in efficientibus causis, res coloratas alias, quas tamen non nisi mixtionis causa alteret; cùm color, vt secunda qualitas, non nisi primis qualitatibus, per se & simpliciter generari & effici dicatur: cùm color, quatenus color, nullam vim habeat ad mouendũ, præterquam visum nostrum, nullam autem efficaciam habeat ad alterandum, excepta alteratione, qua mixtionis causa duntaxat (vt modò diximus) aliud alterare dicitur, & non generationis; quam tamen efficaciam adscribimus venis, è chylo generantibus sanguinem. Etenim venæ forma sub-

ſtantiali ſua & temperamento proprio generant ſanguinem, & cum ſanguine accidentia quoq; ipſius propria, nec eſt ὁμοειδὲς efficiens, vt iſti cenſent, qui negant efficaciam hanc eſſe in venis. Nunc deinceps reliquas etiam homonymias potentiæ explicare aggrediar, quarum vnaquæq; ſuę impotentiæ eſt oppoſita. Primo modo ſimpliciter potentia dicitur, quod efficaciam quandam habet ad efficiendū ſeu mouendum aliquid; vt ſi potentes venas dicimus eſſe, vt generent ſanguinem, ei oppoſita eſt impotentia, qua dicitur quippiam nullo modo poſſe ſanguinem efficere; vt ſi dicamus carnem iocinoris impotentem eſſe, quia videlicet nullo modo poſſit efficere è chylo, i. materia ſanguinis, ſanguinē ipſum, vt noſtra fert ſententia: aut ſi carnem hoc modo impotentē dicam eſſe, vt è chylo generet ſanguinem. Altera eſt potentia, qua non ſolùm efficere, ſed etiam bene efficere quippiam effectrix & potens cauſa dicitur; vt ſi venæ optimum ſanguinem generent, aut ſi potentes in republica optimè, i. iuſtiſſimè adminiſtrent remp. Ei contraria eſt impotentia, qua efficiens non ſit efficax ad efficiendum aliquid, vt bene ſeſe habeat,

beat,& non vitiosè; vt ſi impotentes venas aliquis dixerit eſſe, quia vitioſum ſanguinē generent, aut tyrannos impotentes, qui iniuſtè remp. gubernent. Simili modo nos, qui pedibus impeditè ac vitiosè incedunt, impotentes ambulando dicimus eſſe; idē de reliquis eſt ſentiendum. Similis diſtinctio eſt eius etiam potentiæ, quam patientibus corporibus adſcribimus, nempe vt quędam dicantur impatientia, quia omnino aliquid pati nequeant; vt ſi quis neget in aqua ineſſe potentiā, vt poſſit comburi. Alia eſt impotentia, qua non facile aliquid obnoxium ſit ſecundum naturā mouenti; vt cibum impotentē dicimus, quia nō facile poſſit coqui, & potentē, quia facile poſſit concoqui, quā potentiam ratione paſſionis in rebus patibilib. ineſſe nemo neſcit. Adſcribitur etiā potentia nonnunq̃ rebus, nō ꝙ vim habeant aliquā ad mouendū, vel efficiendum aliud quippiam; verū hac ratione tantū, qua nimirū ſunt reſpectu efficientium ſeu mouentiū ἀπαθῆ quędam corpora; vt verbi gratia, potentiā naturalem adſcribimus his rebus ꝑꝑ accidentia quædā, quorū cauſa accidentiū non pati motionē aliquā, aut ægrè aut difficulter affici poſſe

dicuntur; vt verbi gratia, ſi quid durum eſſe dicatur, aut ἄκαυστον vel ἄθλαστον, vel ἀκάμπτον, & ſi quæ ſunt his ſimilia. Propter oppoſitas enim qualitates impotentia rebus naturalibus adſcribitur, propterea ꝙ per eas ſint mobiles & patibiles: quorum naturas & πάθη Ariſtoteles in 4. lib. meteor. explanat, eorumq́; cauſas & differentias doctiſſimè exponit. Præterea conſiderandum etiã quod in propoſitionibus determinatis potentia quadam, ita ſunt falſę, vt etiam ſint impoſſibiles, & contrariæ ſint ex neceſſitate veræ; vt falſa hæc eſt, Aqua poteſt comburi, non tantùm falſa eſt, ſed etiam impoſſibilis falſa, & eius oppoſita negatio, qua dicitur aqua non poteſt comburi, ex neceſſitate vera eſt. Aliæ ſunt quæ duntaxat falſæ exiſtunt, ſed non etiam impoſſibiles; vt verbi gratia, ſi falſa ſit hæc, Aqua eſt calida, non tamen impoſſibilis eſt falſa, propterea ꝙ propoſitio hæc potentię cauſa nihilominus vera exiſtit: quamuis enim actu non ſit calida, & falſa ſit hac ratione dicere ipſam calidam eſſe, nihilominus verè dicitur, quòd poſſit eſſe calida: & eius oppoſita negatio quamuis vera ſit, tamen ex neceſſitate non eſt vera. Poſtremò admo-

admonendi ſunt lectores de alia quadam differentia potentiarum & impotentiarũ, quòd videlicet quædã rerum ſubiectarum propriæ ſunt, & inſeparabiles ab ipſis, & quæ in eodem ſunt prædicamento, in quo ipſa ſubiecta: aliæ verò ſunt, quæ inſunt vt accidentia, & qualitates quædam, non excludentes potentiam contradictionis, qua poſſe aliquid eſſe, & poſſe non eſſe dicitur. Potentia ſignificari ἀπάθειαν quandã, item impotentiæ vocabulo declarari quandam ἐμπάθειαν, ſuprà monuimus. De his potentijs & impotentijs, quæ propriè inſunt rebus naturalibus & inſeparabiliter, ſcribit Ariſtoteles lib. 4. meteor. declarans harũ naturam ſubiectorum, in quibus inſint, vt propria πάθη. Quæ verò accidunt rebus, tanquam qualitates quædam, continentur ſecundo genere qualitatum, quas Ariſtoteles appellat potentias & impotentias naturales, easq́; definiens, ſcribit eſſe qualitates quaſdam in rebus naturalibus, quibus facile poſſint quippiam efficere: non quòd diatheſi quadam hanc facultatem efficiendi in ſe habeant, ſed quod natura ſit cauſa huius facultatis & potentiæ, cuius tamẽ potentiæ perfectrix qualitas, diatheſis ap-

pellari consueuit: vt si quis natura aptus natus sit, vt citharœdus facilè fieri possit, aut vim naturalem hanc in se habeat, vt currere velociter possit, aut vires habeat ad luctandum, & ad athleticam artem percipiendam habilis & idoneus, aut ingenio tali sit præditus, vt poëta vel grammaticus esse possit. Quoniã omnes habilitates ꝓ naturalibus potentijs numerantur, & qualitates oppositæ numerantur pro impotentijs naturalibus, vt quibus aptus natus aliquis nõ sit, vt efficere aliquid, aut cõsequi diathesin quandam valeat. Simili modo quoq; appellamus ὑγιεινοὺς seu salubri corpore prẹditos, qui sanitatem diu retinent, aut eam facile recuperant; sed νοσώδεις dicuntur propter impotentiam, qui sanitatẽ tueri diutius nequeunt, & amissam difficulter recuperant. Aliud autem esse diathesin, qualitatẽ sc. primi generis, ex eo manifestũ est, ꝙ videlicet diathesis significat perfectionẽ quandam. Sed naturalis facultas, seu potentia naturalis, nec non etiam impotentia significant subiectum diatheseως, ꝑ habilitatẽ subiecti, quoad ipsum subiectũ causa qualitatis secundi generis, potẽs & impotens dici cõsueuit. Significatur autẽ vocabulo diathe-

ξεως perfectio quædam ſub ratione totius, quod totum partibus quibuſdã ſit conſtitutum; qualem perfectionẽ ſcribit Ariſt. lib. 5. metaph. rebus ineſſe aut ratione ordinis, q ordo propter diuerſitatẽ locorum rebus adſcribitur, aut ratione ſpeciei; vt ſi quid perfectũ ſuis gradibus eſſe dicitur reſpectu boni, qualis diatheſis ſanitas dicit͛, aut virtus ſuis quibuſdam gradibus, tanq̃ partib⁹ perfectæ qualitatis: aut ratione δυνάμεως ſeu materię, cùm δύναμις propriè adſcribatur materiæ, qua res deterius ſeſe habere poteſt, vt quędam ſit etiã diatheſis in rebus propter materiã, qua aut perfectæ bonitatis expertes, & mali perfecti participes eſſe dicuntur; qualis diatheſis eſt morbus, item vitium animi, quę ambo etiam ſuis gradib. tanq̃ partibus perfectũ quiddam exiſtunt. Nemo enim (vt Satyricus inquit) repentè fuit turpiſſimus, ita nec repente quiſpiam bonus eſt factus aut optimus. Paulatim enim diatheſes ſuis quibuſdam gradibus creſcunt, ſed de diatheſi (quoad partium cauſa rebus ineſt) ſatis in præſentia dictum. Altera ſpecies huius ſecundi generis qualitatis eſt, qua res naturalis non ſit prædita efficacia aut inefficacia quadã, ſed qua

ſit ἀπαθείας cuiuſdam particeps, propter quam non facile poſſit moueri aut pati quippiam. Contra autem impotentiæ dicuntur eſſe, quæ facile pati aliquid & affici poſſunt: vt durum ſeu durities potentia eſſe dicitur, quapropter qualitatem hanc nõ facile patitur quippiam: mollities autem eſt, propter quam perpeſſioni ſeu motioni quippiam eſt obnoxium. Simili modo inflexibilis ramus dicitur, non quòd omnino flecti non poſſit, ſed quòd non facile: idem ramus quando virgulti recens enati ſpeciẽ habuerit, impotentiam hanc in ſe habebit, qua flexibilis dicatur eſſe. Potentiæ & impotentiæ tales pro accidentibus, i. qualitatibus numerantur, quæ non propriè & inſeparabiliter ſubiectis inſunt; quas proprias ſuprà oſtendimus in eodem prædicamento eſſe, (vt alias ſolent omnia propria πάθη) in quo prædicamento ſunt ipſorum ſubiecta. Durities enim alia eſt in lapide, quæ permutari nequit mollitia, & alia in cera & metallo, quæ poſſunt molleſcere & permutari contraria qualitate. Inſeparabilis autem durities hæc in multis eſt ſpecie differentibus, quorum tamen omnium ſubiecti ratione nomine vno deſtituitur.

Simili

Simili quoq; modo ἄκαυςα multa ſunt, ſimiliter ſpecie differentia, quorum tamen καθόλȣ ſubiectum nomine caret, & eſt ἀνώνυμον, quorum mentionem facit Ariſtoteles in poſt. Analyt. vbi oſtendit, quot modis in deſcriptione καθόλȣ prædicati hallucinemur, è quibus præſens hic tertius eſt modus, quo τὸ καθόλȣ ἀνώνυμον eſſe dicitur. Quod diximus de potentia, idem ſentiendum eſt de impotentia huius generis qualitatis, qua etiã accidentia poſſunt ineſſe & non ineſſe ſubiecto. Definiuntur his qualitatibus elementa quoque, quatenus videlicet horum cauſa eſt natura elementorum, quæ conſtituendis rebus naturalibus & mixtis materiæ conditionem ſuſtinent. Definitur autem calor ignis aut elementi, quòd dicitur potentia eſſe, qua ignis ὁμόφυλα congregent & commiſceant. Deinde humida elementa definiuntur etiam impotentia quadam, qua nimirum facile alieno termino poſſint determinari. Sicca autem propter ἀπάθειαν potentia prædita dicuntur, quòd videlicet non patiantur ſeſe determinari alieno termino, ſed quòd ſint ſuo proprio termino definita. Conſtat autem potentias illas & impotentias non

esse accidentia, sed proprietates elementorum, quibus nimirum quid sint, definiēdo intelliguntur. Qualitates autem illæ in rebus mixtis nonnunq̃ pro accidentibus numerantur, quando videlicet suis contrarijs fuerint permutabiles, de quo paulo antè dictũ fuit. Quatenus enim aqua potentia est humida & frigida, hac ratione qualitates ipsius permutari contrarijs nequeũt: sed quatenus actu frigida & humida est, hac videlicet (vt accidentia) permutari possunt suis contrarijs; siquidẽ cõglaciari & solidari, seu indurescere frigore, & ab igne aqua calefieri consueuit, qua ratione impotētia naturali prædita dicitur esse aqua. Præterea ignis non in aliena materia caliditatem habet, quæ propria ipsius sit inseparabilis, q calor potentia naturalis, vt in genere qualitatis, non existat, cùm proprium sit πάθος ipsius; qui tamen calor duplici ratione efficax seu potens & δυνατὸν quiddam dici potest, vno modo quo simpliciter efficax est, altero modo, quo id respectu cuius dicitur efficax in melius promouetur, nempe quatenus est μεταβλητικὸς ἐπὶ τὸ βέλτιον. Altero modo dicitur impotēs esse, quoad videlicet in deterius ꝓmouetur aliquid calore,

respe-

respectu cuius dicitur calefacere; vt si comburat aliquid, aut si ad melius non promoueat, quod ab ipso alteratur, vt si non concoquat elixãdo aut assando. Ignis aũt quatenus separat metalla, aut quatenus purius aut syncerius efficit aurũ, hac ratione dupliciter habere potentiã dicitur; vnam, qua simpliciter est efficax, & alterã, qua ꝓmouet in melius id, quod ab ipso patitur. Semper enim id impotentius esse dicitur, quod priuatione quadam bonitatis & melioris describitur. Quæ in hoc genere continentur qualitates, differentijs potentiæ & impotentiæ subijciũtur generi relationis, sub ratione fundamenti & termini, quo agẽtia & patientia inter se referri dicuntur. At verò tertium genus qualitatis, quo continentur patibiles qualitates, subijciuntur relationi tertij generis relatorum (quoad habent relationem fundamenti & termini) quæ dicuntur referri inter se, vt mensura & mensuratum. In tertio enim genere patibiles qualitates, non eò dicuntur patibiles, quòd secundũ eas res mobilis & alterabilis, neq; etiam quoad motus in his qualitatibus actu insint, neq; etiam quoad referuntur ad sensum, sed quoad denominationẽ

ſuam habent, vt abſolutæ qualitates à ſenſibus, quos afficiunt, vt quoad dicuntur tactiles, vel aſpectabiles, vel guſtabiles, reliquorum ſimilis eſt ratio. Nam quoad propter qualitates res ſunt potentia alterabiles, hac ratione continentur ſecundo genere qualitatis. Quoad verò actu motionem ſeu alterationem patiuntur, hac ratione in prædicamento ſunt paſſionis, vt docet Ariſtoteles in explicatione prædicamenti Qualitatis; & quoad non habẽt rationem fundamenti & termini , ſed menſuræ & menſurati, hac in prædicamento relationis reponuntur. Quare ſequitur, vt qualitates illæ tertij generis παθητικαὶ ſeu patibiles appellentur, quoad videlicet ab ipſis ſenſus afficiantur & patiantur, i. quoad alias nominari ſolent ſenſiles qualitates: quandoquidem qualitates has, vt menſuras denominare ſolemus à ſuis menſuratis, vt à ſenſu dicantur ſenſiles, & à patiente ſenſu patibiles qualitates. Non autem ſenſus quando afficiuntur ab his qualitatibus ſic afficiuntur, vt ea quæ propter qualitates has dicuntur alterari; quoniam paſſio hæc ſeu affectio ſenſuũ ſenſionis eſt cauſa, quæ ſicut Ariſtoteles docet in 2. lib. de Anima,

alte-

alteratio non eſt, ſed perfecta quædam ἐ-νέργεια; de quibus alio loco plenius diſſeritur, in præſentia autem pluribus explicanda non videntur eſſe. Quin etiam potentiarum illud diſcrimen eſt conſiderãdum, quòd videlicet quędam ſunt & dicuntur eſſentiales, nonnullæ autem tanquam accidentia quędam inſunt propria rebus naturalibus. Eſſentiales potentiæ inſunt rebus naturalibus, non vt accidentia propria, ſed vt πάθη propria. Quod autem ſit diſcrimen inter accidentia & πάθη propria, alijs locis expoſuimus. Cæterum potentiæ cuiuscunq; modi fuerint, inſunt rebus naturalibus quatenus ſunt compoſitum quiddam ex materia & forma, non autem ipſis naturis: vt materiæ aut formæ tanquam ſubiectis inſunt per ſe ſecundo modo, tametſi ipſis quoq; ineſſe potentias rectè dicamus, ſed per ſe quarto modo, vt per ſe ſignificẽt propter ipſas ſc. naturas ineſſe rebus naturalibus tales potentias. Inſunt autem propter naturas rebus naturalibus potentiæ, alias propter formam ipſam, alias verò propter materiam. Propter formam quidem potentiæ dicuntur ineſſe tum eſſentiales, tum accidẽtales, ſed propter ma-

teriam duntaxat impotentias rebus naturalibus adſcribimus; quæ vt planius intelligantur, exemplis quibuſdam declaranda erunt. In homine, verbi gratia, inſunt forma, vt anima, & materia nēpe corpus organicum: in compoſito ex vtriſq; ineſt potentia eſſentialis, propter quam homo dicitur logicū animal; & reſpectu animalis, hoc vocabulū ꝓ differētia vſurpatur, tametſi reſpectu ſubiecti, quod eſt compoſitū ex anima intelligēte & corpore organico, proprium ſeu eſſentiale πάθος poſſit etiam dici: ſiquidem genus & ſubiectū, non pro eodem ſunt habēda, quāuis analogia quadam ſimilia eſſe videntur. Quapropter λογικὸν, quoad ſignificat differētiam, propriū πάθος non erit hominis, ſed ſignificabit potentiam animæ denominando ipſum genus, quæ potentia pars eſt, vt animæ, ita quoq; formæ conſtituentis cū corpore organico eſſentiā humanæ ſubſtātiæ. Sed λογικὸν quoad ſignificat proprium πάθος hominis, potentiam declarat quandam, qua homo poſſit ex intelligibilibus potentia, facere actu intelligibilia, vt nimirū ſit & intelligatur eſſe potentia μεταβλητικὴ ἐν ἄλλῳ ἢ ἄλλο. Nam & animæ, i. formæ humanæ

manæ partes Ariſtoteles potentias (δυνάμεις) appellat, quas cum materia conſtituere hominem, & non eſſe propria πάθη hominis, nemo eſt qui ignoret. Quoad verò λογικὸν eſſentiale proprium ſignificat, hac ratione poſterius quiddã eſt compoſito, vt alias propria πάθη in ſua definitione ſuum ſubiectũ contineri dicũtur; à quo ſubiecto nec res ipſa nec ratione ſeparari poſſunt. Materiæ porrò cauſa, præter hanc potentiã eſſentialem, propagatur alia quędã potentia, quæ nimirũ proprium ſit accidens hominis, & potentia naturalis appellari conſueuit: gratia cuius homo capax diſciplinæ dicitur eſſe, quod propriũ accidens permutari poteſt cũ contraria impotẽtia, manente ſaluo & incorrupto ſubiecto. Aliquando etiam capax diſciplinę ſignificat proprium πάθος potentiæ eſſentialis, quod ipſum etiã vocabulo logici ſignificari oſtendimus ſuprà, qua ſignificatione πάθος hominis dicetur eſſe, & non propriũ accidens ſeu potentia quædã naturalis, cũ hac ratione impermutabile ſit cũ oppoſita impotentia. Nihilominus tamen huiuſmodi potentia & impotẽtia συνδυαζόμενα conſtituũt ipſa quoq; propriũ πάθος. Omne enim propriũ πάθος

de vno enunciabitur ſubiecto reciproce. Simili modo ſi quis enunciet de homine proprium eſſentiale, dicatque ipſum capacem eſſe diſciplinæ, vnum ſc. de vno duntaxat enunciabitur. Quando autem capax diſciplinæ ſignificat potentiam naturalē, tum ex oppoſitis compoſitū erit proprium quoddam πάθος, vt proprium πάθος eſt hominis compoſitum, vt vel capax diſciplinæ vel non capax, i. ſtupidus & ingenij expers, dicatur, quorum Græci vnum appellant ἀφυῆ, oppoſitum εὐφυῆ, indole ſc. quadam præditum. Ariſtoteles in modis per ſe lib. 2. Anal. poſt. huius duplicis proprij πάθους deſcriptionis mentionem facit, vt nimirū proprium πάθος omne, aut ſimplex, aut cōpoſitum eſſe manifeſtum ſit. Quo autem melius & planius differentiæ illę potentiarum intelligantur, alijs præterea exemplis id declarare aggrediar. Dicimus in oculo ineſſe potentiam hac ſignificatione, qua volumus intelligi potentia animæ informatum eſſe oculum. Deinde in ipſo oculo ſic informato liquet ineſſe potentiam eſſentialem, qua poſſit videre; quæ potentia neq; in forma, neq; in materia, ſed duntaxat in compoſito ex vtrisque oculo exiſtit,

tan-

tanquam proprium πάθος, quo perempto, ipſa quoq; ſubſtantia oculi ſit abolita. Supereſt tertia ſignificatio potentiæ, quã nos appellamus naturalem, & quæ diatheſi ſanitatis perficiatur. Potentia hæc naturalis permutari poteſt impotentia naturali, cuius impotentiæ perfectio eſt morbus, ſalua nihilominus & incorrupta exiſtente potentia oculi eſſentiali. Quod autẽ permutari poſſint, manifeſtum eſt, cùm videamus videndi facultatem cæcitate permutari: & rurſus reſtitui viſum poſſe cęcutientibus, notum eſt ipſa experientia, cùm tamen impotentia naturalis in integrum reſtitui nequeat, vt nec ſubſtantia ſi ſemel abolita fuerit. In rhabarbaro quoq; ineſt eſſentialis potentia purgandi, ita tamen vt propter materiã ſubijciatur potẽtiæ & impotentiæ naturali. Optima enim craſi ipſius exiſtente, potentia eſſentialis naturalem vim habet ad purgandum, ſin verò deteriori craſi rhabarbarum generetur, debilem aut nullam vim ſeu potentiam purgatricem obtinebit. Quod dicimus ferè omnium rerum naturalium notis potentijs & impotentijs, quibus efficacia aut inefficacia dicuntur eſſe, manifeſtum eſt. Vo-

luntas vt pars animę potentia ipſius eſſe dicitur. Deinde etiam voluntas, vt proprium πάθος, ineſſe homini conſtat, i. potentiam quandã, qua homo poſſit VELLE & NOLLE, quæ potentia per eſſentiam libera eſt ad oppoſitos actus. Sed propter potentiam & impotentiam naturalem nõ libera exiſtit, cùm determinetur quibuſdam cauſis ad vnam partem cõtradictionis; vt ſi à Spiritu ſancto vel gratia diuina determinetur ad bonum, alterius generis ſc. libertatẽ in ſe habet, de qua Chriſtus in euang. loquit: Si vos filius liberauerit, tum verè liberi eritis. Altera eſt impotentia quæ nobiſcum naſcitur, definiturq; peccato originis, qua mancipati, & peccatis obnoxij dicimur eſſe, quibus potentiis & impotentijs eſſentialis libertas voluntatis noſtræ (quoad cauſa contradictionis libera eſt, & non determinata) diſtinguitur à Theologis. Sed de his ſatis ſuperq; etiam in præſentia dictum eſſe opinor.

CAPITIS QVARTI ARgumentum.

De potentia & impotentia caloris in rebus naturalibus.

RELI-

RELIQVVM eſt vt exequamur ea, quę reſtant adhuc dicenda de potentia & impotentia caloris in rebus naturalibus, tam animatis, quàm anima carentibus. In primis autem duplicem rationem caloris diſtinguimus; vna eſt ſpecies caloris, quem cognatū & σύμφυτον in rebus animatis & naturalibus ineſſe dicimus, propter quem calorem res non dicuntur efficaces ad efficiendū vel mouendum quippiā, ſed potentes dicūtur eſſe propter ἀπάθειαν, quatenus nimirū non facile alterantur corrumpunturq; à cōtraria qualitate. Huiuſmodi corruptionē naturalem ſuprà oſtendimus appellari putredinē. Altera eius ſpecies, quę & ipſa eſt in rebus ſecundū naturam, ſed duntaxat animatis & vitam in ſe habentibus, q calor ἔμφυτος à phyſicis appellatur. Hoc calore corpus animatum vegetari, nutriri, & adoleſcere eſt neceſſe, & quo extincto vita ſolet morte permutari. A priore calore differt hic calor, non ſolùm ꝙ propter ipſum impatibile ſit à cōtrarijs cauſis corpus animatū, ſed etiam propter efficientiā, vt cuius inſtrumento anima ipſum corpus vegetando nutriendoq; conſeruet incolume & viuum, cuius in animalibus principatū ſta-

tuimus eſſe in corde ipſo: idemq́ue calor cum ſpiritu vitali vnà per arterias in vniuerſum diffunditur corpus, omnibusq́ue partibus facultatem vegetatricem, qua nutriantur, & qua ipſæ ſuam propriam vitam conſeruent, confert & largitur. Hunc calorem medici phyſiciq́; ἔμφυτον appellant. Huic calori potentiam adſcribimus huius efficientiæ, de qua modò dictum eſt, ſed alteri calori non patiendi aliquid, vel ægrè patiendi vim potentiamq́ue attribuimus. Efficientia omnis in patiente corpore motionem quandam excitat, quę motio compoſita eſt ex amiſſione vnius, & acquiſitione alterius. Motus enim reſpectu eius qui prius fuit, ἐκστατικὸν dicitur eſſe αἴτιον. Talis efficientia conſpicua in primis eſt in igne flagrante & in aliena materia ſubſiſtente, qui perpetuo exhalatione fumi ſui interitus eſt cauſa; idemq́; fomentum ſibi ipſi ſuggerens in materia à ſe inflammata, nihilominus perpetuo ſemetipſum reficit, & interitum ſui compenſat cum materiæ renaſcentis fomento ſibiipſi nutrimentū apparando, nempe exhalationem nouam creando in materia, quam depaſcit flammeo ſuo ardore. Huic igni perquam ſimi-

lis

is eſt ἔμφυτος calor, animalis, generans ſpiritum vitalem, & eundem diffundens in omnes partes corporis nutriendas. Is calor propter ſpiritum vitalem tenuiſſimum nobiliſſimumq́ue perpetuò exhalat extra corpus, difflaturq́;, eundem tamen calor ἔμφυτος in corde & arterijs nihilominus ſine intermiſſione reparat, generãdo ipſum è ſanguine puriſſimo, de quo alias dictum eſt. Veruntamen & cor & reliquæ partes omnes ſemetipſas nutricando reficiunt, viresq́; ſuas reparant caloris huius adminiculo, & quaſi inſtrumento, quo anima informans partes illas, tanquã effectrix cauſa vegetationis cum corpore ſuo (quod ſuprà αἰθερῶδες appellauimus) illam exercẽs efficientiam, quoad videlicet cauſa potentiæ μεταβλητικὸν αἴτιον ἐν ἄλλῳ ἢ ᾗ ἄλλο dicitur eſſe. Quo perſpicuum eſt animã cum ſuo corpore (quod αἰθερῶδες appellatur) in viuentibus exercere perpetuum motum illum, quo vegetari & viuere dicuntur animata, dum videlicet materiæ cauſa ſemper aliquid conſumitur & euaneſcit in partibus vegetandis, & ſemper aliquid renaſcitur, vt quod deceſſit, id cauſa materiæ ratione formæ & animæ reſarciatur, & in in-

tegrum denuo restituatur, vt scitè & eleganter dictum illud sit ab Hipp. τὴν ἀνθρώπου ψυχὴν ἀεὶ φύεσθαι. Quod ipsum non de anima ipsa, quæ nihil patitur, motionisque expers est, sed de calore illo, nempe qui dicitur ἔμφυτος istud intelligi potest, quia semper causa materiæ alius est, atque alius, sed propter formam animæ, quamdiu viuit animal denuo reficitur & restituitur in integrum. Qua declaratione nos τὸ φύεσθαι intelligimus & intelligendum etiam alijs proponimus. Vt autem in corpore animalis duplicem calorem inesse statuimus, vnum ἔμφυτον & alterum non vitalem & σύμφυτον, vt qui possit etiam esse in corporibus exanimatis, cùm vitalis ille humor naturali morte perimatur simul cum ipso calore vitali desinente, vt interim σύμφυτον humidum cum suo calore non aboleatur, quod probatione non indiget. vt ergo σύμφυτον calidum & humidum perdurat ex animatis corporibus posterius etiam, ita quoque prius ipsum generari oportet, quam ἔμφυτον calidum & humidum. σύμφυτον prius γένεσει existit; quamprimum autem materia embryonis ani-

animari cœperit, tum simul etiam in similaribus substantijs calidum & humidũ ἔμφυτον esse incipit, vt simul cum eo animal viuere incipiat, & perempto desinat viuere, quanquam violenta morte non simul & calidum ἔμφυτον extinguitur, necesse sit, vt etiam humidum ipsum desinat esse. Huius enim præsentia, quid differant senio confecta corpora ab adolescentioribus, sensu ipso euidens est & manifestum. Naturali verò morte simul calidum humidumque ἔμφυτον aboleri consueuerunt, vt nihilominus σύμφυτον calidum & humidum remaneant, etiam exanimato corpore.

Hactenus quid inter vtrumque intersit, exposuimus; nunc quale sit ἔμφυτον illud declarabimus.

Galenus calidum ἔμφυτον & humidum, quod primordium vitæ, & quasi consubstantialem quandam (respectu animalis) qualitatem ἀρχέγονον appellat; quod (vt alias docuimus) augeri & refici simili, aut etiam quantitate maiore potest; ratione autem qualitatis, quocunque gradu diminutum fuerit, irreparabile existit.

De caufis alio loco eſt diſputatum. Cùm autem ſit principale quodammodo inſtrumentum animæ,quo viuificat corpus,non immeritò dubitatur, vtrum vis quædam cœleſtis ipſius exiſtat, an verò ſit craſi quadam à plaſtica facultate determinata,& ab anima ipſa concretum quiddam quatuor elementorum mixtione. Nos vt alio quodam libro demonſtrauimus, pro cœleſti, aut quod inſtar quoddam habeat cœleſtis corporis, habendum eſſe negamus. Concretum autem ex elementis eſſe in primis iſtud declarat, quòd nimirum qualitatis & quantitatis gradus quoſdam habeat, qui ei non ineſſent, ſi cœleſti corpori analogia quadam reſponderet. Galenus autem & Ariſtoteles cum doctis omnibus phyſicis & medicis,ipſum ſubſtantię ſuæ ratione,ſcribũt eſſe αἰθερῶδες quoddã corpus, & quod tamen non facile à calore depaſcatur aut conſumatur, vt ob hanc cauſam videatur habere quandam ſoliditatẽ terræ & ſpiſſitudinem,quæ inſtar olei & lentorem & tenacitatem quandam habeat, & nõ quemadmodum aqua aut aquea corpora à calore conſumpta ocyus ſiccantur, & deſinunt eſſe,vt calorem fouendo durabilis materia

eſſe

esse nequeant. Quantum autem intersit, ut humiditas hæc optimo temperamento sit propter exuperantiam aërei elementi, declarant differentiæ ætatum & vitarum, quibus alia alijs viuaciora esse videmus, de quibus etiam differentijs Aristoteles copiosè & doctè in libello De longa & breui vita scribit: quas causa breuitatis commemorare nolo, si prius hoc vnum admonuero, omne corpus aut esse elementum aut ex elementis concretum, aut esse cœleste, aut habere quandam analogiam & similitudinem cum cœlesti corpore. Nunc deinceps quibus & quot causis calidum ἔμφυτον, nec non etiam calidũ σύμφυτον extinguatur & intereat, planum facere conabimur. Vtrumq; calidum, secundum naturam, i. εἱμαρμένως vno duntaxat modo corrumpitur & interit: etiam ἔμφυτον quidem calidum senescentibus corporibus aboletur deficiente, & quasi consumpto & exiccato humido naturali instar flammei ignis, qui extinguitur deficiente ipsius pabulo, quo fouebatur, quod Hippoc. ὑπέκκαυμα nominat. Plures autem sunt modi quibus calidum illud violenter interit. Nã aliquando suo proprio excremento intra

cor & arterias retento ſuffocatur, vt accidit in ſtrangulatis, aut quibusuis alijs cauitatum obſtructionibus, quibus ſpiratio impeditur. ἔμφυτος enim calor ſine perſpiratione & diſflatione aëris, durabilis non eſt. Ab excrementis enim ſuis proprijs oppreſſus, vt flammeus ignis extinguitur. Et hæc eſt cauſa violenti ipſius interitus, quem mors ex neceſſitate ſequitur. Altera cauſa eſt, ſi humidum ipſius alieno calore, vt febrili & hectico conſumitur. Perinde enim ſuo proprio humido ſpoliatur ἔμφυτον calidum, quemadmodũ flammeus ignis ocyus interit, quando priuatur ſuo quaſi nutrimento acceſſione alterius cuiuſdam ignis, qua ratione vnus ignis alterum dicitur corrumpere, quia videlicet humidum ipſius ſeu fomentum depaſcit, quod diu ſuffecturum erat, ſi ſoli priori igni conſumendum ſeſe exhibuiſſet. Quod dicimus manifeſtum eſt in hecticis febribus, quibus non minus conſumpto humido natiuo febrili calore ocyus conſeneſcunt corpora, quam alioqui ſenio conficiuntur, naturali decurſu ætatis conſumpta humiditate. Tertius eſt modus quo

peri

perit calidum ἔμφυτον per ſe,& non ſecundum accidens, vt prioribus duobus modis, nempe quando non ipſum humidum depaſcitur, ſed calor ἔμφυτος frigore non naturali extinguitur, qui modus alter eſt prę-ter naturam conſeneſcentis corporis, Maraſmusq́ue (autore Galeno) à frigore appellatur, quem Maraſmum Philippus Medicus ſolitus fuit appellare ſenectutem ante tempus. De his qui plura volet cognoſcere, legat Galenum in libello quem ſcripſit de Maraſmo. Tres autem ſunt modi, quibus ſecundum accidens calidum ἔμφυτον dicitur aboleri: Primus eſt naturalis, qui deſcribitur defectu naturali humidi natiui: alter eſt, qui deſcribitur ſuffocatione vaporoſi excrementi: tertius eſt, qui deſcribitur, quando febrili calore nempe hectico ſeu tabifico humidum natiuum ante tempus conſumitur. De his modis interitus partim Galenus in libro de Maraſm. nec non alijs quibuſdam locis & libris, partim Ariſtoteles in lib. de cauſa breuis & longæ vitę ſcriptum reliquerunt, quæ breuitatis cauſa in præſentia non commemoranda exiſtimaui. Reſtat vt deinceps de vi caloris diſſeramus, quoad

eo generantur & corrumpuntur res naturales, quatenus naturales, & non quoad animatæ existunt. Constat generandis & corrumpendis rebus efficacissimũ esse calorem, & quasi opificem & δημιουργὸν rerum naturalium, adeoq; omnem aut proprium aut naturalem dici, aut alienum & externum. Proprio & natiuo (qui σύμφυτος dicitur) res generantur, sed alieno & externo res naturales corrumpuntur, quæ corruptio duplex est, violenta sc. aut naturalis, quam Aristoteles 5. lib. phys. εἱμαρμένην appellat. Pertinet hæc generatio & corruptio duntaxat ad mixtè perfectè corpora naturalia, & non ad simplicia, i. elementa, quorum generationis & corruptionis modus differt à modo generationis & corruptionis mixtione generatarũ substantiarum. Etenim mixtæ substantiæ συγκρίσει τῶν ὁμοφύλων definiuntur. Sed elementa respectu mixtæ substantiæ dicuntur ὁμόφυλον quiddã fieri respectu caloris, secundum naturam habentis, qui calor συμφύσεως causa existit, ex multis vnam substantiam rei naturalis constituentis, & propter quam σύμφυσιν rebus naturalibus ἀπάθειαν inesse dicimus, de quibus alias dictum fuit.

Calor

Calor autem hic generans & producens res naturales duplex eſt: vnus perficiẽs quaſi concoquendo & alterando perfectam σύμφυσιν elementorum efficiens: alter autem calor eſt quaſi imperfectus, inchoatus &. & imperfecta alteratione quodammodo cruditatem, & vt Ariſtoteles appellat μόλυνσιν rebus naſcentibus concilians, & o res naturales non perfectam generationem habere dicuntur, quandoquidem nihil generetur ſine alterationib. elementorum, ſeu primarum qualitatum; quarum συγκρίσει conſtat ſubſtãtias naturales mixtas generari, quoniam terminus generationis omnis eſt forma ſubſtantialis, & nõ ſola κρᾶσις, vt quibuſdam videtur, quorum errorem alio quodam libro cõfutauimus. Deinde conſtat etiam vnius rei naturalis perfectæ generationis multos eſſe gradus, quaſi materierum ſpecie ſubſtantiali inter ſe differentium, quarum ſpecierum cauſa una ex alio generari dicatur, vſquedũ perventum ſit ad vltimæ ſubſtantiæ & perfectiſſimæ generationem, vt quamuis prioris ſpecies ſubſtantia aboleatur, nihilominus tamen craſis ipſius non aboleatur penitus externo quodam calore, ſed interno

& natiuo perficiatur; vt, si quid ex minus albo fiat albius, prior albedo non perimitur, sed perficitur accessione posterioris gradus. Qua ratione dicimus aliquid non fieri ex aliquo, sed post aliquid, quæ quomodo differant, vtrumque sc. suo generationis modo alias exposuimus. In hoc genere generabilium rerum posterior crasis perfectione differt à priore. Posterioris enim calor magis perficit, & tanquam concoquit rem nascituram, quam prior, vt materia crasεων priorum & posteriorum non nisi perfectione & imperfectione differant. At verò quæ sic sese habent, vt paulo antè diximus, posteriore prius non omnino corrumpitur, cùm aliud sit corrumpi & aliud perfici, tametsi species substantialis posterioris nasci nequeat non perempta priore specie; verbi gratia, vt de cibo generatur chylus, deinde chyli crasis à venoso genere perficitur, & pro forma chyli species sanguinis succedit, chyli quidem forma perempta, sed magis elaborata & perfecta, propter quam materia chyli formæ sanguinis subijciatur. Similis ratio valet, si è sanguine generetur caro, aut

si ex

ſi ex eodem generetur ſpermaticus humor, aut lac, aut ex ſpermatico humore generetur ſubſtantia, quam medici appellant ſpermaticam; quia videlicet materia ipſius ſit ſperma. Succeſſiones hæ craſeων & formarum ſuccedentium in generationibus quibuſdam, non tantùm ratione, ſed etiam ſenſu ipſo manifeſtiſſimæ ſunt; quæ gradibus ſcilicet caloris generantis ſubſtantias tales, diſtinguuntur, vt poſterior ſemper reſpectu prioris perfectior eſſe dicatur, & non per ſe differant. Craſis ſanguinis à craſi carnis, & craſis ſucci in arbore aliqua, qua folia aut fructus generantur. Fortaſſe dixerit quiſpiam, ſi craſes poſteriorum à priorum craſi non differant niſi perfectione, ea verò quæ diſcrepant perfectione & imperfectione, vt albius à minus albo, & ſalubrius à minus ſalubri, ex neceſſitate ſequi, vt prioris & poſterioris craſeos non ſit alia differentia, quàm ſecundum accidens differentia, qua differũt inter ſe ſecundum magis & minus, quorum nihilominus vna eadẽq; ſpecies exiſtat. At verò nullo modo fieri poteſt, vt craſis ſanguinis & craſis chyli,

aut crasis carnis eandem speciem substantialem obtineant, aut eandem specie crasin constituentem vernaculam καὶ οἰκείαν harum generabilium rerum materiã, cum sua cuiq; formæ subsit subijciaturq; materia, & propria quædã crasis quæ specie differat à præcedentium aut subsequentium substantiarum crasi. Equidem haud negamus cuiusq; formę vernaculam materiam constitui propria cuiusque substantiæ crasi, & ob id tamen necesse non est, prioris substantiæ crasin aboleri omnino crasi posteriori, quemadmodum posteriore forma aboletur prior forma substãtialis, quoniam duo actus seu formæ substantiales in vna materia nullo modo inesse possunt. Veruntamen nihil impedit quo minus posterioris formæ crasis perficiens priorem crasin perficiat sub ratione potentiæ, quoad nimirum, quod perficitur respectu eius quod perficit, non actu sed potentia esse dicitur, vt nimirum prior crasis posterioris craseως sit quasi pars quædam totius mixtæ materię, quę subijcitur generationi plurium formarum sibi inuicem succedentiũ, ijsq; pluribus, posteriore semper priorem perficiente, vt materia vltima generandæ

rei

rei tandem conſtituatur, quoad videlicet poſterior ſine priore generationis progreſſum complere nequeat, & vt prior craſi poſteriore quaſi compleatur: & vt prior forma poſteriore forma aboleatur & deſinat eſſe. Quòd autem prior forma ſucceſſione poſterioris formæ penitus & omnino aboletur, in cauſa eſt quòd forma ſubſtantialis magis & minus non recipiat, partibusq; & gradibus ſit indiuidua, vt vbicunque ſit, tota ſit, aut nulla. Craſis autem qua generatur ſubſtantia in medio quaſi loco eſt inter formam ſubſtantialem & materiam primam, inſtar materię habens, quatenus perficitur, & inſtar formæ, quatenus perficit; quoniam generans & efficiēs cauſa ſine inſtrumento craſεως nullam mixti ſubſtantiam generare poteſt. Sua autem cuiq; & ꝓpria craſis ineſt ſubſtātiæ, & ei ex qua naſcitur aliquid, & ei ſubſtantiæ quæ naſcitur & generatur; vt, ſua craſis ineſt chylo, quæ nulli alij rei naturali poteſt ineſſe, denominationemq́; ſuā habet à chyli ſubſtantia, & ſua quoq; propria craſis ineſt ſanguini, quæ nulli alij rei poteſt ineſſe, & à ſolo ſanguine denominatur, & ſua quoq; οἰκεῖα ſeu vernacula craſis ineſt carni, quæ

nulli alij etiam ineſt præterquam carni, ſuamq; denominationem habet à ſola carne. Idem ſentiendum de cæteris omnibus. Craſis autem chyli contraria eſt craſi ſanguinis, & propter qualitates primas alterabilis eſt mutabiliſque in craſin ſanguineam, quemadmodum etiam ſpecies chyli ſeu forma mutabilis eſt in formam ſanguinis, &c. Quod diximus de chylo & ſanguine, idem intelligi debet etiam de mutatione ſanguinis in ſubſtantiam carnis. Motus enim ſeu alteratio non poteſt eſſe niſi inter contraria, & in generatione ſubſtantiarum: alterationem ſeu motum ſubſequitur mutatio, quę generatio aut corruptio ſolet appellari. Ex quo manifeſtum eſt, craſes proprias rerum naſcentium ſine contrarietate & ſine alteratione non poſſe inter ſe permutari: vt craſin chyli non poſſe permutari in craſin ſanguinis niſi alteratione quadam, qua efficiens materiam chyli calore quodam alteret, quo calore alteratus chylus pro craſi chyli aſciſcat craſin ſanguinis, non quòd calor iſte ſit tantùm frigore chyli, ſed quòd toti craſi chyli ſit oppoſitus. Calorem enim in præſen-

tia

tia appellamus præcipuam efficaciam & vim generantis & efficientis causæ, propterea quòd igneum elementum in generandis rebus, respectu reliquorum elementorum maximam vim & efficaciam habere censetur, qua ratione etiam quamlibet substantiam mixtam suo natiuo calore, id est, sua propria crasi & vernacula esse & subsistere dicimus. Itaque propter qualitates primas, vnaquæque crasis propria & substantialis dicitur esse alterabilis, qua alteratione (vt fit in omni motu) aliquid aboletur, & aliquid acquiritur. Quæ prior fuit crasis in chylo propter motionem & alterationem aboletur, & paulatim desinit esse. Crasis autem sanguinea paulatim incipit, & gradibus quibusdam alterando succrescit desitioni craseos ipsius chyli, quoniam ἠρέμησις perpetuò coniuncta est τῇ κινήσει, quarum illa posterioris substantiæ, nascentis scilicet crasis acquiritur paulatim, hac verò prior crasis paulatim & sensim deponitur, & hac ratione ἠρέμησις (sine qua motus nequit esse) dicitur συστατικὸν esse τῆς φύσεως nascentis rei, quemadmodum motus ἐκστατικὸν τῆς φύσεως dicitur esse,

eius quæ prius exiſtebat ratione ſuæ craſeos, & ſubſtantiæ prioris. Nam, vt Ariſtoteles demonſtrat li.9.phyſ. id quod mouetur aut alteratur, quamprimū moueri incipit, ſtatim aliquid eius habere ad quod, ſeu verſus quod motionem habere dicitur; vt verbi gratia, Nigrum albeſcens quum primum mouere incipit, amittit partem aliquam nigredinis, & partem albedinis primo adſciſcit, quamuis ſenſui manifeſtum non ſit. Et hoc modo ex neceſſitate ſimul iunctę ſunt κινήσεις & ἠρεμήσεις, qua ἠρεμήσει gradatim ac ſenſim accreſcit qualitas, qua prioris craſis in fine motus permutetur in craſin poſterioris ſubſtantiæ, & craſis chyli in craſin ſanguinis, & ſanguinis in craſin carnis. Et hac quidem ratione in alterationibus gradatim & minutatim quadam ἐπιδόσει prius à poſteriore perfici dicimus, non quòd contrarium ſit perficiens contrarij, cùm contrarium à contrario neceſſe ſit aboleri, ſed cùm contrarium aboletur prioris, poſterioris contrarij partes quaſi ſuccreſcendo augentur, vſquedum perfecta craſis cum forma ſubſtantiali poſterioris materiam primam informet, &c. Qua ratione volumus intelligi prius à poſteriore non

re non perimi omnino, ſed perfici potius. Perfectio hæc generatio appellanda eſt, quam ſc. adſcribimus magis ἠρεμήσει, & potius quàm κινήσει. Etenim vt generatio eſt συστοιχείᾳ τῆς ἠρεμήσεως, ita corruptio reponi debet in συστοιχείᾳ τῆς κινήσεως, quoniam κίνησις, quatenus ipſa eſt, vt Ariſtoteles inquit, ἐκστατικὸν τῆς φύσεως. Craſes autem ſubſtantiarum proprię & vernaculæ ſunt in eodem prædicamento, in quo ſunt res ipſæ quarum ſunt craſes, nempe in prędicamento Subſtantię. Et quamuis craſis chyli, & craſis ſanguinis ſint contrariæ inter ſe, craſis chyli tamen ſola eſt, propter quam è chylo poſſit generari ſanguis, nihilominus nomine vno deſtituuntur generis, quo alias pleraq; accidentium contraria complectimur, cùm extra genus nō poſſit eſſe contrariorum oppoſitio. Differunt etiam huiuſmodi contraria propria & conſubſtantialia, quòd videlicet non habent contrarias γενέσεις, i. quòd ſecundum γένεσιν tales craſes pro contrarijs non habentur, eo ſc. modo, quo dicimus aërem ex aqua fieri, & viciſſim aquam ex aëre generari. Quanquam enim craſis ſanguinis ſeu ſanguis generatur è chylo propter craſin

ipſius propriam, nihilominus tamen viciſ-ſim chylus non generatur ex ſanguine. Quæ viciſſitudo tamen in plerisque contrarijs eſt, quæ rebus inſunt tanquam accidentia quædam, & in prædicamento ſunt qualitatis, vt ſi dicamus, è docto fieri indoctum, & ex indocto viciſſim doctum, & ex aqua frigida fieri calidam, & viciſſim è calida effici frigidam. Præterea craſi vernaculæ & conſubſtantiali quodammodo contraria eſt alia craſis conſubſtantialis, vt verbi gratia, craſis ſanguinis craſi chyli eſt contraria. Sed cuique ſua dyſcraſia opponitur non contrariè, ſed priuatiuè, vt cuius dyſcraſię multę cauſæ eſſe poſſunt, cùm contrariarum craſeων propriarum vna duntaxat vnius cauſa exiſtat. Notum enim eſt, craſeωs chyli tantum vnicam eſſe cauſam generationis, nempe ventriculi ſubſtantiam, & craſeωs ſanguinis ſimiliter vna duntaxat eſt cauſa, nempe natura & ſubſtantia venoſi generis, corruptionis autem vtriusquę & interitus plures cauſæ efficientes poſſunt eſſe. Nec verò eſt, vt opinetur quiſpiam, nos craſes illas pro ſimpliciter & per ſe contrarijs habere aut numerare, cùm, vt ſubſtantia non eſt contra-

ria

ria ſubſtantiæ, ita nec vernacula ſeu propria craſis alteri contraria dici poteſt. Proinde contrarij vocabulum, cùm (autore Ariſtotele) in metaph. vſurpetur ſecundum prius & poſterius, quodammodo æquiuocè & principaliter contraria ſint, quæ definitione contrarij comprehenduntur, quæ ſunt extra hãc definitionem quodammodo, & ſecundum quid pro cõtrarijs numerantur, vt verbi gratia, aquam & ignẽ non ſimpliciter contraria eſſe dicimus, ſed ob id pro contrarijs habentur, quia qualitatibus contrarijs patiantur aut efficiant aliquid. Simili modo cauſa generationis & alterationis craſin chyli & craſin ſanguinis contrarias eſſe pronunciamus, ꝙ videlicet cõtrarijs qualitatũ alterationib. craſis chyli in ſubſtantia chyli, & craſis ſanguinis in ſubſtantia ſanguinis generetur. Dicuntur aũt alterationes iſtæ contrariæ, quia videlicet contraria ſunt, quæ maximè inter ſe diſtant, & quorũ vnum neceſſe ſit ex altero generari, vt craſin ſanguinis & ſanguinẽ ipſum è craſi chyli & chylo ipſo. Sine alterationibus aũt primarum qualitatũ cõſtat in rebus naturalib. nihil generari aut corrũpi, vt iã manifeſtũ ſit, alterationẽ qua generet

crasis chyli, alterationem qua generetur crasis sanguinis, hac ratione contrarias esse, quæ maximè sint inter se opposita. causa generationis sunt chylus & sanguis, cùm per se tanquam substantiæ nequaquã opponãtur aut contraria existant. Hactenus de calore innato, quo vnaquæq; res naturalis nascitur, i. de temperamento natiuo seu crasi, quantum prȩsens tractatio postulet, satis superq́; me dixisse existimo. Nunc deinceps calor externus, qua ratione corruptionis & interitus causa dicatur esse explanare aggrediemur. Multifariam corrumpuntur res & intereunt, quamuis vno duntaxat modo generentur. Loquimur de substantijs naturalibus, quoad generantur & corrumpuntur causa mixtionis elementorum, quorum qualitatibus primis modo & efficacia generantium causarum necesse est omnia generari, & postquam generata sunt, suis quibusdam causis & alterationibus interire & corrumpi, tametsi, vt suprà monuimus, de quibusdam dubium sit, vtrum generata possint etiam corrumpi. Non enim in vniuersum verum videtur esse, etiam omne quod generatum sit, id ipsum etiam corruptionis causis esse obno-

noxium. Quod autem corrumpantur & intereant ex elementis mixta corpora, atq; etiam ſimplicia corpora elementorum, antegreſſis primarum qualitatum alterationibus, tam manifeſtum eſt, quàm certum & exploratum eſt leuia ſurſum moueri, & grauia deorſum. Deinde conſtat etiam (autore Ariſtotele, lib. 5. phyſ.) generationem & corruptionem quandam ſimpliciter & ἁπλῶς dici, quales mutationes exiſtunt in genere ſubſtantiæ. Alias verò ſecundum quid exiſtere, mutationes ſeu generationes & corruptiones, vt ſi ſecundum qualitatem duntaxat aliquid mutetur, vt ſi ex calido fiat frigidum, aut ſi ex albo nigrum. Tres porro differentias craſeωn in mixtis corporib. diſtinguere nos oportet, i. quę certis alterationibus proueniũt in corporibus naturalibus. Vna eſt craſis propria cuiusque ſubſtantiæ, & ob id eam conſubſtantialem appellamus, qua abolita neceſſe ſit etiam corrumpi ipſam ſubſtantiam. Secundum genus craſeωn & diatheſis quibuſdam adſcribitur, qualis eſt in corporibus animatis ſanitas, & in corporibus inanimatis eidem proportione aliquid reſpondens, vt in metallis quaſi ſanitate quadam,

pura diſtinguimus ab impuris. Tertium genus eſt craſεως, quo definiuntur potentiæ & impotẽtiæ naturales, de quibus alias diximus. Duo hæc genera contrarijs ꝑmutari poſſunt ſalua & incolumi ſubſtantia, ipſiusq; ſubſtantiali temperamento. Denominantur autẽ omnes craſes, ſiue ſubſtantiales, ſiue accidentales fuerint, à ſuis proprijs ſubſtantijs, vt craſis hominis, craſis equi, canis, &c. Item ſanitas hominis, item equi, nec non etiam potentia naturalis denominatur ab homine vel ab equo. Quantum enim inter ſe ſubſtantię differunt, tanta etiã eſt harum craſεων ſeu temperamẽtorum differentia, neq; ſenſu, ſed duntaxat ratione & intelligentia tales craſes à nobis deprehenduntur, cùm primæ qualitates elementorum ſenſu à nobis percipiantur & non tantùm ratione. Senſilibus autem his qualitatibus primis certũ eſt omnes craſes cuiuſcunq; modi fuerint generari & corrũpi, & generari quidẽ, vno ſimpliciq; modo, ſed multifariã poſſe corrumpi, nemo eſt q inficias eat. Nam cui dubiũ ſit quin immoderato calore animalia & ſtirpes pereant, nec non etiã exuperante frigore, præterea etiã ſi immodicè humectentur aut ſiccent.

Sed

Sed illi omnes interitus ad vnã principalẽ causam referuntur, quando videlicet calidũ ἔμφυτον aut σύμφυτον alteratione contra naturam in corporibus viuentibus aut naturalibus perimãtur. Non immeritò tamẽ dubitet quispiã, an quemadmodũ quatuor dyscrasijs primarũ qualitatũ crasi secundũ naturã oppositis sanitas aut potentia naturalis permutetur suo contrario, i. morbo, aut impotẽtia naturali, i. ita quoq; ipsi crasi, quæ est vt diximus, ignota sensib. nostris, quãuis sit ratione cognita & explorata. Similis dyscrasia cõtraria sit opposita, quæ nõ mixtione primarũ qualitatum, sed priuatione quadam definiatur secundũ naturã craseως, quæ & ipsa explicari nequeat, vt sensus testimonio sit nota: sed perinde vt crasis ipsa naturalis, ita quoq; opposita dyscrasia, sola ratione apprehẽdatur. Et quidẽ videtur talis quædã ἀκρασία esse quæ neq; calore, neq; frigore, neq; humiditate, neq; siccitate definiatur, opposita esse cuiusque rei secundum naturam habenti crasi quæ insit ipsi subiecto tanquam diathesis, aut tanquam potẽtia naturalis. Nam talis crasis secunda quædam quasi qualitas existit ex primis nata qualitatibus pro eo, vt colo-

res aut ſapores dicuntur ſecundæ qualitates, cuius, vt ſecundarum aliarum qualitatum contrarium eſſe ſolet, & ſub eodem genere ſunt, quamuis nominibus & appellationibus deſtituātur, genus tale, & huius generis ſpecies. Quoniam, vt Ariſtoteles inquit, ſi vna ſpecies fuerit qualitas, neceſſe erit vt contrarium quoq; eius qualitas exiſtat. vt verbi gratia, ſi craſis epatis ſanitas ipſius ſit, vt explicari ea non poſſit, niſi ſubſtantiæ epatis denominatione, & ſanitas epatis ſit talis ſanitas, quæ non quauis συμμετρίᾳ quatuor primarum qualitatū, ſed ea duntaxat συμμετρίᾳ, quæ congruat epatis naturæ aut ſubſtantiæ, explicetur, cui dubium ſit, quin ei ſit oppoſita quædam & ἀνώνυμος itidem dyſcraſia, quam neq; caloris, neq; frigoris, neque humiditatis aut ſiccitatis intemperie queas exprimere, vt qualem ipſius ἀκρασίαν fortè quiſpiam nominare poſſit ἀτονίαν, aut vt vulgò medici ſolent, epaticum morbum, qui nullo magis remedio indigeat, quàm roborāte quodam ipſius relaxatas vires ob talem dyſcraſiam. Quin etiam craſi cerebri videtur opponi dyſcraſia, quæ primarum qualitatum exuperantia quadam definiri poſſit, qualis mihi

mihi videtur esse morbus caducus, qui cerebro inest ob innominatam quandã dyscrasiam cerebri ꝓpriæ crasi quasi oppositã, vt etiam hic morbus proprijs quibusdam & peculiaribus remedijs durabilis esse videatur, & non quibusdam qualitatis cuiusdam primæ exuperantia quadam corrigatur. Similis ratio morbi quoq; gallici videtur esse. Et cor ipsum marasmo videmus laborare, alias propter exuperantiam caloris, alias verò quòd immodicè sit refrigeratum. Tertia species etiam est marasmi, quem Galenus appellat συγκοπώδη, quo marasmo cor laborat, neq; caloris, neque frigoris affectione seu morbo, sed propria quadam dyscrasia, quæ sit opposita per se ipsius propriæ crasi. Horum sic habentium diatheseωn, vt species contrariæ explicari suis differentijs non possunt à nobis, ita quoque genus ipsum complectens contrarias has diatheses exprimi nomine quodã haud potest. Etenim in valde multis proprijs appellationibus rerum nominibus destituimur. Substantiali porrò crasi, vt crasi chyli sanguinis, crasis non hoc modo contraria existit, quo modo dictæ crases & dyscrasiæ sunt inter se oppositæ,

quoniam vt ſubſtantiæ, ita quoque craſes ſubſtantiales pro contrarijs haberi nequeant, niſi quoad pro contrarijs numeramus habitum & priuationem, quæ duo Ariſtoteles appellat in metaph. prima contraria, .i. inchoata quodammodo, ſed non perfecta & abſoluta. Contrarij enim vocabulū ſecundum prius & poſterius vſurpari iam antè monuimus. Perfectè autē & conſummatè contraria ſunt, quæ ſub eodē genere poſita, maximè à ſe diſtant, & ex eodē ſubiecto ſeſe mutuo expellūt. Hanc definitionem non quadrare craſi ſanguinis & craſi chyli, ipſum per ſe eſt manifeſtū. Non enim idem habent ſubiectū, quandoquidē accidentia non ſint, & viciſſim non poſſunt ſeſe profligare, tametſi priuatio craſeως ſanguinis, & ipſius formę ſanguinis, eſt in materia chyli, ob id neceſſe eſt, ſi ſanguis fiat è chylo, & ex nullo alio generetur, præterquam è chylo, cuius craſis & ſubſtantia permutabilis eſt, in craſin & ſubſtantiam ſanguinis, eo modo quo paulo antè à nobis fuit expoſitum. Præterea duplex modus corruptionis in mixtis corporibus eſt conſiderandus: vnus, quo aliquid dicitur ſim-

ſimpliciter corrumpi, vt cùm diſſoluitur mixtum in ſua elementa: alter modus eſt quo non ſimpliciter corrumpitur aliquid, ſed imperfectior ſubſtantia permutatur perfectiore, vt ſi è chylo fiat ſanguis, aut è ſanguine generetur caro, aut ſi, vt Galenus alibi ſcribit σῶρυ tranſeat in ſpem μίσυος, & miſy permutetur in chalcitida. Rectè vt de altero quoque genere corruptionis diſſeramus, quo non generatur perfectior ſubſtantia ex imperfectiore, ſed quo ſubſtãtia priuatur ſua forma, & ipſius eſſentiæ etiam permutatio fit, concretorum elementorum in elementa (è quibus ſubſtantia generata fuerat) diſſolutione. Huius corruptionis duas ſpecies ſcribit eſſe Ariſtoteles, vnam appellat violentam, & alteram naturalem ſeu εἱμαρμένην: vt autem mixta corpora naturalia principaliter conſtituuntur & generantur calore ipſis vernaculo, & proprio ſeu συμφύτῳ, ita corrumpuntur etiam præcipuè calore externo, qui aut violenter ea corrumpit, aut ſenſim. Et quemadmodum non ſubitò generari res naturales contingit, ita quoque naturaliter non ſubitò corrumpuntur, ſed quando periodum ſuæ eſſentiæ cõple-

uerint ſcilicet αἰῶνα ſuum, nempe duratio-nem à natura definitam, cùm, vt hiſtoricus quidam inquit, Omnia orta occidãt, & au-cta conſeneſcant, quorum conſeneſcentiũ perfectum & naturalem interitum putre-dinem appellamus. Violentarum autem corruptionum plures eſſe cauſas, non eſt vt hoc loco admoneam. Quæ deinde σύμ-φυτον calorem corrumpunt, aut frigus eſt externum, aut calor externus: nunc dein-ceps non de violentis, ſed naturalibus cor-ruptionibus verba faciemus. Naturalis corruptio eſt, quando calore natiuo extin-cto concreta elementa rurſus diſſoluũtur, & τῆς συμφύσεως vnitate deſtituuntur, quę συγκρίσει τῶν ὁμοφύλων deſcribitur. Corru-ptio autem facta putredine deſcribitur ex-terno calore ambientis extrinſecus, & σύμ-φυτον calorem, cum ſua natiua humiditate diſſoluentis, facientiſq; διάκρισιν & ſecre-tionem concretorum elementorum, qui-bus res naturalis prius coaluerat. Vtriusq; caloris definitione, σύμφυτος calor oppo-nitur externo calori putrefacienti, & σύγ-κρισις τῶν ὁμοφύλων elementorum oppo-nitur διακρίσει τῶν ἀλλοφύλων elementorũ, .i. ἄλλό τι φύεσθαι πεφυκότων. Et hæc qui-

dem

dem σύγκρισις & διάκρισις κατὰ φύσιν maximè ſunt contrariæ & inter ſe oppoſitæ. Nam licet externum frigus nonnunquam perimat & extinguat calidum σύμφυτον in rebus naturalibus, non ob id tamen facit ſeparationem aut ſecretionem concretorum elementorum, cum frigoris natura hæc ſit, vt faciat concretionem, & non ſecretionem τῶν ἀλλοφύλων, quod tamen efficit calor externus putrefaciens. Quare ſi quæritur, frigus ne externum magis ſit cõtrarium natiuo calido, an verò calor externus calorem natiuum perimens. Quamuis calor & frigus ſimpliciter videantur eſſe contraria, præſertim ſi calor natiuus eſſe dicatur, & frigus contra naturam ei ſit oppoſitum, nihilominus calor externus magis eſt oppoſitus natiuo calori, & magis contrarius, propterea quòd non ſolum natiuum calorem perimat, ſed etiam concretionem elementorum diſſoluat, quod frigus tamen externũ per ſe non facit, quamuis calidum natiuum perimat, aut ſi non omnino perimat, tamen infirmet & debilitet, vt quod prius erat minus diſſolubile in partes, propter frigus fiat diſſolubilius, & continuitatem partium facilius amittat.

Id experimur in carnibus, quas Galenus iuber ἑολίξειν, vt fiant, bene refrigerato & calore natiuo, magis debilitato, friabiliores, & hac ratione à ventriculo commodius conficiatur. Itaque calor putrefaciens, eo quo dictum nomine, magis contrarius est calido συμφύτῳ, id est, quod frigus ipsum, propter causam dictam, perinde vt negatio contrarij, magis contraria est, quàm affirmatio contrarij de aliquo eodem. Vt si prædicetur de homine, quòd sit bonus, affirmationi magis contraria est negatio boni, quàm affirmatio mali, quamuis affirmatio mali magis contraria videatur esse, si prædicetur de homine, quàm si prædicetur de ipso, non bonum esse, vt docet Aristoteles capit. vltimo lib. περὶ ἑρμηνείας. Simili modo calor externus, & non naturalis corrumpens internum & σύμφυτον rei calorem, magis contrariè oppositus est calori naturali, quàm frigus externum corrumpens & perimens natiuum & insitum calorem, propter causam paulo antè expositam. Putredo ergo est corruptio substantialis, opposita generationi substantiali, & ratione causæ, & ratio-

ratione effectus. Nam vt in generatione ſubſtantiæ calor σύμφυτος ex multis facit vnum, ita in corruptione putredinis, calor externus facit ex vno multa, diſſoluendo rem compoſitam in ſua elementa, exiſtens διάκρισις quædam, quemadmodum generatio eſt σύγκρισις quædam τῶν ὁμοφύλων. Non autem quælibet ſeparatio mixtorum in ſubſtantia naturali, putredine perficitur, ſed duntaxat ea, quando concretum ex elementis ſeparatur in elementa è quibus eſt conſtitutum. Sunt enim nonnullæ res naturales, non primò mixtæ ex elementis, ſed alijs quibuſdam corporibus mixtione elementorum generatis, vt lac ex butyro, ſero, & caſeo, quæ ſi ſeparantur in ſuas partes, ſeparatio hæc non fit per putredinem, quamuis nonniſi extincto natiuo calore lactis, id eſt, ſeparabilia hæc corpora exiſtant. At ſi butyrum corrumpatur naturali corruptione, aut ſi caſeus aut ſi ſerum ipſum non niſi putredine diſſolubilia erunt in elementa, è quibus ſunt concreta & generata. Deinde in confeſſo etiam eſt, extincto calore natiuo & proprio, quæ ſuperſunt elementa, nõ

nisi secundum accidens constituere vnum, quod ipsum etiam imperfectè mixtũ physici appellare solẽt, in quo imperfectè mixto externus calor vim suam exercet, vt quę hoc modo mixta sunt, separet, & elementa illa concreta, imperfecta mixtione, quasi in integrum restituat. E putridis enim quatenus sunt putrida, nihil generari potest, sed ex elementis quatenus sunt elementa, & miscentur sine putredine: hac ratione aliud quippiam, nempe mixti corporis substantia generari potest concoctione quadam interni caloris, vt concoctio opposita sit calori putredinis. Oritur hoc loco difficilis quæstio, an elementa quoq; putrescere possint. Videntur enim quòd non possint putrescere, quia videlicet non sint resolubilia in alia elementa, cùm duntaxat mixtis corporibus adscribatur corruptio putredinis, vt liquet ex paulo antè dictis. At putrescere quoq; ipsa elementa, autor est Aristoteles, qui scribit lib. 4. meteor. Omnia elementa posse obnoxia esse putredini, excepto igne. Ergo considerandum est, qua ratione & putrescere & non putrescere elementa sint dicenda. Quòd nõ putrescant, quatenus sint pura aut syncera, ipsum

ipſum per ſe manifeſtum eſt. Deinde quòd etiam non putreſcant, quatenus imperfe-cta mixtione commiſcentur, ex eo perſpicitur, quòd in hac mixtione nulla ineſt corruptio alicuius ſubſtantiæ. At verò nihil putreſcit, niſi ſubſtantia quædam perimatur, quæ prius fuit, & corrumpatur ſic, vt deſinat in diſſolutionem elementorum. Conſtat etiam quòd putredo non poſſit ineſſe imperfectè mixtis, ſcilicet in mixtis perfectè, & aliquo modo mixtis imperfectis, nimirum quatenus mixta imperfecta illa non poſſunt eſſe materia alicuius generationis ſubſtantiæ ex elementis mixtæ, &c. Alioqui enim ſimpliciter mixta imperfecta, poſſunt eſſe materia generationis mixtæ ſubſtantiæ & generatæ ex elementis, vt ſuccus qui radicibus attrahitur ſtirpium mixtum imperfectum eſt, ex quo exiſtit generatio partium ſtirpis atq; nutritio; qui ſuccus ſi putridus eſſet, hac imperfecta mixtione exiſtente, materia non poſſet eſſe vel generandarum vel nutriendarum & vegetandarum ſtirpium. Quo perſpicuum eſt ab Empedocle non rectè dictum fuiſſe, vinum nihil aliud eſſe, quàm in vite putrefactam aquã. Generationis enim ille mate-

riam censet esse per se aquam putridam generati vini, quod alienum à vero esse omnes intelligunt. Proinde imperfectè mixtis elementis generari substãtias mixtarum rerum naturalium συμφύτȣ caloris opificio, tam est manifestum, vt probatione nulla indigeat. σύμφυτος enim calor est instrumentum quo generantes causæ ex multis elementis efficiant vnam substantiam naturalem, cuius substantiæ forma si destituantur mixta imperfecta propter συμφύτȣ caloris priuationem, materia non possunt esse alicuius generandæ substantiæ naturalis. In mixtis autem imperfectis, in quibusdam putredo inesse dicitur, in nonnullis autem negamus esse putredinem. Putredinis autem vocabulum æquiuocè vsurpari, & tanquam πρὸς ἓν ad multa significata accommodari, respectu principalis cuiusdam iam nunc declarabimus.

Constat & terram vulgo dici putridam, & aquam, & aërem, quorum nihil tamen verè & propriè putridum posse dici liquet: quandoquidem horum nullum sit, quod ex elementis mixta substantia vna

τῇ συμφύσῃ possit appellari, quæ solùm secundum Aristotelem & propriè putredini obnoxia esse dicatur. Veruntamen quòd in his aliquid sit, quo nonnihil similia sunt propriè putridis: eo dicuntur putrida existere, vt apud Virgilium gleba dicitur in Georg. putris, quod videlicet facilè cõminuatur aratro, & friabilis existat quemadmodum alias sunt putrida. Et campum appellat putrem, quòd videlicet facile vngulis equorum cedat, cum putrida etiam alias facilè diuidentibus cedant: & comminuentibus non renitantur. Sed his & similibus, & non propriè vocabulo putredinis significatis omissis, primò quid principaliter & quasi secundum quid significet putredo, planum faciemus, pro eo vt significata hæc Aristoteles distinguit libro quarto meteor. Aristoteles scribit putredinem quoad est generale & commune quoddam vocabulum, oppositam esse & contrariam generationi, quæ generatio vt diuiditur in simplicem (quam vocat ipse ἁπλὸν) & secundum quid generationem, ita quoque opposita corruptio seu putredo diuiditur in simplicem & secundũ quid cor-

ruptionem. Secundum quid porro putredinem ſeu corruptionem appellat ipſe Ariſtoteles κατὰ μέρος putredinem ſeu ἰδίως σῆψιν. Suprà quoq; admonuimus, putredinem dici ab Ariſtotele naturalem corruptionem, quoad videlicet quædam eſt & dicitur violenta corruptio, quæ cuiuſmodi ſit alias expoſitum eſt. Naturalis corruptio, i. putredo opponitur naturali generationi, quarum quædam eſt ſimplex, & quędam ſecundũ quid dicitur generatio. Simplex generatio diſtinguitur duobus generibus generabilium. Nam & elementa ipſa ſunt & dicuntur ſimpliciter generabilia. Præterea quoq; ſubſtantiæ naturales, quæ mixtione elementorum generantur, inſtrumento patibilium qualitatum & caloris natiui, quo ex multis elementis aliquid vnum efficitur, ſubſtantiæ mixtæ obtinens appellationem. Hoc calore natiuo ſeu συμφύτῳ ἀπαθὲς quiddam mixta ſubſtãtia dicitur eſſe, quandoquidem ipſum ſemetipſum nihil poſſit alterare. Huic vernaculo calori, ſeu τῷ οἰκείῳ θερμῷ opponitur externus calor ambientis ſeu aeris ſeu aquæ, qui infirmando & reſoluendo internũ proprium calorem, id quod generatum fuit diſſol-

diſſoluit denuo in elemēta, è quibus mixtæ ſubſtantiæ generatæ fuerunt, ſiquidem patibiles fuerint huiuſmodi ſubſtantiæ, vt externi caloris efficaciæ ſint obnoxiæ, cùm non omnia vinci ſe & alterari patiantur ab externo ambientis corporis calore, de quibus ſuprà dictum fuit. Calor is externus ambientis internum calorem extinguendo & perimendo ſimul & humidum natiuum conſumit, & in halitum permutat, vt concretioni corporis ex elementis, nihil aliud ſuperſit, quàm terreſtres quædam reliquiæ, nempe fimus quidam & marcor & caries, quorum mentionem facit Ariſtoteles in prius allegato loco, vt in his perfecta putredo quaſi ſubſiſtere videatur & deſinere. Simili modo etiam mixta in quibus exuperat aqueum elementum in aquã corrumpi videntur: vt ſi vinum fugiens, & circumſtantis calore putreſcens, permutetur in vappam, quæ nihil aliud eſt, quàm putredine corruptum vinum. Quamuis alijs modis corrumpi poſſit etiam vinum, qui tamen pro violentis habentur: & hac ratione putredine nõ dicitur corrumpi vinum, vt ſi ex ipſo fiat acetum, aut ſi violento frigore permutetur in aquam. His enim

corruptionibus definitio putredinis non congruit. Hoc vero modo, quo iam expositum est, elementa neq; generantur simpliciter, neque etiam putrescunt, quandoquidem non sint concretum quiddam & generatum ex elementis, quamuis mixta quædã sint imperfecta, & propter mixtionem nullũ sit purum & simplicissimum, ꝓ eo vt per se & natura pura & simplicia elementa existunt. Nihilominus tamen putredine affici, & aliquo modo corrumpi dicuntur, vt quodammodo elementa non pro elementis debeant numerari. Quando enim simpliciter corrumpuntur, tum in se mutuo, & vicissim, instrumento primarum qualitatum permutantur, vt si ex aëre fiat aqua, aut aqua ex aëre, aut ex aëre ignis, quæ & ipsa ἁπλὴ γένεσις dici consueuit. Secundum quid autem generatio est, vt si permanentibus elementis qualitates tamen eædem nõ maneant, sed contrarijs permutentur. Opponitur simplici generationi elementorum simplex corruptio, quæ tamen corruptio, vt diximus, nõ debeat aut possit dici putredo. Alia est corruptio in elementis, quæ ipsis inest secundum partem, & ab Aristotele putredo κατὰ μέρος

μέρος appellatur, ſeu ἐκ μέρους σῆψις. Cuius putredinis hanc definitionem nos eſſe arbitramur, quæ propter obſcuritatem hactenus à nemine (quod ſciam) fuerit intellecta. Pro elementis habentur, quando & quatenus generationi ſubſtantiarum mixtarum tanquam materia quædam ſubijciuntur. Nam propter habilitatem hanc & potentiam, pro elementis numerantur, quandoquidem elementũ relatione quadam intelligatur, vt nimirum ſit pars, aut poſſit eſſe pars mixtę ex elementis ſubſtantiæ. Quamobrem ſi non poſſit eſſe pars, id eſt, id elemento accidat propter corruptionem quandam impedientem naturam ipſius, vt mixtam ſubſtantiam conſtituere nequeat, quod impedimentum in elementis Ariſtoteles appellat κατὰ μέρος σῆψιν. Nam vt ἁπλῶς σῆψις perimit mixtam ſubſtantiam, ita κατὰ μέρος σῆψις impedit elementa, vt non poſſit in ipſis aut ex ipſis generari quippiam. Etenim Ariſtoteles in putrido, quatenus putridum ſit, nihil generari ſcribit libro tertio De generatione animalium, ſed quatenus in aliquo inſit cõcoctio ſeu πέψις, ex eo generari quippiam affirmat. In elementis itaque

materiæ talis corruptio appellatur ſecundũ quid, aut aliqua ex parte putredo, quia videlicet non ipſa ſubſtantia elementi ſimpliciter corrumpatur, ſed eius qualitas elementaris à circumſtante corporis calore, quod ad generationem alicuius mixti ſit inutile elementũ, & quaſi ſterile & infœcundum. Hac definitione putredinis elementorum terram hãc putridam dicimus eſſe, in qua aut ex qua nihil poſſit generari, propter calorem circumſtantis corporis, vim elementarem ipſius infirmantis & quaſi priuantis. Tales ſunt multæ terrę infœcundæ & ſteriles, vt exempli cauſa de hac putredine terreni elementi nõ plura dicenda eſſe exiſtimẽ. Similis ratio habet etiam locũ in aqua putrida, quæ & ipſa ambientis aëris calore putreſcere dicitur, vt ſit inſalubris, infœcunda, vt neque in ipſa, neq; ex ipſa mixta quædam ſubſtantia generari queat. Haud longè ſecus aër quoq; putridus, propter exhalationes & vapores putridum ipſum & inſalubrem efficientibus, qualis etiam aër nonnunquam putridos morbos creare conſueuit, ac peſtiferas quaſdam febres, qualem aërem deſcribit Hipp. in Epidemijs in Granone fuiſſe calore &

re & humiditate non naturali corruptum, cuius corruptelam non tantùm homines malignis febribus affecti cenſerint, ſed etiam alia animalia & ſtirpes quoque, quæ ob talem aërem malè affectæ ſteriles & infrugiferæ fiunt. Hactenus quid eſſet putredo ex parte ſeu *κατὰ μέρος* apud Ariſtotelem expoſuimus: nunc reliqua etiã perſequar, quæ paulo abſurdius à quodã ſcripta eſſe videntur. Dicit autem *σῆψιν*, i. putredinem opponi generationi mixtarum ſubſtantiarum non vt *καθόλȣ*, ſed vt *κοινὸν* quoddam vocabulum. Etenim *καθόλȣ* vocabulum ex neceſſitate eſt vniuocum, & prædicatur reſpectu eorum quæ appellantur *καθ' ἕκαςα*. Commune autem ſeu *κοινὸν*, ſi ſit vocabulum, neceſſe non eſt vt ſit vniuocum, cùm poſſit etiam eſſe æquiuocum, vt in præſentia æquiuocum eſt. Nam putredo ſeu putridum, quatenus prædicatur de putridis ſeu putribus, quæ dicuntur *κατὰ μέρος* putrida, prædicari de vtriſque æquiuocè conſueuit, & non vniuocè, vt ob hanc rationem Ariſtoteles vocabulũ hoc non ſine cauſa *κοινὸν* eſſe dixerit, & nõ *καθόλȣ* vocabulum. *Κατὰ μέρος* enim putreſcentia non vt *καθ' ἕκαςα*, ſed vt *ἰδίως* ali-

quid ſignificans, comprehenditur vocabulo putredinis, quoad non vt καθόλȣ, ſed vt κοινὸν quoddam vocabulum vſurpatur. Sic etiam Ariſtoteles lib. 1. anal. poſt. Axioma illud: Omne totum maius eſt ſua parte, reſpectu Geometriæ & Arithmeticæ, à quib. vt principium demonſtrationis vſurpatur, κοινὸν dicit eſſe, & non καθόλȣ, & hac ratione ipſum vſurpari ἰδίως in vtraq; diſciplina. Quo perſpicitur ipſi τȣ̃ κοινȣ̃ vocabulo tanquam æquiuoco, opponi καθ' ἕκαστον ἴδιον, tanquam æquiuocatum. Huius enim axiomatis: Omne totum eſt maius ſua parte, τὰ πρῶτα δεκτικὰ ſunt duę quantitates, ſc. continua & diſcreta: & quantitas reſpectu illorum genus non poteſt dici, cùm diſcreta quantitas prior ſit natura, quantitate continua. Quæ autem ſic differunt, ſecundum prius & poſterius, horũ ſi quod eſt vocabulum cõmune, id pro genere haberi nequit. Quæ quamuis parerga in præſentia à me dici videantur, ob id tamen neq; ingrata, neq; inutilia ſpero ęquis lectoribus videbuntur eſſe. Proinde quod Ariſt. ſcribit, Omnia elemẽta excepto igne, poſſe putrida dici κατὰ μέρος, iſtud dictum hanc videtur habere interpretationem, ꝙ

vide-

videlicet à calore externo reliqua elementa possint contra naturã affici, & quodammodo fiant sterilia, quemadmodũ diximus modo. Sed igneum elementũ (volumus aũt intelligi ignem, non in aliena materia incensum, sed eum qui sit propriè elementũ, & οἰκεῖον principiũ) vt alia elementa vernacula & οἰκεῖα mixtorũ corporum, aliũ extra se ignẽ non habet, quo possit ipsius natura affici, vt inhabilis fiat ad generationẽ substantiarum ex elementis generatarũ, cùm reliqua tria elementa sint apta nata & habilia, vt à non vernaculo calore continẽtis corporis sic afficiantur, vt ex his aut in his nihil generari queat. Ob hãc ergo causam Arist. negat igneũ elementum obnoxium esse putredini, & præterea quamdiu vernaculus ignis in mixtis substantijs exuperat & stabilis manet, tantisper etiam putredine substantia talis non afficitur, vt propter ignem etiam, & non tantùm ignis ipse, putredinis non patiens esse corpus existimandum sit. Præter hanc κατὰ μέρος putredinem, quæ adscribitur elementis, alia quædam putredo etiã κατὰ μέρος, non tantùm in ipsis elementis, sed etiam in mixtis substantijs ex elementis cõcretis ab Arist. ꝓpo-

ſita nobis videtur eſſe, qualis nimirum eſt, quando putreſcentibus nonnullis inſecta quædam & vermes, & aliæ nonnullæ beſtiolæ generari cernuntur. Nam talia multa è putreſcentibus generari perſpicuũ eſt, vt probatione nulla ſit opus. Quis enim non videt, in terra generari ſua ſponte vermes, quos vulgò appellant inteſtina terræ, & in æſtate ad hydrias aquarum in ſolo, vbi poſitæ ſunt, enaſci aſellos minutũ quoddam inſectum, quorum & in medica arte ſit vſus. Deinde in aqua etiam putreſcente & aëre putrido ſimilia quædam generari inſecta tam euidens eſt, vt qui neget, etiam ſenſus expers eſſe videatur. Deinde putreſcentibus cadaueribus & putreſcentibus ſtercoribus, quæ & qualis generatio ſit inſectorum notiſſimum eſt, vt etiam autore Virgilio in 4. Georg. Ariſteus amiſſas ſuas opes oraculo monitus cadaueri iuuenci putreſcẽtis reparauerit, & aluearia ſua impleuerit. At verò è putridis, quatenus ſunt putrida, impoſſibile eſt, vt aliquid generetur, quandoquidem putredo ſit διάκρισις quædam impediens σύμφυσιν & concretionem elementorum. Quamobrem alia quædam cauſa erit, vt è putreſcentib. talia

gene-

generentur, nempe quidam cœlestis calor instar habens seminis seu plasticæ facultatis è putrescẽtibus. Tertiò, σύγκρισιν quandam faciens τῶν ὁμοφύλων elementorum, quorum συμφύσει non tantùm similares partes, sed etiã organicæ efformentur intra putrescentia corpora, tanquam in vtero, in quo alias fœtus animalium formari solent. Qualium vt sua sponte nascentium, Aristoteles scribit esse αὐτόματον γένεσιν, cuius γενέσεως effectrix causa existat influentia & vis cœlestis corporis, quod viuificum esse inter philosophos constat. Itaq; manifestum est, in putrescentibus nonnunquam esse quandam viuificam ἀπόκρισιν, quæ vim habeat & facultatem plasticæ facultatis, quam Aristoteles his verbis in 4. meteor. expressit: καὶ ζῷα ἐγγίνεται τοῖς σηπομένοις διὰ τὴν ἀποκρινομένην θερμότητα φυσικὴν οὖσαν, συνιστάναι τὰ ἐκκριθέντα. Qui plenius ista cognoscere volet & vberius, legat 3. lib. De generatione animal. Aristotelis, non procul à fine libri; illic enim planissimè explicat, quæ sit, & qualis sponte nascentium & stirpium & animalium naturæ, quæ in præsentia, ne sim longior, adscribere in librum meum nolui. Idem Ari-

ſtoteles in prius allegato libro meteor. in putreſcentibus hoc modo ſeparationẽ ſeu χωρισμὸν ineſſe oſtendit putreſcentis & inutilis materiæ, & eius materiæ, cuius concretione φύσις & natura quædã mixti corporis generatur, vt hac ratione corruptio putrida vnà cum generatione coniuncta eſſe videatur, vt ex parte quadã totũ ipſum corruptioni obnoxium & ex alia parte generationis cuiuſdam materia & principiũ exiſtat, id ipſum etiam quale ſit, quando cibi in ventriculo concoquuntur, manifeſtũ eſt. Eius enim concoctionis pars putrida tanquam reliquiæ ciborum inutiles excernuntur. Pars autem altera ſpeciem chyli, nempe naturalis corporis aſciſcit, ex quo deinde ſanguis, & ex ſanguine reliquę partes nutriuntur, dum ſubſtantijs illarũ partium ſanguis aſſimilatur. Quo manifeſtũ eſt, putredinem omnem talem, aut præcedere naturam generandæ rei, aut ſubſequi materiam generatę rei, vt omnino inſeparabilis ſit talis putredo ab eſſentia & ſubſtantia rerũ, eam ſc. aut pręcedens aut conſequens, & hoc eſt quod Ariſtoteles dicit τὰ σηπόμενα χωρίζεσθαι τῆς φύσεως, cum χωρισμὸς omnino reſpectu alterius intelligatur.

tur. Liquet etiam ex dictis, quædam ὅλως, nonnulla autem κατὰ μέρος σηπόμενα appellari. De hac ſeparatione partim putreſcentium, & partim coaleſcentium in ſpeciem alicuius naturalis ſubſtantiæ, quia alias diximus, nunc plura dicere ſuperſedebimus. Nunc deinceps in pauca conferemus, & quaſi ἀνακεφαλαιώσει colligemus, quæ ſuperius copioſius & fuſius fuerunt diſputata, cùm propter hanc cauſam, vt noſtra ſententia rectius & plenius intelligatur, tum vt qui ſecus ſentiunt, quàm aberrent à vero, & inconſentanea ſcribant, Ariſtotelis ſententiæ, in meteoris manifeſtius fiat. Ariſtoteles vocabulo putredinis, tanquam æquiuoco, duas vult intelligi corruptiones, vnam qua ſimpliciter & ex toto ſeu ὅλως ſubſtantia naturalis corrumpatur, & alteram, qua nõ ex toto, ſed ratione partis quippiam corrumpatur, quã corruptionem ſeu putredinem ipſe appellat κατὰ μέρος putredinem. Hæ duæ putredines non opponuntur (vt ſuprà oſtendimus) tanquã genus & ſpecies, ſed tanquam totũ & pars. Ac primum quæ ſit ex toto putredo planum faciemus. Ex toto putredo opponitur generationi mixtæ ſubſtantiæ ex elemẽtis,

qua dicitur aliquid eſſe ſimpliciter vnum. Nam quid ſit ſimpliciter generari, ſuprà expoſuimus. Et ἔμφυτον quidem inſitũ eſſe animatis corporibus, σύμφυτον autem calorem in omnibus mixtis naturalibus cor-oporibus, quatenus ſunt naturalia, ineſſe oſtendimus. Præterea conſtat etiam ſubſtantias omnes ex elementis mixtis aut animatas eſſe, aut inanimatas, quas omnes ſimpliciter generari dicimus, quod videlicet ſimplex generatio ei opponitur, qua ſecundum quid aliquid generari ſolet dici. Opponitur ergo ſimplici generationi, & ſecundum quid generatio, & animatę ſubſtantię corruptio, nec non etiam inanimatæ ſubſtantiæ. Quæritur hoc loco, cuinam ex his generationibus ſit maximè contraria corruptio ſimplici generationi? Reſpondemus: ſimplici generationi ſubſtantiæ non eſſe maximè contrariam ſecundũ quid generationem aut corruptionem, neque etiam corruptionem hanc, quæ accidit, quoad animata dicitur eſſe ſubſtantia, & habere ἔμφυτον calorem, ſed quoad ſit animata, & duntaxat naturalis ſubſtantia, & quoad prædita ſit tantùm συμφύτῳ calore, & non ἐμφύτῳ. Nam quòd corrumpitur

ἔμφυ-

ἔμφυτος calor corporis animati, hac ratione corpus naturale ſeu animatum non dicitur putreſcere, ſed pro viuo ipſum morti obnoxium eſſe dicitur, cùm idem non ſit mortuum eſſe & putridum. Etenim animata & viuentia duplicem in ſe calorem habent, ἔμφυτον ſc. & σύμφυτον: & ἔμφυτος non poteſt eſſe ſine eo, qui dicitur σύμφυτος; at σύμφυτος poteſt eſſe, vt non etiam ſit ἔμφυτος in corporibus inanimatis, & in corporibus animatis extincto calore vitali, qui ἔμφυτος dicitur, nihilominus σύμφυτος calor in ſimilaribus partibus non perimitur. Cuius caloris gratia res & ſubſtantię naturales mixtæ, non morti, ſed putredini ſubiectæ dicuntur eſſe ab Ariſtotele, ita vt omnia pariter animata & inanimata ſuo modo putredini poſſint eſſe obnoxia. Quo reſpiciens Ariſtoteles, corruptionem, quæ appellatur putredo ſeu σῆψις, ſcribit maximè cōtrariam eſſe, & quidem commune oppoſitum ſimplici generationi, tum animatorum, tum inanimatorum corporum. Etenim animatorum corporũ corruptio, quatenus ſunt animata, putredo dici non debet, ſed mors, qua ſolet vita permutari; & ob hanc cauſam com-

munis corruptionis nomẽ habere nequit: sed putredo, quæ ex ęquo accidit & animatis & inanimatis, vna & communis est, diciturq́ue corruptio ab Aristotele, & maximè contraria hoc nomine simplici generationi, quòd videlicet in simplici generatione calor σύμφυτος intra naturalem rem est, & pars substantiæ ipsius, quoad mixta existat. Calor autem putrefaciens externus quidam calor est, extrinsecus cõtinentis corporis. Item σύμφυτος calor ex multis elementis vnam constituit substantiam. Sed putrefaciens calor ex vno efficit multa dissoluendo scilicet in contraria elementa, ex quibus generata substantia constituta fuerat. Quo manifestum est, corruptionem hanc quæ putredo dicitur in primis & maximè oppositam esse generationi simplici, quæ & ipsa quodammodo naturalis dicitur esse, non simpliciter tamen (quoniam non constituit naturam aliquã putredo) sed quod quædam corruptio sit & dicatur violenta, de qua satis superq́ue suprà fuit dictum. Præterea manifestum est ex his quæ modo dicta sunt, propter ἔμφυτον calorem seu ratione caloris vitalis nihil posse putrescere, quando-

qui-

dem corruptio ipſius & interitus mors & non putredo ſit appellanda. Quibus autem modis calidum vitale aboleatur, ſatis copiosè aliàs expoſuimus, ex quo concludendum, neque cordis ſubſtantiam, quòd viua ſit, poſſe putreſcere, neque etiam ſpiritum ipſius vitalem, præterea nec ſanguinem, quoad continetur in venis, nec non etiam partes vllas ſimilares in vniuerſo corpore viuo, quoad vitali calore in ipſis diffuſa nutriuntur & vegetantur. Hoc autem calore extincto, quem σύμφυτον appellamus, tum demum poſſe mortuum corpus eiusque partes putreſcere liquet ex dictis ſuperius. At propter ἔμφυτον calorem & cor ipſum, & partes omnes ſimilares nutriri & viuere, nemo eſt qui in dubium vocet. Et ſuus quoque cordi eſt σύμφυτος calor, quemadmodum reliquis partibus ſimilaribus, ſed is σύμφυτος tam efficax non eſt per ſe ad corpus viuificandum, quæ efficacia adſcribitur principaliter cordi, quoad quaſi focus eſt (vt Galenus teſtatur) vitalis & ἐμφύτου caloris. Hoc autem maximè differunt inter ſe ἔμφυτος & σύμφυτος calores, quòd videlicet ἔμφυτος calor eſt ποιητικὸς ſeu μετα-

ϐλητικὸς, ſemper ſcilicet generando è ſanguine ſpiritum vitalem, quo ſeipſum, & vniuerſi corporis partes viuificat, quem calorem vitalem ſuprà demonſtrauimus ſimilem eſſe flammeo igni, vt qui ſemper tanquam ῥεῦμα quoddam generetur & euaneſcat, i. quòd eius eſſe ſemper ſit perpetua quædã generatio, vt hoc nomine ſemper fieri, & nunquam perfectè eſſe dicatur propter partes ipſius quæ cauſa tenuitatis & ſubtilitatis extra corpus perpetuò exhalant & difflantur. σύμφυτος autem calor eſt, propter quem ἀπάθειαν adſcribimus ſimilaribus partibus. Et vt calor ἔμφυτος nequaquam eſt μεταϐλητικὸς aut efficax ad conſeruandum aliud præterquam ſuum proprium corpus, in quo ineſt, & ꝙ ipſum conſeruat ſtabile ſua actione & paſſione quadam. Quam differentiam amborum calorum quidam ignorantes, incautius loquuntur de affectione putredinis, quam videlicet ſcribunt poſſe etiam ineſſe cordi ipſi, nec non ſpiritui vitali & ſanguini contento in venis & reliquis etiam partibus, quoad vita & vegetatione participent. At verò quamuis vt dixi, in animatis corporibus neq; putreſcãt, neq; putreſcere poſſint, nihil

nihil tamen impedit, quo minus à putredinis vaporibus contra naturam alterentur: quod ipſum manifeſtum eſt in putridis febribus, nec non etiam in febribus peſtiferis, quæ in primis cordi ipſi ſunt infeſtæ, & mortifera qualitate putrida, afficiẽdo cor, non autem putrefaciendo vitali calore ipſum priuant, mortemq́; conciliant. Miſceri autem putridos vapores, & cum ſpiritu vitali & cum ſanguine ipſo, probationẽ non requirit. Neq; enim eſt quiſquam tam imperitus medicus, qui iſtud euenire in putridis febribus negare auſit, & ob id tamen mixtio hæc cauſa non eſt, vt vel ſpiritus vitalis, vel ſanguis ipſe putreſcere ſit dicendus. Quadruplicem porro efficaciam ſeu μεταβλητικὴν δύναμιν calori dicimus ineſſe, duas ſc. ſecundum naturam efficaces, & duas quæ exiſtunt cauſa corruptionis in rebus naturalibus. Calor ſecundum naturam efficax partim eſt intra corpora animata, partim extra, generationis ſcilicet cauſa exiſtens plaſtica, tum animatorum, tum inanimatorum corporum. Intra corpus animatum efficax calor dicitur ἔμφυτος, qui aut eſt intra corpus animatum, & conſubſtantialis ei, vt is eſt, quo ſingulæ

partes ſimilares vegetatione & nutritione reficiuntur. Alter eſt itidem ἔμφυτος in ſolidis partibus quibuſdam exiſtens, quo nimirum generantur contenta intra eas, vt ventriculus contentum intra ſe chylum generat, & venæ contentum intra ſe chylum mutant in ſanguinis ſpeciem, & cor nec non etiam arteriæ contentum intra ſe ſanguinem mutãt in ſpiritũ vitalem. Contra verò naturam efficax calor & corrumpens ſubſtantias naturales, quidam violenter dicitur corrumpere, vt ignis cõburens: alter verò putrefaciendo dicitur corrumpere, quam efficaciam ad corrumpendum ambientibus corporib. extrinſecus adſcribere ſolemus. Sunt etiam in animatis nõnunquam internæ cauſæ, quibus vt contra naturã calefacientibus ἔμφυτον calidũ deſtruitur, qualis eſt in febribus (præſertim hecticis) febrilis calor maraſmo conficiẽs ipſum ἔμφυτον cordis calorem extinguendo. Ex quo concludendũ calorem omnem ſeu calidum, reſpectu φύσεως, quæ nimirũ forma eſt & ſubſtantia rei naturalis, aut ἐκστατικὸν, aut συστατικὸν appellari ab Ariſtotele. Etenim calidum ſecundum aut contra naturam (quatenus calidum) habet δύνα-

μιν

μιν μεταβλητικὴν, & aut conſtituit aut deſtruit naturam ſubiecti, quas mutationes Ariſt. appellat συνιστάναι τὴν φύσιν, & ἐξίστασθαι τῆς φύσεως: quę mutationes adſcribunt ſubſtantijs naturalibus, ꝙ propter calorem (q ipſis ineſt) κατὰ φύσιν earum ſubſtantiã conſtituentem dicantur naſci, & ꝓpter calorẽ deſtruentem, dicantur corrumpi aut putreſcere. Vocabulum aũt calidi æquiuocè vſurpari docet Galenus in quodã lib. De ſimplicibus medicamentis, nempe ꝓ ſynonymo, quatenus nimirũ ſignificat caliditatẽ ipſam; & pro paronymo ſeu denominatiuo, & vt grammatici vocant ꝓ concreto, quoad ſignificat ſubiectũ, in quo ineſt caliditas. Similis ſignificatio in vocabulo quoque Græco τοῦ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ, & reliquis primarũ qualitatum vocabulis ineſt. Propter ęquiuocationẽ ergo calidi, ſignificatio in præſentia eſt diſtinguenda, qñ videlicet dicimus ꝑ calidũ aliquid aut συνιστάναι aut ἐξίστασθαι τῆς φύσεως, vt intelligamꝰ quodnã ſit aut quale calidũ accidens inſit, an ſit aut conſubſtãtiale quoddã calidum elementũ, aut ſit igneũ, an verò duntaxat qualitas q̃dã ignei elemẽti. In cõfeſſo eſt calorẽ rei naturali ineſſe alias vt πάθος quoddã, alias ineſſe

ipsi τῇ φύσῃ, vt nimirùm causa ipsius existat forma substantialis, vt verbi gratia, calor inest aquæ, vt πάθος. Siquidem ipsa aqua τῇ φύσῃ frigida existat, sed calor cordis ἔμφυτος nec non etiam σύμφυτος cordi insunt φύσῃ, & consubstantialiter, vt permutari contrario incolumi substantia nequeant. Quapropter in rebus naturalibus ἔμφυτος calor, nec non etiam σύμφυτος natura dicuntur inesse substantijs, & nō κατὰ πάθος, q calor κατὰ πάθος permutari cōtrario potest; & accidens est, nēpe qualitas q̄dā & nequaquā ꝓ elemento igneo potest numerari, cùm accidēs non insit in subiecto, quemadmodum elementum igneum est in mixto corpore seu substantia mixta. Ex quo perspicitur calidum illud, quo res mixtæ naturales generantur & subsistunt, elementi ignei proprium esse, & quod cū elemento igneo substantijs mixtis inesse dicatur, quandoquidem caliditas & siccitas elementaris primò insit ignis substantiæ, & propter ignem reliquis etiam elementis mixtis substantijs. Elementum autem igneum, autore Aristotele, quartum est διάςημα, quod sese supra aëreum elementum efferens supremam oram occupauit mundi,

di, quod Hipp. in lib. De carne, & Anaxagoras etiam αἰθέρα appellauerunt. Sic Hippoc. ſcribit in prius allegato libro, confuſis à primordio rerum & mixtis omnibus elementis, ſecretione facta igneum elementū in ſupremum locū mundi penetraſſe, conſtituentem illic æthereum corpus. Ipſius autem reliquias quaſdam in reliquis elementis tanquam ſcintillas fuiſſe relictas, quibus ſubſtantia naturalis mixtione reliquorum elementorū generarentur, igneo elemēto principatum in his obtinēte propter efficaciam, quam habeāt in generandis conſeruandisq; ſubſtantijs mixtis, quæ generari ſine cæteris elementis nequeant. Aliud autem eſſe ignem in aliena materia, & aliud eſſe ignem, quatenus ſit elementum, non ſemel admonuimus. Quia verò calor igneus rebus naſcentibus cauſa materiæ adſcribitur (elementa enim ſunt quæ conſtituunt materiam naſcentis rei naturalis mixtæ) quid interſit inter ipſum & calorem, qui ratione formæ naturalib. mixtisq; corporibus attribuitur, hoc loco explicandum eſſe videtur. Calor hic, nempe qui propter formam ſubſtantialem rebus generatis ineſt, mixtione ipſa elementorum

φύσει καὶ τῷ λόγῳ prior, quamuis τῇ γενέσει sit posterior, & ipsa quoq; substantia generata, & κατ' ἐντελέχειαν, seu formalis calor (quia proprius est formæ) dici debet. Et is calor nequaquã est elementaris seu igneus calor, quo vt elemento substantiæ mixtæ nondum existentes generari consueuerunt. Siquidem talis calor est materiæ eius, qua generari dicitur aliquid: vt calor absinthij vel calamenthi, vel euphorbij κατ' ἐντελέχειαν sunt calores, quibus habent efficaciam ad calefaciendum corpus nostrum, nec sunt elemento igneo adscribendi calores illi, sed perfectæ ipsorum substantiæ, & qui calores ipsis insunt propter formã substantialem, vt illi mihi longè à vero aberrare videantur, qui tales mixtorum corporum caliditates pro igneis & elementaribus numerent. Calor autem elementaris inesse potest & misceri cum omnibus elementis reliquis beneficio & efficacia cœlestis corporis, quanquã quartum illud elementi corpus longissimo interuallo distet à terra: nec sine causa fabulantur poëtæ Prometheum clam suffuratũ ignem è cœlo in terras attulisse, quod viderent scilicet sine elemento igneo cœlum non posse efficax

ficax eſſe ad generandas ſubſtantias natu-
rales ex elementis mixtas. In perfectis au-
tem ſubſtantijs mixtione generatis, ſuus
proprius & vernaculus cuique vt calor, ita
quoq; ignis ineſt, ſine quo neq; naſci, neq;
ſubſiſtere queat ſubſtantia ipſa generata
mixtione elementorum. Hunc Ariſtoteles
calorem aliàs appellat οἰκεῖον θερμὸν, & aliàs
οἰκεῖον πῦρ: & 4. Meteor. quando cauſam
reddit propter quam magnitudine gran-
diora minus putreſcant quantitate mino-
ribus & exilioribus, id fieri dicit, quod
in maioribus inſit πλεῖον οἰκεῖον πῦρ. Qui-
bus omnibus liquet & perſpicitur, vocabu-
lo calidi hoc in loco non ſignificari quali-
tatem duntaxat quandã, aut qualitatem vt
accidens concretum cum ſubiecto quodã,
ſed propriam & conſubſtantialem igni, ſeu
ignei elementi qualitatẽ, cuius tam multi-
plex ſit differentia, quanta eſt differentia
ſubſtantiarum generatarum ex elementis,
quoad inter ſe ſpecie differunt. Innumera-
biles enim prope ſunt mixtionum gradus,
cũ ſua propria mixtione & ſuo ꝓprio igne
vnaquæq; res generabilis exiſtat. Tria por-
ro elemẽta cũ reſpectu ignei elementi, quo
dãmodo materiæ rationẽ obtineãt, quoad

videlicet determinabilia sunt ratione proportionis efficacia ignei elemẽti, ipse ignis tanquam formæ instar habebit, determinantis & definientis temperaturam reliquorum trium elementorum. Quo factũ est, vt Aristoteles tria reliqua elementa, sub ratione materiæ, ὁριζόμενον quiddam esse scribat, & ignem seu calorem determinantem nominat ὁρίζοντα seu ὁριστικὸν, quod videlicet ignis respectu reliquorum elementorum actuosissimus existat & efficaciss. ad generandas & conseruãdas res naturales. Quo manifestum est non modò calorem ἔμφυτον, sed etiam calorem σύμφυτον putredini non esse obnoxium per se, cùm per se putredini sit obnoxium, quod dissolubile est in elementa, nempe mixta ex elementis substantia: Ignis autem proprius cuiusque mixtæ substantiæ sit instar formæ & finis, sequitur vt hac ratione cuiusq; rei proprius ignis nõ sit compositum quiddam ex elementis, & qua non compositus est, hac ratione etiam non sit dissolubilis putredine, vt nihilominus abolitio ipsius (quæ fit externo calore, ipsum expellente) causa possit dici, vt tota σύγκρισις elementorum putredini obnoxia esse dicatur;

tur; quemadmodum idem calor ſi inſit in mixto, cauſa ſit vt totum mixtum non diſſoluatur in elementa, è quibus eſt concretum. Nam vt præſentia συμφύτȣ caloris, per ſe cauſa exiſtit vt corpus non putreſcat, ſic abſentia per accidens cauſa erit vt putredine quippiam diſſoluatur. Vt ſi præſentia gubernatoris per ſe cauſa eſt ſeruatę nauis, ita abſentia eius per accidens cauſa erit ſubmerſę nauis. Vel hoc modo poſſumus argumentari; Si per ſe cauſa eſt calidũ σύμφυτον vt generetur aliquid, & aliquid ſit, ſequitur vt frigus in oppoſitum in cauſa per ſe ſit corruptionis & putredinis; quo videlicet intelligamus in putreſcentibus, quoad putreſcant non ineſſe calidum σύμφυτον, ſed frigus ei oppoſitũ ineſſe, vt ipſum per ſe ἔμφυτον calidum neq; ſubiectum ſit putredinis, neque cauſa, niſi ſecundum accidẽs cauſam appellare voluerit quiſpiam. Quamobrem verum eſt, quod Ariſtoteles ſcribit, tria elementa, aut propter tria elementa, ſubſtantias naturales obnoxias & ſubiectas eſſe putredini, ignem autẽ ipſum ſi per ſe conſideretur, ſiue quoad ſuus cuiq; mixtæ ſubſtantiæ proprius ignis ineſt, putredinis eſſe expertem, quoad videlicet ca-

lidum eſt determinatio , & quaſi forma quædam putredini obnoxiorũ elementorum. Priuſquam autẽ putreſcat aliquid, σύμφυτος calor ambientis calore expellitur vnà cum proprio & natiuo humido exhalans, quo decedente, frigus natiuo calori contrarium in locũ ipſius ſuccedit, quo ſuccedente concrementũ elementorum diſſolubile externo calore efficit, qua diſſolutione putreſcere quippiam dicimus. In ſubſtantijs mixtis Ariſtoteles duas partes ineſſe ſcribit, nempe determinantem, quod appellat σύμφυτον aut οἰκεῖον θερμὸν ſeu πῦρ οἰκεῖον, & alteram partem nominat, determinatam ſeu ὁριζομένην, quod ipſum nihil aliud eſt, quàm σύγκριμα trium elementorum, quibus ineſt calidum σύμφυτον tanquam ὁριστικὸν & determinans elementum reliqua elementa; quæ tanquam materia ſuapte natura ſunt indefinita & indeterminata, contrarioq́ue calore, id eſt, ambientis corporis calore putrefaciente affici & alterari poſſunt, qua affectione imbutum σύγκριμα illud habilius fiat, vt corrumpatur in ipſo natiuus calor ſeu σύμφυτος: quem hac exuperantia externus calor, tanquam valentior vincit & extermi-

nat,

nat, mutando ipſum in aëreum elementum, quandoquidem σύμφυτος calor ignis ſit elementum, & cauſa materiæ ſuæ permutabilis ſit in aliud elementum. Etenim natiuum illud calidum non eſſe accidens, ſed ſubſtantiam quandam igneam, iam antea demonſtratum fuit, conſtituens ſcilicet οἰκεῖαν formæ ſubſtantialis materiam, quam Ariſtoteles aliquando appellat vltimam ſeu ἐσχάτην ὕλην, qua perempta, in mixto corpore ſimul neceſſe ſit etiam perimi formam ſubſtantialem. Quo manifeſtum etiam ſit, propriam & natiuam craſin, id eſt, σύμφυτον θερμὸν non eſſe ipſam formam ſubſtantialem ſubſtantiæ mixtæ, vt quibuſdam videtur. Nec ſi vernaculus ille ignis elementum quoddam exiſtat, ob id ſeparabilis erit à concremēto mixti corporis; alioqui forma etiam ſubſtantialis ſeparabilis eſſet à materia ſua, & craſi elementorum; quam tamen ἀχώριστον eſſe indubitatum ſit, cùm nulla forma naturalis ſine ſua materia ſubſiſtat. Materia aūt mixtorum corporum conſtituitur & generatur mixtorum elementorum certa quadā proportione temperato   inſiti caloris cōſtituente formam ſubſtantialē eſſentiāq;

ſeu ſubſtantiam mixti corporis. Quod ſi vernaculus ignis ſeparabilis eſſet à reliquo concremento mixtorum elementorũ, vna cum forma ſubſtantiali mixti corporis, ſequeretur, ſeparatum illud corpus quintam quandam eſſe eſſentiam, cùm tamen præter quatuor elemēta & cœleſte corpus nulla alia ſimplex corporea eſſentia poſſit eſſe. Quamobrem verum non eſt, quod Alchymiſtæ gloriantur de quintis eſſentijs quibuſdam à concremento elementorum artificio ſuo ſeparatis, cùm omne id quod ſeparant, ſit etiam conſtitutũ mixtione quatuor elementorum, ſubſtantiæ mixtæ naturam obtinēs, quanquam nonnulla ſunt, quæ putredini non ſint obnoxia propter exuperantiam & nobilitatem τȣ̃ οἰκείȣ πυρός. Quin etiam in viuentibus vitalis calor ſeu ἔμφυτος ſimili modo ſeparabilis nõ eſt à concremento reliquorum elemētorum, ſed ſuis etiam quibuſdam cauſis partim internis, partim externis extinguitur, & ſpiritus ipſe vitalis per vniuerſum corpus diffuſus, propter ſubtilitatem & tenuitatem ſuæ ſubſtantiæ ſemper naſcitur, ſemperq́; euaneſcens extra corpus ſeſe penetrans perit, & ſecundum Heraclitum, tanquam flam-

flammeus ignis, ἀεὶ γινόμενος & ἀεὶ ἀπολλόμενος, vt noſtrum viuere, propter vitalē ſpiritum non ſit conſtans eſſentia, ſed ſemper ſit in eo vt fiat & generetur. Et hæc hactenus de calido vtroq; & ἐμφύτῳ & συμφύτῳ, quibus cauſis eſſentia ipſorum permutetur interitu, dicta & expoſita ſatis planè perſpicueq; arbitror, nec non etiam quæ ſit putredinis conditio, quoad opponitur vt maximè contrarium ſimplici generationi, ratione τοῦ συμφύτου θερμοῦ. Nunc deinceps non de communi corruptione, quæ appellationem habet putredinis, ſed de particulari, quam Ariſtoteles appellat κατὰ μέρος putredinem, pauca quædam repetemus, cùm ſuperius copiosè ſatis ſint declarata. Opponit Ariſtoteles ſimplici generationi corruptionem prouenientem à putredine vt maximè contrario, & vt communiſſimè ei oppoſitam. Primum eſt cōſiderandum tria eſſe genera, ſc. ſimplicium generationū, quod ſimplex generatio opponitur κατά τι generationi. Primum genus, eſt quo generantur animata corpora. Secundum genus, eſt generationis mixtæ ſubſtantiæ expertis vitæ & animæ. Tertium, eſt quo vnum elementū ex alio, nem-

pe quo ipſa generantur viciſſim ex ſe ipſis, quãdoquidem ſimplicia ſint, & ex alijs generari nequeant. Putredine animata corpora non dicuntur corrumpi, cùm horum corruptio ſit mors (vt ſuprà probauimus) & nequaquam putredo. Quin etiam corruptio tertij generis putredo ſimpliciter nequit appellari propter cauſam paulo ante dictam, ꝙ videlicet elementa ex ſeſe viciſſim qualitatum primarũ alterationibus generẽtur. Itaq; corruptio putredinis ſecũdi generis ſimplici generationi oppoſita eſt. Putredo aũt communiſſima eſt, & vulgò notiſſima, & in primis propriè putredo conſueuit appellari, cui maximè cõueniat definitio putredinis ab Ariſtotele ꝓpoſita. Altera eſt putredo, quam opponit cõmuni huic & vndiquaq; perfectè ſimpliciterq; putredini, quam appellat ſecundum partem, aut ex parte putredinem, quã vt diſtingueret à communi prius expoſita putredine, ad eam ſignificandam ἰδίως vſurpari ſcribit vocabulum putredinis. Quo vocabulo ἰδίως in præſentia ſic dicitur, vt ſignificet non magis propriè putredinem dicendam aut habendam eſſe eam, quæ κατὰ μέρος adſcribatur rebus, quàm ea ſit quę ὅλως oppo-

poni-

ponitur ſimplici generationi; ſiquidem ὅλως & κατὰ μέρος ſint oppoſita inter ſe, & ὅλως ſignificet ſimpliciter putridũ, & proprie. κατὰ μέρος autem non proprie & ſimpliciter, ſed aliquo modo putreſcẽs aut putridum dicitur eſſe. Sic autem vocabulum ἰδίως vſurpatur ab Ariſtotele, cùm hoc in loco, tum in alijs etiam, vt ſignificet quendam ceu τρόπον, quo aliquid differat à cõmuni, quatenus communiter & ſimpliciter dicitur eſſe. Et in præſentia ἰδίως non ſignificat proprium quoddam accidens ſubiecti alicuius, pro eo vt proprium diſtinguitur à reliquis prædicabilibus. Apud Ariſtotelem alias etiã ſunt quædam κοινὰ, quoad κοινῶς conſiderantur, vt aduerbiũ κοινῶς ſignificet τρόπον quendam κοινότητος: vt cùm Ariſtoteles dicit materiam aut formã aut prædicamenta aut pronunciata, quæ vocãt dialectici axiomata, cõſiderari à metaphyſico κοινῶς; eadem verò conſiderari etiam ab inferioribus diſciplinis, vt à phyſico materiã & formã, à dialectico prædicamenta, à ſingulis diſciplinis ſua axiomata: ſed tamen quoad conſiderentur ab his talia communia non κοινῶς, ſed ἰδίως, i. modo quodã determinationem illorũ, & ad certas res

ſubiectas applicante, cognoſci & conſiderari, cùm tamen horum conſideratio, vt communiſſima, ita quoq; maximè propria ad metaphyſicum pertineat. Quod non intelligentes nonnulli recentiores, ſecundæ ſignificationis putredinẽ maximè propriam ab Ariſtotele dici opinantur, & impropriè putrida iſta dici, quæ cõmuni putredine, i. prioris ſignificatione putredinis pro corruptis habeantur, ſenſum Ariſtotelis totum falſa interpretatione peruertentes. Nunc quæ aut qualis putredo ſit hæc impropriè dicta, ſecundum partem ſc. quandam, & non ex toto, aut non ſimpliciter exiſtens putredo, paucis (cùm antea ſint etiam expoſita) declarabimus. Ex parte putredine corrumpi dicitur aliquid, non ſimpliciter & omnino putridum aut putreſcere, ſed aliquo modo, & determinatione quadam, qua particulare aliquid eſſe intelligatur, & non omnino propriè ſeu ὅλως putre. Nam quæ ſimpliciter putreſcunt, ſunt mixta perfecta; quæ autem ex parte putrida dicuntur eſſe, mixta duntaxat ſunt imperfecta, de quibus paulo plenius diſſeremus, ſi prius quid ſit ex toto putreſcere planum fecerimus. Hoc genere putre-

putredinis, forma ſubſtãtialis mixti omnino corrumpitur, vt quatenus putreſcit penitus ſit expers formæ ſubſtantialis perfectè mixtum conſtituentis. Neq; verò ex eo dicitur omnino & ex toto putreſcere, quod ſecundum quantitatem tota ſubſtãtia mixti putreſcendo corrumpatur; vt ſi pomum putreſcere dicatur, nõ ob id ex toto corrumpitur cauſa quantitatis, quia videlicet integrum & totum, ſed quia pars ipſius duntaxat corrũpatur, & ſic corrumpatur, vt forma ſubſtantialis in hac parte omnino perimatur & aboleatur, vt ea pars omnino formæ ſubſtantialis mixti ſit expers, imperfectè ſc. in putredine mixtis omnibus elementis. Neq; enim putreſcentia ex toto ſecundum quantitatem totam ſtatim & ſubitò corrumpuntur, ſed particulatim: quòd ferè omnia putreſcant, experientia eſt notum. Paulatim enim ſecundum quantitatem totũ putredine corrumpi conſueuit, quoniam, autore Ariſtotele, totum ſecundum quantitatem magis reſiſtit putredini propter multitudinem & exuperantiam natiui caloris. Contra verò partes totius quòd tanta vis caloris in ipſis non inſit, facilius putreſcunt, vt hac ratione

totum in quantitate necesse sit paulatim & minutatim putrescere. His quæ diximus facile quiuis intelligit, quid sit illud, quod Aristoteles dicit, mixta perfecta nõ ex parte, sed ex toto seu ὅλω putrescere. Alia porro sunt mixta imperfecta, quæ duntaxat ex parte, seu κατὰ μέρος putrida dicuntur esse. Mixta enim imp̃fecta ferè & propriè non dici possunt, quòd putrescãt, propterea quòd putredo sit corruptio substantiæ constitutæ mixtione elementorum, & illa forma substantiali, cùm mixta imperfecta careant, non verè putredine corrumpi dicũtur, cùm corruptio imperfectè mixtorum substantiam priorem non perimat: quoniã elementorum substantia si corrumpatur in mixto imperfectè, corruptio hæc non putredo, sed permutatio vnius elemẽti in substantiã alterius elementi dici debet. Sed quærat forsan quispiam, quonam tandem modo imperfectè mixta elemẽta putrescere dicamus, aut putredini obnoxia esse. Nam vt suprà dictũ est, & terram, & aquam, & aërẽ putredini obnoxia esse elementa constat: solusq; ignis ab Aristotele excipitur, qui neq; ex toto neq; ex parte, putredine afficiatur. De causa & modo in prę-
ceden-

cedentibus ſatis ſuperq; dictum fuit, vt in præſentia non repetenda eſſe videantur. Quod quæritur in præſentia, explicatione verborū Ariſt. quę ſunt in lib. 4. meteor explanare conabimur. verba Ariſtotelis ſic ſe habent, ὀ μὴν ἀλλὰ ἰδίως γε λέγεται σῆψις ἐπὶ τῶν κατὰ μέρος φθειρομένων, ὅταν χωρισθῇ τῆς φύσεως. Quicquid putredine ex parte corruptū eſſe dicitur, id cauſa elementi cuiuſdam dici putridū ſolet: quoniam omnę putridū aut terreum eſt, aut aqueū, aut aëreum propter exuperantiā ſc. elementi cuiuſdam in putreſcentib. Manet itaq; incorrupta ſubſtantia in talib. putridis ipſius elemēti, à quo habet ſuā denominationem, & nihilominus φύσις ſeu natura huius elemēti abolita in cauſa eſt, vt ipſum quoq; elementū quodammodo corruptū putredine dicatur eſſe: quoniā in omni putredine, reſpectu φύσεως cuiuſdā, corruptū & putridū aliquid dicitur eſſe; quæ φύσεως putredine aut dicitur corrumpi, aut ꝓpter putredinē poſterius dicitur generari; vt hac ratione Ariſt. nobis ꝓpoſuerit duplex genus putreſcentiū ex parte imperfectorū mixtorū ex elemētis. In primo genere incolumi ſubſtā tia, elementū, & ipſiꝰ incorrupta natura, ni-

hilominus ipſum putredine corrupta dicitur eſſe, quoad videlicet ſterilia ſint, vt ex ipſis aut in ipſis generari nihil queat. Non enim elementum fert, & hoc in ſe habet, vt ex ipſis aut in ipſis, non quatenus ſubſtantiæ ſunt, ſed quatenus elementa generari mixta perfecta queant. Quædam enim frigore quidem impediri ſolent, vt ex ipſis non generetur aliquid, quod tamen impedimentum elementorum naturam non perimit, quo minus fœcunda ſint ſi incaluerint, ſed ambientis calore omnino interdum aboleri conſueuit fœcunditas; vt ſunt nonnullæ infœcundæ terræ, & quaſi carioſæ, aut mixtione aquæ corruptæ, quędam vt in ipſis, & ex ipſis, pro eo vt fert natura, nihil poſſit generari. Quoniam, vt Ariſtoteles inquit, οὐδὲν σηπόμενον, ἀλλὰ πεπτόμενον γίνεται. Appellari autem in elementis habilitatem iſtam, qua ſunt apta nata, vt ex ipſis generentur mixta perfecta, φύσιν, autor eſt Ariſtoteles lib. δ. metaph. vbi vocabuli φύσεως tanquam æquiuoci, omnia ſignificata ipſius, qualia ſint declarat. In ſexta autem ſignificatione huius vocabuli ſcribit φύσιν dici & appellari ſubiectũ, cuius ſubſtantia incorrupta generetur aliquid,

quid,

quid, aut effici aliquid ex ipso possit, vt si qs æreæ statuæ naturã appellet æs ipsum, quia videlicet non mutata essentia æris, efficiatur ex ipso statua aut effigies quædã. Mixtas autem ex elementis & perfectas substãtias omnino necesse est generari elementorum substantijs incorruptis & integris, sed tamen hac habilitate præditis naturæ, vt ex ipsis generari possit aliquid; quę natura seu habilitas putredine corrumpi dicitur, vt propter hanc corruptionem habilia non sint elementa & apta nata seu πεφυκότα, vt ex ipsis generetur mixtum quoddã perfectum. Perempta enim hac natura, ex elementis nihil generari potest; quæ natura perimitur, cùm in hoc genere putredinis, quod maximè oppositum dicimus esse simplici generationi, & gratia cuius, vt paulo antè diximus, quippiam ex toto seu ὅλως putrescere dicitur: tum etiam simili modo definitur præsens hæc putredo, qua dicuntur elemẽta secundum partem quandam, .i. ratione suæ habilitatis, & non substantiæ suæ putredine corrumpi; siquidem secundum substantiam suam ratione putredinis incorruptibilia existant elementa propter causam aliàs expositam. Cæterum habili-

tas hæc naturalis, qua subijciuntur generationibus perfectorum mixtorũ, quasi φύσις quædam determinat elementorũ substantiam; qua perempta, nihilominus determinata elementa non corrũpuntur ratione suę essentię, sed χωριστὰ dicuntur esse; quia videlicet abolita natura hac ipsa, nihilominus permaneãt, suamq; retineãt essentiam. Nam quæ separata ab alio, ipsa seipsis separata non subsistunt, hæc non separabilia, & ἀχώριστα dicuntur esse; quamuis aboleri & perimi in subiecto suo valeãt, propterea ꝙ sunt χωριστικὰ, & non ὁριζόμενα; differuntq; inter se tanquam forma & materia, siquidẽ materia sine forma, & forma seipsa, non sine materia potest esse, & ob id forma non dicitur esse quiddam χωριστόν. Facit hæc interpretatio ad intelligenda Aristotelis verba, quando scribit elementa putrescentia in his, quæ ex parte putrescũt, χωριζομένα τῆς φύσεως. φύσιν autem appellat habilitatem illam, qua res & substantiæ mixtæ possunt ex elementis generari. Restat nunc alterum genus quo ex parte putrescere quippiam dicitur, cuius Aristoteles lib. 4. meteor. posterius mentionẽ facit, nec non etiam lib. 3. De generat. anim.

Sunt

Sunt & hęc putreſcentia imperfectè mixta quædam elementa, in quibus nulla eſt habilitas generationis, nihilominus tamen cœleſti vigore quodã excitatur vitalis quidam calor, & σύγκρισις noua in putreſcente materia, vt in hac aut ſtirpem quandam, aut αὐτόματα quædã animalia inſecta generari accidat; de quibus in præcedentib. ſatis multa me dixiſſe recordor. In putreſcentibus hoc modo contingit inutile, & quòd natura nulla præditũ eſt, ſeparari ab eo quod vtile ſit, & generationis cuiuſdam naturalis materia exiſtat, vt hac ratione nõ tantùm putridũ, ſed etiã cauſa generationis materia quadã præditũ, vt generabile χωριστὸν quiddam exiſtat; quam generationẽ ſimilẽ dicit eſſe Ariſt. corruptioni, & putredini cõcoctionis ciborũ in ventriculo, qua concoctione natura ſeparat inutile excrementũ, & reliquias ciborũ ab vtili concremento, quo elementa concoctione conformantur in ſpeciẽ & ſubſtantiã chyli. Si quæ præterea ſunt, requirenda erunt ex his, quæ copiosè ſatis ſuprà expoſuimus. Ex his quę diximus liquet & perſpicitur, omne putridum priuatum eſſe aut actu formæ ſubſtãtialis generatæ ex concremẽto elementorũ, aut potẽtia generationis orbatũ eſſe,

vt ex ipſo quatenus putridum nõ poſſit generari ſubſtantia mixti corporis, propter quam priuationem Ariſtoteles in præſenti loco putrida appellat χωριϛὰ τῆς φύσεως. Quare neceſſe eſt omne hoc modo χωριϛὸν τῆς φύσεως putridum eſſe, & viciſſim omne putridum χωριϛὸν τῆς φύσεως eſſe.

CAPVT V.

Reprehenſio opinionis illorum, qui ſecus atq; nos verba Ariſtotelis interpretantur, quæ ſunt in 4. lib. Meteor. de putredine ſcripta.

TVM demum perfectam ſcientiam & declarationem rei cognoſcendæ nos habere remur, quando non ſolum ea quæ vera ſunt veris rationibus & argumentis fundata & explorata habuerimus, ſed etiã quæ contra dicuntur, aut ſecus diſputãtur, ſi falſa intelligamus eſſe, vt falſis veriſimilibusq; argumentis aſtruuntur. Ac primò non rectè videtur ille mihi ſentire, qui propoſitam ab Ariſtotele definitionem, non verè & propriè dictæ putredinis, & vulgò incognitæ, exiſtimat eſſe. Alterius verò putredinis, quam Ariſtoteles nominat κατὰ μέρος putredinem priori, quę ſimpliciter & ὅλως putredo exiſtit, vt verè & ſimpliciter pro-

propriam, & vulgo omnibus notam censent esse: quæ opinio ex diametro pugnat cum sententia Aristotelis, vt paulo antè demonstrauimus. Definiuit autem Aristoteles putredinem, quæ simpliciter & non aliquo modo, seu secundum partem aliquam, sed quæ omnino & propriè sit habenda pro ipso definito, nempe pro putredine; siquidem definitio hæc simpliciter non possit accommodari ei, quæ secundũ partem seu ex parte putredo appellatur. Putredo autem ꝓpriè dicta definitur causis quibusdam, certoque subiecto, vt nimirum causa efficiens ipsius sit calor extrinsecus ambientis corporis, qui calor calorem σύμφυτον mixti perfecti ex elementis dissoluens & perimens, concrementum ex elementis iterum dissoluat in elementa, è quibus mixtum perfectum fuerat generatum. Quæ definitio, vt quoq; definitum, omnibus vulgo noscitur, & in omnib. putrescentibus verè & perfectè consentanea esse reprehenditur, & vt Aristoteles inquit, vt communissima vsurpatur, & maximè contraria est generationi simplici, qua videlicet ratione perfectè mixtum generatur ex elementis inter se mixtis, præce-

dente capite, id quod simpliciter generetur ratione substantiæ, cuius partes sint materia & forma, generari ostendimus. Præterea etiam secundũ quid generationẽ diximus pertinere ad accidentia, & non ad substantias rerũ naturalium. Præterea partes nascentis rei quasdã constat esse essentiales, & quasdam integrales partes. Essentiales omnibus rebus & substantijs naturalibus insunt, quoad vnaquęq; substantia constituitur ex forma sua, & materia sua. Partes aũt aliæ, quæcunq; fuerint, integrales appellantur à physicis; quorũ quædam differunt inter se substantialiter, seu essentialiter, vt partes lactis, aut partes mixtæ ex elementis; cùm elementa sint etiam substantiæ quædam, sed omnino simplices, tum & mixtionis expertes. Aliæ verò sunt & dicuntur partes integrales, in quas totũ diuiditur duntaxat propter quantitatem, quibus partibus diuiduæ sunt ὁμοιομερεῖς substãtiæ: vt si caro diuiditur in partes carneas, aut si linea in lineolas, aut superficies in minores superficies. Compositio ex partibus integralibus, q̃ tamen non sunt ὁμοιομερεῖς, non est vnius generis, vt compositio in animatis substantijs, qua cõponitur organi-

gani-

ganicum corpus è ſimilarib. pluribus, quarum ſimplex ſit compoſitio & generatio duntaxat ex elementis. Deinde perfectiſs. compoſitio eſt, qua totum animatũ corpus eſt conſtitutum ex partibus integralibus, q̃ nimirum ſunt organicæ ipſius partes. Præterea altera eſt compoſitio è partib. ſimilaribus ſubſtantia & eſſentia inter ſe diſcrepãtibus; vt qua lac dicimus eſſe compoſitũ ex trib. notis partibus, & ſanguinẽ ex quatuor humoribus, & ſtirpes ex diuerſis ſuccis, aut diuerſis ſubſtantijs mixtis; vt braſſicam dicimus eſſecompoſitã, aut rhabarbarum dicimus eſſe compoſitũ, aut roſam eſſe compoſitam pluribus differentib. ſaporibus, quorũ vnusquiſq; ſua quadam materia ex elementis temperatus ſit, generatis omnibus illis ſimul vnã totamq; ſubſtantiam, non tàm eſſentialẽ quàm integralem conſtituentibus. In ſuperioribus aũt declaratum eſt, hoc modo cõpoſitas ſubſtantias non omnes eſſe diſſolubiles in ſuas partes, vt lac diſſolubile eſt in ſuas partes, ſanguis autem in ſuos humores, è quibus eſt conſtitutus: non eſt diſſolubilis ſi non habuerint rationem excrementi ſeu περιτλώματος. Prouida enim natura & in omnibus ſagax, quod bonum eſt, aut melioris

rationem obtinens duntaxat ea, quorum separatorum vtilitas possit esse, sic generauit, vt tota possint dissolui in partes istas ὁμοιομερεῖς. Quin etiam discrepantia est in partibus mixtione hac confusis inter se & mixtis, quòd videlicet partes quædam sunt essentia priores toto mixto; vt elementa γενέσει priora dicimus esse constitutis substantijs ex elementis. Aliæ verò partes, quibus totum constituitur mixtũ, priores non sunt, sed simul generantur cum partib. essentialibus, nempe cum forma & materia, totum essentiale constituentibus, vt partes sanguinis, vnà cum sanguine, & partes lactis vnà cum lacte generantur. In stirpibus simul etiam generantur, sed posterius tamen nonnullæ perficiuntur, quòd mutationibus saporum & succorum manifestũ est. Propter maturitatem enim partes illæ perfectionẽ suam habere dicuntur, quibus explicandis exemplis nõ est opus, cùm ipsa ꝑ se sint sensib. nostris manifesta. Cùm ergo tali causa, & tali subiecto, putredinis corruptio definiatur, nemini obscurũ esse potest, quin putredo solis perfectè mixtis accidat causa elemẽtorum, in quæ propter putredinem fit dissolutio, vt quorum ele-

men-

mentorum generatio simplex non fuerit ex elementis mixtione alteratis. His putredinem secundum Aristotelẽ nemo poterit adscribere, vt sunt reliquæ etiam corruptiones omnes, quibus aut ex vno elemento aliud generatur, aut quando corruptione prioris substantiæ, posterior generatur perfectior substantia; vt si è sanguine caro, aut è chylo sanguis. At si corrumpatur organicum & viuens corpus, eius corruptio sc. mors erit dicenda, & non putredo; aut si mixtum ex alijs mixtis essentijs dissoluatur in suas partes, vt si lac in suas partes dirimatur. Quæ corruptiones omnes pro putredine non sunt numerandę, cum eis definitio non conueniat. At corruptio putredinis cõmunissima est respectu horum, quoad εἱμαρμένως corrumpuntur, quoniam ad extremum omnes perfectè mixtorum corruptiones naturales in putredine desinunt & determinantur, siquidem naturalem habuerit interitũ, oppositum sc. generationi naturali. Ob id Aristoteles, quia corruptio hæc distantior est alijs naturalibus corruptionibus, & contraria sint distantissima, ob id eam corruptionem, μάλιστα ἐναντίον Aristoteles ap-

pellat. Nam quòd causa mortis corrumpitur, aut propter separationem aliarũ mixtarum partiũ, id non extremè aboleri dicitur, quandoquidem in elementa, è quibus generatũ fuit, putredine non dissoluatur. Quæ cùm ita se habeant, par est vt intelligamus eos halluciari, qui primũ genus putredinis, quo dicitur aliud ἁπλῶς putrescere, negant propriè dicendam putredinem; cùm tamen maximè cõueniat ei definitio putredinis, & non ea quæ κατὰ μέρος ab Aristotele appellatur putredo, quam censent esse veram & genuinam putredinem, cùm tamẽ ei definitio simpliciter nõ congruat. Deinde peccãt etiam in eo, ꝙ nõ rectè definiant κατὰ μέρος putredinẽ, quam sic interpretantur, vt non sit totius, sed duntaxat partis cuiusdam corruptio; vt si pomũ aut vua nõ ex toto, sed ex parte duntaxat quadam putredine afficiatur, quam tamen nõ κατὰ μέρος, sed ὅλως putredinẽ dicendam esse paulo antè declarauimus. Ita propriam putredinem, quę est primi generis, falsa expositione transferunt ad putredinem alterius generis, neutrum genus eo modo, quo par est intelligentes aut definientes. Peccãt etiam in eo, ꝙ notissimam putredinem in-

cogni-

cognitam vulgò esse dicunt & ignotam, i. secundum putredinem κατὰ μέρος & secundum quid putredinem, vulgo ignotam, nihilominus eam notissimam esse pronunciant, & quã etiam nulla vera interpretatione hactenus exposuerint: qđ ferè omnes faciunt interpretes Aristotelis, qui κατὰ μέρος quid sit putredo, non animaduertisse videntur. Quis verò vnq̃ fuit, qui propriè dictam & ὅλως putredinem in rebus non arbitretur plerunq; nõ subitò perfici, sed paulatim increscere, & quasi serpere eam, vsq; dum totũ putrescat, quod ferè in omnibus putrescentibus euenire certum est. Quin etiam in eo hallucinãtur, quod ab Arist. dictam simplicem generationẽ putant oppositam esse generationi animali substantiæ, q̃ tamen nõ minus simplex est, quã animaliũ seu inanimatarum rerũ generatio, cùm simplex generatio sit & dicatur omnis, qua videlicet substãtia naturalis, siue sit animata, siue sit inaĩata, cõstituitur ex materia & forma: quæ cõstitutio ab Aristotele dicitur ἁπλὴ γένεσις lib. 5. physic. eiq; oppositũ scribit esse κατὰ τὶ γένεσιν. Quo manifestũ est, parum Aristotelicè disputari ab his, qui hoc modo de putredine disserunt. Pręterea quã

alienum etiam illud est à vero & à sententia Aristotelis, quando putredinis non propriè dictæ (quod isti volunt intelligi vocabulo ἰδίως) causam internã esse affirmant, cùm tamen Aristoteles, definiens putredinem in omnibus putrescentibus corruptionis causam externam esse pronunciet, nempe ambientis corporis calorem. Proinde corruptio cuius causa est interna in corporib. viuentibus & animatis, vt qua senescere dicuntur, aut tabe confici, ab Aristotele pro putredine non numerantur. Negat enim senectutem, vt in animalibus, aut αὔανσιν in stirpibus putredinem esse, sc. esse viam ad mortem; quæ mors prima via est ad interitum, quo res dicuntur putredine corrumpi. Sed de his satis superque multa in præcedentibus disseruimus. Ex quo perspicitur, nullam internam esse causam putredinis, neq; etiam violentam (vt isti loquuntur) sed externa duntaxat, & qua naturaliter seu εἱμαρμένως res naturales corrumpantur externo calore. Nam frigus externum prohibet putredinem, quandoquidẽ frigoris sit propria ἐνέργεια, vt in vnum colligat τὰ ἀλλόφυλα; cui oppositus est externus calor, qui vt congregat sua vi & effica-

cia ὁμόφυλα, si fuerit σύμφυτος calor, ita si fuerit externus, proprium illius est contrarium frigori, vt videlicet τὰ ἀλλόφυλα separet & distrahat vinculum συμφύτου caloris, perimendo corrumpendoq;. Proinde qui poterit κατὰ μέρος putredo (quæ ipsis videtur in primis propriè dicta) putredo esse violenta, cùm tamen secundum Aristotelẽ omnis putredo sit & dicatur φυσικὴ φθορὰ, opposita nimirum τῇ φυσικῇ γενέσει; vt quę scribunt & dicunt, omnia cum Aristotelis sententia pugnare videantur quasi ex diametro. Quod si vno absurdo dato multa falsa concluduntur, quid censendũ est posse euenire, si pluribus falsis hypothesibus & postulatis positis in disputando & concessis, contra vera proposita dimicetur. Fallacissimum est illud quoq; postulatũ, quod sibi concedi volunt, nempe Aristotelem in priore genere putredinis definiendo, scribere, quod in hoc genere causa sit putredinis, si videlicet agens calor σύμφυτος perimatur à patientibus elementis. In præcedentibus declaratum est, rebus naturalib. accidere putredinem propter σύμφυτον calorem, & non propter ἔμφυτον; qui ἔμφυτος calor respectu patientis sit μεταβλητικὸς,

καὶ ποιητικὸς reſpectu patientis. At vero
reſpectu συμφύτε caloris oſtẽdimus, rebu
naturalibus ineſſe ἀπάθειαν, i. quòd ꝓpte
σύμφυτον calorem res propter partes ſuas
neq; agens neq; patiens in ſeſe habeat cor
pus, & quòd omnino neceſſe ſit, ſi patiatu
aliquid, vt ab externo calore motum ſuum
& alterationem accipiat, qui calor ſit cauſa
etiam putredinis & interitus. Ariſtoteles in
naturali corpore ſcribit, φ σύμφυτος calo
in ſua poteſtate habeat concrementũ ele
mentorum ſuorum, ipſum conſeruando ſi
ne alteratione & mutatione, nec non eti
ἔμφυτος calor reparando & reficiendo ſe
metipſum ſuamq; propriã & natiuam hu-
miditatem actuoſus exiſtit. Quamobrem
quando concrementũ elementorum nati-
uo calore quietũ & immobile, imbuatur a-
lieno & externo calore, & quodãmodo fer-
uere incipiat, tùm neceſſe eſt internũ σύμ-
φυτον calorem vnà cum ſuo proprio humi-
do exhalare & extingui: quo extincto, vin-
culum etiam pereat priſtinũ, quo elemen-
ta vnius ſpecie ſubſtantiæ informabantur.
Quare non eſt alia cauſa putredinis, ſi di-
camus ὡρισμένα, i. tria patibilia elementa
non per ſe, ſed propter externum calorem

vin-

vincere & ſuperare σύμφυτον & natiuum calorem, quo neceſſe ſit, compagem elementorũ diſſolui, vt alia nõ ſit cauſa, quàm externus calor diſſoluens concrementum elementorum, vt ipſum ὡρισμένον valentius ὁριςικὸν calorẽ exterminat. Nam propter ὡρισμένον dicitur aliquid putreſcere, ſed ὁριςικὸν calorem, natiuum ſc. ipſum nõ eſſe obnoxium putredini, in præcedentib. declaratum eſt; quamuis ipſum etiam nihilominus extingui, & ſine putredine perire atq; aboleri accidat. Quin etiam illud alienum eſt à vero, qđ ſcribũt, vnamquãq; ſpeciem putredinis ad μάρανσιν poſſe referri, quæ μάρανσις abolitio eſt non συμφύτȢ, ſed ἐμφύτȢ nempe animati corporis caloris; quæ animali accidit aut φύσει, propter ſenectutem, aut externa cauſa quadam, debilitante ἔμφυτον calorem animati corporis. Ex quo perſpicitur, talem interitus cauſam putreſcentibus non quadrare, quatenus putreſcant: quæ omnia ipſos accuratè diſtinguere oportuiſſet, & non confuſis rationibus omnia inter ſe cõmiſcere; quo nihil alienius eſt à μεθόδῳ & ἀναλύσει inquirendæ veritatis. Quid verò ſibi vult iſta compoſitio συμφύτȢ & ἐμφύτȢ caloris?

quando ſcribunt ἔμφυτον calorem in ani-
matis breuiore tempore ſuum humidum
natiuum cōſumere, & denuo reparare: ſed
σύμφυτον calorē longiore id tempore face-
re, cum toto genere ſint calores iſti inter ſe
diſſimiles; cùm ille ſit (vt ſuprà monſtraui-
mus) μεταβλητικὸς, hic verò nequaquam
ſit ποιητικὸς, ſed cauſa ſit τῆς ἀπαθείας; v
quamdiu calor iſte ſit incolumis, & nō pro-
fligetur externo calore, tam diu rem natu-
ralem incolumem & expertem corruptio-
nis ſeu putredinis eſſe oporteat. Sed ne illud
quidem aliqua ratione defendi poteſt, q
dicunt ſpiritum vitalem putreſcere poſſe
qui, vt reliqui calores ſit μεταβλητικὸς, &
ſine illo viuum nihil eſſe poſſit. Quamobr
rem cùm non ſit quiddam ὡρισμένον calo
vitalis, ſc. ὁριστικὸν, neceſſe eſt ipſum putre-
dinis expertem, alio modo aboleri; de quo
ſuprà dictum eſt. Nam ſi eſſet determina-
tus calor, ab alio quodam ſc. determinare-
tur. Sed impoſſibile eſt ipſum (vt primum)
ab alio determinari, vt eodē modo ratio
neque eadem putredini non ſit ſubiectus
qua omnis alioqui calor primus & igneus
expers putredinis dicitur eſſe; ſed de hoc in
præcedentibus ſatis perſpicuè diſputatum
eſſe

ſt,vt repeti non ſit opus. Poſtremum eſt quòd non poſſum quin vt falſum reprehendam, quòd non pauci noſtro tempore ſcribunt & defendunt contra Hippoc. & Galenum, & reliquos omnes receptæ autoritatis medicos, Sanguinem ſc. eſſe ſimplicem humorem duntaxat ex elementis generatum, & non ex quatuor humoribus vulgò notis conſtitutum eſſe, hac ratione freti, quòd videlicet tres humores iſti nihil aliud ſint, quàm excrementum & περίττωμα ſecundum naturam habẽtis ſanguinis. At περίττωμα non eſſe, quo ſubſtantia alicuius rei conſtituatur, quod ipſum perſpicuum ſit etiam definitione περιττώματος, quod aut ſecluſum ſit à ſubſtantia rei, aut tale ſit, quod poſſit ſeparari, aut tale ſit, quod mixtum cum ſubſtantia rei ipſi conciliet diatheſin non naturalem, ſed morbũ quendam. At verò bilem omnem, nec non melancholicum ſuccum, præterea etiam pituitam pro excremẽtis, propter dyſcraſian humorum illorum haberi. Et quanquam illum quoq; errorem videor mihi confutaſſe in libello contra ſynopſin Simonij edito ſatis accuratè, nihilominus in præſentia etiam pauca quædam afferam, quibus

ſententia hæc non tantùm ab autoritate veterum medicorũ, ſed etiã à veritate ipſa alieniſſima mihi videatur eſſe. Nõ inficior equidem humores illos vulgo notos in ſanguine nonnunquam excrementorum ſeu περιτλωμάτων habere generationem, & vt excrementa ſunt, ex his ſanguinem nequaquã conſtitui, quemadmodum alias etiam nihil conſtituitur excrementorũ reliquijs, quas ſeparari potius oporteat, quàm cũ re naturaliter conſtituta miſceri. Id permanifeſtũ eſt in multis ſimpliciter generatis elementorũ mixtione. Sic vinum repurgari & non conſtitui ſuis excrementis videmus. Repurgatur .n. & ſyncerum efficitur, quãdo ab eo ſeparantur fex & flos vini, tanquã περιτλώματα quædam. Idem accidit quoq; ſi ſeparetur ab oleo amurca; & ſuum excrementum ſi repurgetur à melle. Veruntamen ea quę diximus, ſimpliciter ex elemẽtis mixtas & generatas ſubſtantias eſſe cõſtat. Sunt aliæ nonnullæ ſubſtantiæ, verùm alio quodãmodo mixtæ, non videlicet ſimpliciter ex elementis generatæ aut conſtitutæ, ſed ex alijs quibuſdam mixtis ſubſtantijs, quorũ exempla paulo antè ꝓpoſuimus in ſtirpibus, & in lacte etiam; quòd nemo

neſcit

nescit constitutum esse è substantijs quibusdam mixtis temperamento elementorũ, vt sero, butyro, & caseo. Cuiusmodi etiã nonnunquã mixta in sua mixtilia separari possunt. Aliquando autẽ inseparabilia existunt propter causam paulo antè expositã. De sanguine dubitatur, vtrum tres isti humores duntaxat περιττώματος habeant rationẽ, & nõ etiam constituentiũ sanguinis essentiã: an verò sanguinis essentia simplici elementorũ mixtione duntaxat generetur quemadmodũ oleum, vinũ, aut mel generari dicuntur. Equidem mihi consideranti veritatem causarũ & rerum effectuum seu propriorũ accidẽtium φαινόμενα, quid nobis sentiendũ sit, declarare vidẽtur, & quasi ob oculos ponere, sanguinem sc. non simpliciter ex elementis mixtum esse & generatum quiddam, sed generatum esse ex alijs quibusdam simpliciter mixtis humoribus; nec solùm istos humores pro excrementis numerandos, sed etiã pro partib. & mixtilibus essentiã sanguinis ipsius constituentibus. Nam quę simpliciter in alijs numerantur pro excrementis, naturaliter & propter se excrementa existunt, non ꝓpter dyscrasian quandã, quæ accidat ipsis, cùm multa sint non per se excrementa, aut inu

tilia, aut reiectitia, ſed propter dyſcraſian talia fiant, cùm videlicet ritè temperata,& ſecundum naturam habentia, pro vtilibus ſeu reiectitijs nequaquã habeantur. Quod cum primis quale ſit, & quomodo ſit accipiendum, in natura & ſubſtantia ſanguinis ex quatuor humoribus conſtituti planum facere conabimur. Quæ ſimili elementorum concremento generantur, ea nec diſcrepantes inter ſe ſapores habent, neque etiam differentibus coloribus partes ipſius diſtinguuntur; quandoquidem ſint omnino & penitus ὁμοιομερῆ corpora, & vndiquaq; in partes diuidua eiuſdem ac ſimilis qualitatis. Vt ſi vinum aut oleum, aut mel diuidamus in partes, nulla diſcrepantia, neque ſaporum neq; colorum in partibus apparebit, in quibus omnia eadem erunt accidentia, quæ ſunt in toto ipſo vt integro corpore. In nonnullis quòd non ſint ὁμοιομερῆ corpora, cognoſcimus, non differentia colorum aut ſaporũ, ſed ſecretione partium, quæ non ſunt eiuſdem naturæ; vt lac quod ſit ἀνομοιομερὲς deprehẽdimus, quoad diuiduum ſc. eſt in butyrum & caſeum, cùm tamen integrum exiſtens nec ſaporibus nec coloribus diuerſis diſcrepantes habeat

beat partes. At diſſimilitudo partium ſanguinis deprehenditur diſcrepantibus coloribus. Emiſſus enim phlebotomia è venis, parũ conſiſtens apparet inferiore parte ſua niger, ſuperiore autem rubens, quin etiam alius humor quaſi efflorеſcens, & ſupra reliquos micãs leuitate ſua pallidus ſeu luteus conſpicitur. In ſanguine autem ipſo nonnihil albeſcens humor mixtus continetur; quibus differentijs colorum manifeſtum ſit, ſanguinem non eſſe generatum ſimpliciter mixtis elementis, ſed ex humoribus quibuſdam mixtione elementorum generatis, vt partes ipſius ſint non terra, ſed terreus quidam humor, vt melancholicus; nõ aqua, ſed aqueus quidam humor, vt pituita; & non aër, ſed aëreum quoddã corpus, vt ſanguis ipſe ſimplex; & nõ ignis, ſed igneum quoddam, vt bilis flaua: quibus omnibus naturali modo temperatis, maſſa ſanguinea ſeu ſubſtantia conſtituatur; qua mixtione totus ſanguis temperatus idoneus ſit & habilis ad diſſimilimas partes ratione temperamenti nutriendas, cum ſuo quæq; ſimilaris pars ſanguine nutriatur. Alio enim ſanguine terreo & melancholico nutriuntur oſſa: alio verò pul-

mones ipſi, nempe aëreo & valde tenui, & alio cor ipſum, cuius ſanguis quo nutritur tantùm differt à ſanguine quo nutritur cerebrum, quantum differt temperamẽto ſuo cor à temperamento proprio cerebri. Idem ſentiendũ de ſanguine, quo nutriuntur reliquæ partes, vt temperamentũ aliud ſit ſanguinis, quo nutriuntur carnes, & aliud quo reliqua viſcera. Hac varietate tẽperamentorum ſanguis ſubijcitur varijs corporibus generandis ſimilaribus in ipſis animalibus, nec non ijſdem etiam nutriendis & vegetandis. Quæcunq; enim vegetantur & nutriuntur, ſanguineo humore toto neceſſe eſt vegetari, cum ſeparatis humoribus qui ſunt in ſanguine, nihil neque generetur nec nutriatur; vt verbi gratia, Pennæ auium & ſquammæ piſcium, & vngulæ quadrupedum generãtur & nutriuntur ſanguineo humore: ſed hac differentia, qua dictum eſt, nempe tali ſanguine, qui facile permutari poſſit propter ſuum temperamentum, ex quatuor humoribus in ſubſtantiam illius corporis, quod ex ipſo generatur, aut ipſo nutritur. Pennarum enim nutriens ſanguis non multum differt temperamento ſuo à natura pennarũ.

Idem

Idem ſentiendum de materia, qua generantur ſquammæ piſcium, aut vngulę quadrupedum. Quæ diximus de ſucco ſanguineo in animalibus, quoad materia eſt generationis & nutritionis, id ipſum quoque intelligi volumus de ſucco ſtirpium, quo diuerſiſſimæ partes naturis & ſubſtantijs generantur & nutriuntur, vt in his quoque ſuccis inſit ἀνομοιομερία partium temperamentis diſcrepantium, quæ denominationẽ ſuam habeant ab elementis, quandoquidem ea quoque quæ his generantur, & nutriuntur, conſtitutionem ſuam habeant materialem ex elementis, & quibus etiam pleraq; propria πάθη inſunt ratione mixtionis elementorum. Occultè enim non admodũ multæ ſunt qualitates, quarum cauſa nõ ſit materia ipſa, ſc. forma ſubſtantialis, alterum ſc. principium, conſtituens vnamquamque rem naturalem. Varietatem hanc vnius humoris in viuentibus anima diſtribuit & diſpenſat prout fert natura vniuſcuiuſque partis nutriendæ, & in his quæ generantur, plaſtica facultas diſpenſatrix eſt è ſua materia, id eſt, è ſuo humore proprio, & ſecundum naturam temperato efformans ſimilares

& organicas animatorum corporum partes, de quibus dictum in lib. De plast. facultate seminis. Notum est & peruulgatum apud physicos, vnamquamque rem & substantiam naturalem generari è sua ꝑpria materia, & nõ quodlibet fieri ex quolibet. Quare consentaneum etiam est, quamlibet corporis animati similarem partẽ suo quodam & peculiari nutrimento vegetari, & carnem carneo nutrimento, & ossa osseo, & cutem cutaneo; nec idẽ esse simpliciter nutrimentum, quo ossa nutriãtur, & quo cerebrum, aut quo cor, aut quo carnis substantia, aut neruorum. Proinde vt animata corpora secundum substantias suas formis substantialibus discrepantibus generantur, vnaquæq; sua quadam propria mixtione & natura simplici mixtorum elementorum, vt verbi gratia, aliter mixtis elementis generatur aurum, & aliter mixtis argentum, vel ferrum. Idem de reliquis sentiendum. Ita quoq; variæ & specie discrepantes inter se substantię partium similarium in corporibus animatis generantur, non ex materia simpliciter ex elementis mixta, sed ex materia mixta ex alijs mixtis humoribus. Quibus multifariam inter

ter ſe temperatis ſua cuiusq; partis ſimilaris (faciens ad nutritionem) ipſius materia quaſi ꝓpria cõſtituatur, cùm alioqui duntaxat ſimpliciter mixtis elementis non niſi vnum ſimilare corpus generari queat, qualem generationem paulo antè diximus eſſe corporum inanimatorum; vt neceſſe nõ ſit talia habere materiam mixtam, ex alijs mixtis materijs conſtitutam, qualem mixturam dicimus eſſe in ſuccis ſtirpium, & animalium; quibus variæ & multæ partes ſimilares partim generãtur, partim & nutriuntur & vegetantur. Quare fieri nullo modo poteſt, vt ſanguinis ſubſtantiã ſimplici tantùm mixtione elementorum conſtitutam eſſe dicamus, pro eo vt materiæ inanimatorum corporum generantur & conſtituuntur. Nam vt ſeparatim & ſigillatim nihil naſcitur & nutritur melancholico humore aut bilioſo, aut pituiſo: ita quoq; ſimplici ſanguine cõſtituto & generato, ſimplici mixtione elementorum nihil generari, vel tanquam nutrimento vegetari poterit. Nec eſt quod aduerſarij dicant humores illos περιττώματα eſſe & excrementa quædam ſanguinis, & ob id ſanguinis ſubſtantiam ex ijs nõ poſſe con-

ſtitui. Fatemur quidem περιτθώμασι, aut excrementitijs humoribus nihil generari aut conſtitui, ſed negamus tamen humores illos eſſe numerandos pro excrementis, quoniam duplicem rationem excrementorũ in humoribus conſtat eſſe. Quædam enim ſimpliciter ſunt & dicuntur excrementa, vt fex in vino, & amurca in oleo. Quædam autẽ fiunt inutilia & excrementitia, cùm prius eſſent vtilia & tanquã elementa cõſtitutionis vtilis, & neceſſaria ad generationem & vegetationem humoris; qualem humorem ſuccum in ſtirpibus & animalibus dicimus eſſe, quo vegetentur ſeu nutriantur. Igitur quoad humores iſti commemorati, dyſcraſia quadam corrumpuntur, & intemperie, hac ratione nõ conſtituent ſubſtantiã ſanguinis, ſc. ipſius περιτθώματα exiſtent, quibus ſanguine mixtis, ſanguis etiam contra naturam ſe habere & affici dicatur. His ſeparandis inutilibus humoribus in animalibus, inſtrumenta quædam machinata eſt natura, vt ſplenem, ſeparando melancholicum & redundantem humorem, & veſiculam bilis, repurgantem bilem in ſanguine feruentem,

&

& quaſi ſequeſtrantem, vt his repurgatus ſanguis excrementis ad nutritionem ſecundum naturam ſuam accommodatus & habilis exiſteret. In humoribus autem vitium ineſt, vt appellationem ſortiantur περιττωμάτων, aut propter exuperantiam quantitatis eorum, aut propter qualitatis dyſcraſian; quibus vtriſque ſanguis, ſi morbidus fuerit, laborare conſueuit: aut propter venoſi generis dyſcraſiam, aut propter alimentorum, quibus veſcuntur animalia differentiam; propter quam quædam alimenta dicuntur εὔχυμα, & nonnulla κακόχυμα cenſentur eſſe. His differentijs etiam in latitudine ſanitatis differt ſanguis à ſanguine, & corporis etiam habitus qualitatibus humorum diſtinguuntur, vt quædam dicuntur melancholica, & alia dicuntur bilioſa, & alia pituitoſa, & alia pro ſanguineis numerantur. Similibus etiam differentijs extra latitudinem ſanitatis diſtinguimus morbos etiam prouenientes ex humorum dyſcraſia. Proinde dyſcraſia cùm ſit accidens humorum & qualitas quædam, neceſſe eſt vt eius contrarium, nempe εὐκρασία in eiſdẽ poſſit ineſſe humorib. qua videlicet ratione

humores nequaquam dici debeant περιττώματα ſanguinis, ſed partes conſtituentes ſubſtantiæ ipſius; vt nimirum ſit εὔκρατος quædam bilis, & ſecundum naturam ſe habens, quæ reſpectu reliquorum humorũ temperamento ſuo ſit calidior, & ſiccior igneí elementi qualitatibus inſignior. Contra autem pituita naturalis, aqueis qualitatibus comparatione reliquorum exuperat. Veruntamen εὔκρατος & ipſa exiſtens. Eadem ratio valet in ſanguineo etiam & melancholico humore, quibus omnibus ſecundum naturã temperatis maſſa ipſa ſanguinea conſtituatur. Horum ſecundum naturam habentium humorũ vitia & corruptelæ exiſtunt exuperantiæ non naturales qualitatum primarum, quibus & colores & ſapores in primis ſolent immutari, vt deinde περιττωμάτων in ſanguine obtineant appellationẽ, & ijs morbidus ſanguis eſſe dicatur, & nequaquam ſanus, cùm περιττώματα ad nutricationem corporis (vt diximus) ſint inutilia, quibus aut ſeparatione ab vtili ſanguine, aut concoctione, vt priſtinam craſin recuperent opus ſit; quibus perficiendis & alterandis, & natura ipſa, & medica ars ſubinde occupata exiſtit.

Sic

Sic habentes humores medici crudos appellant, quando videlicet tales fuerint, vt ad crasin naturalem mixtionibus reuocari queãt. Nonnulli enim sunt, qui nullo modo temperari possunt propter extremam acrasiã, vt sunt humores biliosi corruptissimi speciem habentis, aut vitelli oui, aut æruginis, aut atræ bilis. Simili modo pituita quoque corruptissima est, vt acida hæc, quam appellãt vitream, aut salsam, nec nõ etiam melancholicus humor, quando degenerat corruptus in atram bilẽ. Alij sunt qui propter prauitatem suæ corruptionis non concoqui possunt, sed certis de causis putrescunt, febrimq; putredine sua in corpore incendunt, de quibus paulo pòst plura differemus. Corruptissimi humores quodammodo venenati efficiuntur, si diutius substiterint in corpore, aut si mixti fuerint cum sanguine, pernitiosos creent morbos, quòd videlicet nulla crasi temperari queant, & quòd secretrice facultate ab vtili sanguine, & secundum naturam habente separari nequeant. Humores autem quoad propter intemperiem crudiores fiunt, crasinq; natiuam amittunt, non nisi temperatura & mixtura contrariorum humorum

possunt concoqui, i. ad pristinum & naturalem habitum reduci, vt verbi gratia, si pituita moderato frigore indurescat admixtione sc. flauæ bilis contemperabitur, aut si flaua bilis propter calorem crudior fiat, naturæ suæ non restituetur, nisi admixtione pituitæ naturalis humoris. Haud longè secus, si concoquendus sit melancholicus humor, & restituendus suæ sanitati, sanguinis videlicet mixtione (quoad videlicet sanguis simplex quidam est succus, & non quatuor humoribus compositus) in integrum restituetur, cùm sanguis contrarijs qualitatibus sit melancholico humori oppositus. Et hoc modo scribit Hippocrates, intemperie laborantes succos reduci solere ad naturalem statum, in libro, quem scripsit de veteri medicina. De humoribus hactenus sanguinis, quibus & qualibus affectionibus & perpessionibus sint obnoxij, satis abundè disputatum arbitror; quibus facilè perspicitur, quàm inconsentaneis postulatis vtantur illi, qui negant sanguinem constitutum esse ex quatuor humoribus, sed ipsum esse simplicem duntaxat quendam humorem ex elemen-

tis so-

tis ſolis generatum, qui nutriendo corpori à natura ſit deſtinatus; & quod reliqui humores non niſi tanquam περιτ]ώματα in ipſo miſceri dicantur: quòd videlicet alienis ſaporibus & qualitatibus prediti propter ἀκρασίαν ſanguinem non conſtituant, ſed potius corrumpant, & morbidum efficiant: quaſi verò, ſi ἄκρατος ſit bilis, eadem etiam non poſſit eſſe εὔκρατος; aut ἄκρατος ſi ſit pituita, eadem non poſſit etiam eſſe εὔκρατος. Idem de melancholico ſucco ſentiendum, & perinde loquuntur ac diſputant, quaſi ijdem ſapores ſint & qualitates in εὐκράτοις, quales exiſtunt in dyſcratis ſeu acratis. Quo fallaci poſtulato ipſi freti, quod volunt falſum propoſitum, & à vero alienum, concludunt, antiquorum medicorum placita nimis temerè & inconſideratè confellentes. Haud paulo minore audacia, & incogitantia ſeſe opponunt priſcis medicis, artisque huius autoribus præſtantiſſimis, quando negant nullam propter putredinem humorum prouenire febrim, ſed aliam quandam afferunt cauſam, quod ne veriſimilibus quidē rationibus, nedum probabilibus

& neceſſarijs probare aut oſtẽdere poſſunt. An verò probabile non videtur eſſe, humores in corpore animalis poſſe putreſcere, cũ alij, qui omnia ferè humida corpora & in primis humores putredini ſint obnoxij. Id quod putreſcat, ſuprà demonſtratũ fuit, ambientis calore ſic corrumpi, vt calor natiuus ſuperetur à calore externo, alterante τὸ ὁριζόμενον; vt nimirum determinans calor & ὁρίζων patientia elementa ſeu patibilia non intra finem ſuum continere queat, quo extincto, neceſſe ſit, reliqua elementa putredine diſſolui, vt ijs non aliquid vnum mixtumq́; cõſtituatur. Nulla ergo apparet cauſa, ꝓpter quam aut bilis, aut pituita, aut melancholicus humor, non poſſit vel intra venas contẽtus, vel extra profuſus putreſcere, ſi putredinis ſuæ cauſas habuerit; nempe calorem externũ, & alienum extrinſecus corrumpẽtem natiuum, & internũ humoris calorem. Cauſam autem dicunt medici eſſe putrefacientem obſtructiones, quib. difflatio & trãſpiratio corporis impediatur, quo impedimẽto neceſſe ſit vaporoſa, quæ alias exhalant è corpore, excrementa intra ipſum corpus contineri, qui halitus ſic incluſi vt alienus

calor quidam, humores certo quodam in loco vel intra venas contentos, vel extra venas expulſos putrefacere queãt. Et quod non habet vniuerſum humorem putrefaciant in ſanguine mixtum, in cauſa eſt multitudo eius, & mixtio, cum ipſa ſanguinis ſubſtantia; quæ cauſa non tamen prohibet ἀπόκρισιν certæ alicuius partis humoris, vt hanc propter multitudinem obnoxius humor totus non poſſit eſſe putredini, pro eo vt fert natura putreſcentium; quando dicimus ſc. ea, quæ ſint pauca quantitate, facilius putreſcere, quàm quæ ſint quantitate magna & multa. De cætero autem ſymptomaticæ apocriſes quædam paruę quantitatis humorum in febribus, quandoquidem febris ſit ῥευματικὸν πάθος, vt certum in locum vel intra vel extra venas influens humor, & illic collectus fiat obnoxius, propter obſtructionem, putrefaciẽti huic fuliginoſo ſeu vaporoſo excremento, quo alteratus putredinem concipiat, febrisq́; aut continuæ aut interpolatæ cauſa exiſtat. Quod ſi interdum ῥευματικὸν illud πάθος afficit corpus, & extra venas inutilis humor permanet, ſuffundatq́; partes neruoſas, ſi obſtructio non ſit impediens diſſla-

tionem, poteſt fieri vt corpus horreat, vel rigore concutiatur, vt nihilominus tamen febris non ſubſequatur; propterea ꝙ non impedita tranſpiratione neceſſe non ſit expulſum humorem putreſcere, qualem Galenus horrorem deſcribit in libro de quatuor motibus contra naturam, qui fuerit in iuuene quodam ſuo æquali & familiari, quem tamen horrorẽ poſterius nulla ſubſecuta ſit febris. Sed de his vberius & plenius diſſeruimus in libello quẽ ſcripſimus contra Synopſin Simonij, vt in prę ſentia nõ plura ſcribenda exiſtimem. Poſtremum illud eſt, quod ipſum etiam admiratione dignum eſſe arbitror, de peſtilenti ſc. febri, quòd dicunt nonnulli, ipſam quoad ſit ſimplex morbus, non pro febri habendam eſſe, quòd videlicet peſtilens aër, quaſi venenum cor afficiat, qualis affectio poſſit etiã euenire, vt febris nulla oboriatur. Equidẽ vt concedamus aërem illum quodammodo venenatum eſſe, & inſtar quiddam habere veneni, ob id tamen fieri nullo modo poteſt, vt cordis ſubſtantiam perimat, niſi prius ipſius naturalẽ craſin manifeſta qualitate contra naturam alteret. Nullum .n. venenũ perimere poteſt cor & eius craſin abo-

abolere, nisi aut insigniter refrigeret aut calefaciat. Nam de reliquis qualitatib. nihil est vt dicam, vt quæ tam subitò veneno non possint aboleri. Quare venenũ pestilens, aut nimis refrigerãdo, subitum exitiũ affert, aut nimis calefaciendo. Nemo autẽ dixerit, pestem refrigerando cor ipsum eiusq; calorẽ extinguere; quare necesse est, vt id calefaciendo, sed hectico quodam calore, causa sit abolitæ craseως. Sed externus calor cor ipsum alterans fieri nõ potest, q̃n sit febrilis calor, sed quod non ægrotantes interdum sentiunt, aut medici non deprehendũt, alia causa existit; de qua alias à nobis est dictum, & à Galeno accuratissimè est declaratum, quibus explicandis iam supersedebimus. Itaq; simplex pestis nulla erit, quæ sine febri ægrotantem interficiat, vt quorundam fert opinio, sed omnis cum febre quadam est coniuncta, quæ tamen non valde sit feruida vel adurens, propterea quòd si occupet cordis substantiã pestilens contagio, valde debilitare solet ἔμφυτον calorem cordis, quo multum debilitato, fieri non potest, vt maiore incendio (quod alias fieri solet) febris inflammetur, vt ob id videatur pestis sine febri ægro-

tantem interimere. His quæ dicta & disputata ſunt hactenus liquet, perſpicuumq; eſt, nulla ſignificata eſſe caloris vocabuli, quo nimirum non ſignificetur, aut qualitas quædam tanquam accidens, aut conſubſtantialis quædam qualitas; cuius nimirum cauſa ſit forma ſubſtantialis, vt ob id merito quiſpiam calorem talem cōſubſtantialem poſſit appellare; vt qui ſimul ſit, & ſimul deſinat eſſe cum ſubſtantia rei calidæ, quod in calore (quoad eſt accidens) vſu venire non ſolet. Conſubſtantialem porro calorem dicimus ineſſe vel ipſi igni, quoad eſt ſimplex quoddam corpus ſeu elementum, vel mixtis ſubſtantijs perfectis. Quorum oſtendimus duplicem eſſe calorem; vnum qui ſit in ſolis animatis corporibus, quem ἔμφυτον appellamus: alterum qui non ſit tam in animatis, quàm inanimatis corporibus, quem vocabulo συμφύτȣ caloris expreſſimus: vtriusq; forma ſubſtantialis eſt cauſa, quæ forma eo calore, tanquam inſtrumento vtitur ad conſeruādam ſubſtantiam ſeu eſſentiam rei naturalis; conſubſtantialesq; exiſtunt, nec tamen ſunt ipſa forma ſubſtātialis rei. Quod nonnullis falsò videtur, contra quos alio quo-

quodam libro ſcripſimus, illorumq́; errorem confutauimus. Iſti calores ſeu ignes in ſua propria materia ineſſe dicuntur, eáq́; vindicant ab interitu, & à cauſis interitum rei naturalis propter materiam afferentibus. Quod ad calorem attinet externum ſeu alienum, duplex eſt differentia. Quidã enim eſt & dicitur violenter corrumpere, vt comburens eſt calor; alius eſt qui εἱμαρμένως perimit ſubſtantiam naturalem, & hunc Ariſtoteles putrefaciẽtibus tranſcribit: vterq; calor, quocunque ſit in ſubiecto, cùm eo ſubſtantiam non conſtituit, id eſt, vnum per ſe, ſed vt accidens in ſubiecto dicitur ineſſe; quod autẽ eſt ſubſtantia ſimplex, vt ſi aqua calefiat; aut eſt mixtum imperfectum, vt ſi putreſcat aliud; aut ſi exhalatio igneo ardore inflammetur, ſiquidem flamma non ſit mixtum perfectum, & ſubſtantia quædã perfecta, ſed exhalatio quædam ſit terreſtris materia, cui accidit ſumma ſeu extrema, nempe flammea caliditas. His caloribus nihil conſtituitur, ſed q̃ prius erant ſubſtantiæ abolentur & pereũt. Secundum formam ſubſtantialem Ariſtoteles lib. 5. phyſ. negat quicquam moueri, ſeu alterari, attamen nulla ſubſtantia, cùm

non ſit generabilis, ſine primis qualitatibus, neceſſe erit, vt patientia elementa determinato quodã calore alterentur, vt hac determinatione & alteratione ad extremũ generetur perfectus ille calor conſubſtantialis, qui ſit aut σύμφυτος duntaxat, vt in inanimatis, aut ἔμφυτος & σύμφυτος ſimul, qualis eſt in animatis corporibus, quibus vtrisque caloribus opificium naturalis generationis adſcribitur à phyſicis. Proinde vt alterationis ſecundum naturam rerum generabiliũ finis eſt acquiſitio caloris ἐμφύτȣ & συμφύτȣ, ita quoque corruptionis, ſeu naturalis, ſeu violenta fuerit, terminus eſt eiuſdem corruptio & interitus. Craſis autem cuiusq; rei propria ſenſibus percipi nequit, ſed duntaxat deſcribitur termino formæ ſubſtantialis, vt craſis ſanguinis, vel craſis cordis: qualis explicari nequit, niſi determinetur appellatione ſubiecti ſui; vt ſi dicas, ſanguineam eſſe craſin, aut carneam, aut ipſius cordis. In qualibet autem craſi principatum habet οἰκεῖος calor, quo permanente craſis etiam permaneat reliquorum elementorum, & quo extincto, craſis quoque diſſoluatur & intereat.

Omnis

Omnis autem crasis consubstantialis manifestis alterationibus qualitatum, quæ propriæ sunt elementorum, corrumpitur & desinit esse, quemadmodum etiam similibus qualitatibus & alterationibus elementorum generari consueuit; sine quibus (vt sine contrarijs) nihil neq; generari neq; corrumpi aut interire in rebus naturalibus possit. Ἔμφυτος autem calor seu crasis ipsius tribus modis aboletur. Primus est, quando extinguitur frigor, secundus, quando defectu humidi natiui, & ipse deficit. Tertius quando violentia externi caloris, qui perpetuo febrilis est, euanescit & corrumpitur. Venenata autem omnia, atque etiam venena cordi aduersantur, aut refrigerando ipsum, aut calore non naturali ipsum afficiendo, quem necesse sit esse febrim. Neque enim sine alteratione extingui calor vitalis poterit. Vtraq; autem multa & subita est, propter violentiam veneni, cum reliquis alterantibus causis tam repente & subitò cor non periclitetur. At cui dubium sit, quin pestilens aër propter putredinem calefaciendo cordis crasin afficiat, febrisq́; causa existat. At quod vel ab ægrotis ipsis, vel medicis & astantibus non

deprehenditur calor ille febrilis, cauſa eſt alia quędam, quam nunc paucis explicabimus. Conſtat duplicem eſſe calorem febrilem, vnum qui in habitu cordis ſeu ſubſtantia incenditur; alterum qui extra habitum inflammatur; quorũ ille hecticus, hic verò ſcheticus cõſueuit appellari à medicis. Incenditur calor κατὰ χέσιν vel in ſpiritu vitali, vel in ſanguine cordis, ꝓpter putridos vapores in ſanguine ipſius mixtos, quibus febrium caloribus ἔμφυτον calorem cordis ipſum ꝑ ſe nihil pati, ſed duntaxat ſecundum accidens affici eſt conſentaneum. Quapropter integro & incolumi ipſo exiſtente, neceſſe eſt compoſitum calorem è febrili calore, & inſito cordi, naturaliter ardentiorem, flagrantiorem, & vt ſic dixerim, luculentiorẽ totum illũ ignem exiſtere; perinde vt accenſus ignis multo luculentior & ardentior fit affuſo oleo, quã ſi ſola lignorum vſtione ardeat. Idem accidit in his febribus, vt calor cordis flagrantior efficiatur, & vt ſic dixerim, magis idoneus fiat, ſi externi caloris acceſſione augeatur, vtroq; calore ſuam materiam propriam depaſcente, aut vtroq; calore ſuum proprium & peculiare fomentum habẽte,

pro

pro eo, vt oleum ignis materiam dicimus esse, necnon lignum etiã suo modo flammæ nutrimentum & fomentum esse dicimus. Itaq; alia materia est, qua insitus calor fouetur, & alia, qua febrilis calor incenditur. At verò in hecticis febribus, idem numero fomentum est febrilis incendij, & caloris incendij, & caloris natiui ipsius materia. Ambo enim calores occupant natiuum & insitum humorem cordis, qui tamen partibus differentibus distinguitur, quòd videlicet vna pars propior à recenti nutritione. Altera verò pars solidior est & firmior, magisq; consubstantialis est cordi, & quasi altius penetrauit & (vt sic loquar) radices suas altius defixit, existẽs quodammodo, vt vulgò loquũtur, radix, seu vt Græci nominant ἀρχίγονον humidum ἔμφυτον; quod ipsum etiam μαρασμώδης febris absumere consueuit, illoq; penitus consumpto, necesse est vitam cum morte permutari. at eo, quod recenti nutrimento refectum est, extincto, non etiam necesse est σύμφυτον calorem, eiusq; vernaculum humorem aboleri & perire. Quæ autem differentia sit vtriusq; caloris non semel dictum & expositum à me est, vt sæpius re-

petenda non videantur esse. Perinde in hecticis febribus tenuiores partes, & recentiores à nutritione prius absumuntur, vt progressu temporis crassiores etiam, & spissiores febrili calore exiccentur, quo vniuerso consumpto, calor ἔμφυτος cordis, calore febrili tandem extinguitur. Accidit autem in hectica febri, vt non tantùm pars natiui humidi febrili absumatur calore, sed etiam vt ἔμφυτος calor plurimum debilitetur, & ob id febrilis calor cum insito calore commixtus insensilem quodammodo faciat caloris exuperantiam, vt qui sic febricitent, semetipsos non sentiant febricitare. Vehemens enim non potest esse calor febrilis, remisso & languido existente calore vitali seu insito. Multò magis id accidit in hectica febri, cuius causa erit pestifera lues; quæ si fuerit hectica, non tantùm febrili calore cor & ἔμφυτος ipsius calor incenditur, sed idem valde etiam venenata qualitate debilitatur, vt ob id debilitatem eius & infirmitatem febrilis etiam calor admodum (vt Galenus loquitur) tepidus existat; cùm non possit esse multus & vehemens calor febrilis, nisi

ἔμφυ-

ἔμφυτος calidum fuerit vegetum & viribus ſuis integrum, cùm in mortuo corpore nulla prorſus febris, vt nec alius morbus poſſit ineſſe. Sic debilitato calore cordis violentia peſtilentis caloris, ſequitur vt in hectica febri breui tempore calor ἔμφυτος extinguatur, cùm non poſſit fieri, quin infirmitatem hanc, & oppreſſionem inſiti caloris, ſubſequatur diſpoſitio ad mortiferam & lethalem ſyncopam; quæ nihil aliud eſt, quàm extinctio ſeu ſuffocatio, ſeu refrigeratio inſiti caloris. Quo manifeſtum eſt, hecticam peſtilentem febrim quodammodo compoſitam eſſe duabus alterationibus cordis contra naturam, calori videlicet & refrigerationi oppoſitis, quemadmodum alias ſunt aliæ quoque febres hoc modo compoſitæ; vt verbi gratia, maraſmi tertia ſpecies, quam Galenus in lib. De maraſmo appellat συγκοπώδη. Et alias idem quoque vſu venit in ſyncopticis febribus, quarum duas ſpecies facit Galenus in libro quodam method. curandi. Nec non etiam alia quædam ſpecies eſt febris cum refrigeratione caloris inſiti coniuncta, propter inſignem vacuationem, & quaſi profluuium ſpi-

ritus vitalis, quo exhalat vniuersi corporis patulis meatibus calidũ vitale, cuius symptoma Hipp. scribit esse cadauerosum totius corporis habitum in Prognosticis, de quo me alias dixisse recordor. Quibus manifestum est, quãuis hectica pestilens nullo calore interimere videatur hominẽ, eam tamen nihilominus esse febrim, cuius etiã causam planè & liquidò expositam à me esse arbitror. Hactenus quæ caloris differentiæ sint, nec non etiam quæ vis & efficacia ipsius existat, ꝓ eo vt nostra fert sententia, hoc libro exposuimus: quæ si vero minus consentaneè dicta videbuntur, non recuso, quo minus humaniter & beneuolè corrigantur ab eruditis, vt veritas patefiat, quæ omnium bonorum studio doctorum hominum diligentia videtur esse promouenda.

RIGO-

RIGORIS IN FEBRIBVS CAVSAM, A GALENO VERE ET RECTE EXPOSITAM, *perperam & falsò à quibusdam reprehendi & coargui:*

AVTORE

IACOBO SCHEGKIO Schorndorffense.

CAPVT I.

NVPER, cùm casu incidissem in commentationes Cardani, super Hippocratis Aphorismos, deprehendi, cùm alia multa ipsum reprehendere, quæ Galenus scripsisset, immeritò: tum in primis, quæ DE RIGORIS CAVSIS, scriptis ipse memoriæ prodidit, in libro de Quatuor motibus contra naturam: in quo prælertim ipse de Symptomate Rigoris suam exposuisse sententiam videatur: quæ tamen (vt

Cardano videtur) non consentanea sint, aut videantur esse his, quæ alijs quibusdam locis de hoc symptomate scripta Galenus reliquerit. Visus est mihi tum Cardanus, non errorem aliquem Galeni reprehendere, sed scriptum eius eo in loco non satis intelligendo & in alienũ sensum detorquendo, non contra Galenum, sed contra suam propriam, & prauam, vitiosamq; interpretationem stylum perstrinxisse, affingendo ei errorem, cuius tamen nequaquam insimulari possit, aut debeat doctissimus Galenus. Hoc certè ingenio multos præditos videas esse, vt vel per ignorantiam, vel per calumniam in suspicionẽ erroris alios vocantes, ipsi, non tam malè & leuiter reprehendendo, quàm iniquè criminando apud imperitos gloriam, & existimationem insignis cuiusdam eruditionis acquirant: arrogantes scilicet hanc sibi, quam alijs calumniando detrahant gloriam. Vt autem in præsentia verè, & rectè sentientem Galenum defenderem, & ab iniuria iniquæ reprehensionis ipsum vindicarem, duæ me causæ commouerunt. Quarum vna est, vt veritati ipsi ego patrocinarer, Galeni autoritatem defendendo. Altera, vt hoc quasi

exem-

exemplo commonefacerem ſtudioſos veri, ne absque demonſtrationis fide & methodo, quouis fuco argumentorum, & præſtigijs ſophiſmatum decipi ſe patiantur; quæ vna eſt ad confirmandos errores via expeditiſſima, & ſophiſtis ad decipiendum, fallendumque tritiſſima. Dabimus etiam operam, vt, cùm ante annos aliquot, libros quoſdam de Demonſtratione ediderimus (quos tamen inertes ſycophantæ quidam, & putidi inſolentesque ſophiſtæ contemptiſſimè, & ingratiſſimè ſint aſpernati) vt huius commentarij ſcripti quaſi exemplo quodam, præceptorum Apodicticorum vis, & vſus appareat: quorum ignari homines, non temerè profectò, verè, an falsò diſputetur quidpiam, iudicare debent: quandoquidem analyſis apodictica quaſi ars quædam ſit, ac diſciplina inueſtigandi & iudicandi vera omnia, quæ traduntur in ſcientijs, & ſine qua ferè ſunt referta erroribus, & perplexis rationibus omnia, ſine quibus perſpici verum nequit: cùm artificium, & quaſi lumen inueſtigandi latentem & abditam veritatem, ſit penes analyticam ſeu apodicticam artem. Sed ne lo-

gicis ambagibus demorer lectorem, paucis complectar, quæ de Rigoris symptomate explicare institui modò; vt quæ Galeni sententia vera de hoc, & quæ aliorum opinio falsa sit, liquidò conspiciatur, per omnia consentaneis & necessarijs argumentis ea probando, quibuscunq; demonstratione quadam opus fuerit. Quid itaq; rigor sit, primùm λόγῳ ὀνοματικῷ, seu ὀνοματώδει (vt Aristoteles appellat) explicandum erit. Sub genere symptomatis est rigor, & species est motus membrorũ contra voluntatem, quo concutiuntur, & quasi vibrantur minutis & breuibus motionis crebræ interuallis. Ab horrore differt vehementia & magnitudine. Nam remissior est horror. Symptomata hæc ambo omnibus sunt nota; quoniam sunt φαινόμενα, & incurrunt quidem in sensus omnium: causa latet, & in quonam primo symptoma illud subiecto insit, ambigitur. De Subiecto prima est quæstio; de causa rigoris, quæ, aut qualis sit, deinceps explicandum. Nam tribus his cognitis modò dictis opus est in omni demonstratione. Subiectum, in quo primò inest proprium πάθος, aliàs sensu notũ, aliàs ignotũ sensu

exi-

existit. De primo subiecto quæritur, & nõ eo, cui mediatè πάθος insit. Nam quòd sentientibus partibus rigor insit, manifestum est; an autem propter neruos affectos insit, & vtrum neruis primò insit rigoris πάθος; an verò primò insit calido natiuo, & propter calidum, postea partibus externis, haud satis constat, sed argumentis est explicandum. De causa rigoris posterius est cognoscendum, quę multò plus obscuritatis & controuersiæ habet, quàm de subiecto ipsius primo, disputatio. Quòd autem rigoris subiectum primum sint nerui, & propter neruos alijs partibus rigor etiam accidat, ex eo perspicitur, quòd rigor scilicet cum motu & sensu quodã est affectus cuiusdam contra naturam; qui motus & sensus sine neruis esse nequeunt: ambo .n. motus scilicet & sensus, primò in neruis insunt. Veruntamen multa πάθη alia & symptomata neruis contra naturam inesse cõstat; vt conuulsiones, tremores, tetanos, dolores omnis generis, stupores, paralyses, & si quæ sunt alia, quæ breuitatis causa prętereo: quorum omniũ, vt species, ita quoque causæ, à causis rigoris sunt distinguendæ.

CAPVT II.

RELIQVVM eſt, vt quæ cauſa ſit rigoris, conſideremus. Conſtat autem inter omnes, qui afficiantur rigore, eoſdem ſenſu frigoris dolorifici cuiuſdam vexari, & eo ſenſu ſublato, deſinere etiam rigorem. Ex quo concludendum, diatheſin frigidam dolorificam neruorum, immediatam, & primam, formalemq; (vt ſic loquar) cauſam eſſe huius ſymptomatis: in qua ſententia Galenus multis & varijs in locis ac libris perſiſtit, vt mihi nunquam (vt quorundam fert opinio) aliter ſenſiſſe videatur. Rigor porro morbidus (vt ſcribit Galenus in libro De quatuor motibus non naturalibus) diſtinguitur à non morbido, cauſis intra corpus aut extra exiſtentibus. Ergo *νοσῶδες ῥῖγος* à Galeno æquiuocè vſurpatur; aliquando ſcilicet pro diatheſi, ſeu morbo, quæ cauſa ſit concuſſionis huius membrorum crebris agitationibus vibratorum, nempe vſurpando, pro dolorifica refrigeratione: vt cùm in prius allegato libro rigorem definiens, ſcribit eum eſſe *κατάψυξιν ἀλγεινὴν μετά τινος ἀνωμάλου σεισμοῦ, καὶ κλόνου*: Id eſt, ſenſum refrigerationis eſſe cum dolore coniun-

ctum

ctum, cuius symptoma sit, inæqualis concussio membrorum. Aliàs vt symptoma definit, sic, vt sit motus membrorum, aut corporis totius inæqualis crebris & breuibus concussionibus vibratus. In alijs etiam eadem vocabula pro affectibus nonnunquam, & pro symptomatibus vsurpantur: vt Spasmus, Phrenitis, Melancholia, & alia complura, morborum & symptomatum eadem existentia vocabula. Satis dictum de vocabuli rigoris æquiuocatione.

CAPVT III.

AT de causa rigoris (quoad symptoma est) non idem videtur sentire Galenus. Etenim in libro De Motibus quatuor, dolorificum sensum, à figore excitatum in neruis, causam concussionis huius esse scribit; vt paulò antè ostendimus, nempe rigoris vt motus causam. Alijs verò locis, vt libro 1. De causis symptom. & libro 2. De crisibus, adscribit motum illum facultati excretrici seu expultrici neruorum; qui ad excutiendos humores calidos aut frigidos irritantes dolore quodam ipsos, & molestum scilicet illorum motum, & dolorificũ non tolerando,

rigore concutiantur, propter excretionem & reiectionem molestantium humorum; vt aliàs etiam naturalis facultas ad excretionem excitetur, à se repellendo, quibus molestari se percipit. Facultatem certè expultricem non esse animalem, sed naturalem, in confesso est. Quin etiam manifestum est, neruos & appetitum moueri & secundum naturam: & contra naturam multifariam moueri varijs morbis affectos neruos; de quo nemo est certè, qui dubitare possit. At illi, qui propter inhærentes morbos quibusque partibus accidunt motus, symptomatici simpliciter omnes sunt: nec illi verò, aut opus quoddam, aut energ(a possunt dici quædam facultatis naturalis, quæ, quoquo modo à causa non naturali ad excretionem excitetur, officium suum naturaliter tamen facit, nec symptomaticus ipsius talis motus dicitur, quando secundum naturam, suam (morbi expers) energ(an exercet, quantumuis à causa, præter naturam habente, ad excretionem irritetur. Proinde motus animales omnes, qui sunt in neruis & musculis, secundum naturam excitantur appetitu, & in potestate sunt arbitrij nostri.

Natu-

Naturales autem motus non ſunt voluntarij, externiſq; cauſis quibuſdam adminiſtrantur. Ex quo par eſt, vt intelligamus, omnes muſculorum motus violentos & inuoluntarios à neruis prouenire contra naturam affectis, & morbida diatheſi præditis: ſiue contra naturam quieſcant muſculi, vt in Tetanis, & propter ſummum frigus excitato affectu, qui ſimilis eſt catalepſi: ſiue etiam contra naturam moueantur, vt in ſpaſmis & rigoribus. Secundum naturã enim tonus & virtus ineſt neruis, qua poſſint ſe mobiles, & immobiles ſecundũ arbitrium noſtrum præſtare: cui virtuti morbida opponitur atonia, qua ipſis accidit, vt nec quieſcant, nec moueantur ſecundum naturam nerui malè affecti. Hoc loco differentias naturalium motionum, & quietũ non explicabo, tanquam omnibus notas: vt quæ à grauitate & leuitate proficiſcuntur: aut quæ in corporibus animatis aliàs inſunt, & deſcribuntur φυσικαῖς δυνάμεσι: ſatis eſt enim, vt intelligamus in præſentia, quinam ſint proprij muſculorum, nõ tantùm ſecundum naturam, ſed etiam contra naturam affectorum motus & quietis. Demonſtratum eſt hactenus, rigoris motum

Motus neruorũ inuoluntarij à facultate naturali expultrice nõ exercẽtur aut excitantur.

ſymptomaticum eſſe, nec proficiſci ipſum à facultate naturali muſculorum aut neruorum per ſe; ſed à quadam morbida diatheſi, quæ tonum naturalem harum partiũ deprauans, rigorẽ hunc in membris commoueat. Vt ergo neruorum affectus quidam eſt, qui neruis accidit, quo tetani & ſpaſmi ſymptoma prouenit; ita quoq; diatheſis morbida neruorum eſt, qua rigoris ſymptoma definiendum erit. Neceſſe igitur eſt, huius ſymptomatis vt aut cauſa ſit dyſcraſia, aut vt ſit cauſa ſolutio quædam vnitatis neruorum. Omnes enim dolorum cauſæ & affectus, quibus excitantur dolores, his duobus generibus continentur. In omni rigore ineſt ſenſus dolorifici frigoris. Illius ergo ſymptomatis frigus neruorum dolorificum, ſecundum Galenum, cauſa erit, cuius ſignum etiam eſt; cũ rigores diſſolui, ex calfactis neruis experiamur. Veruntamen non vna cauſa eſt, qua refrigerari neruos contingat: nec dyſcraſia quęlibet neruorum frigida rigorem conciliat: ſiquidem, autore Galeno in lib. De 4. motibus, eius cauſa non eſt, neq; ψυχρὸν οἰδηματῶδες, aut ναρκῶδες, aut παραλυτικὸν, aut ὑδαρῶδες. Quale igitur, & qua cauſa

causa excitetur rigor, nobis explicandum erit. Causæ quædã frigoris sunt per se, quędam per accidẽs: quædam priuatiuæ, nonnullæ positiuæ. Frigida per se refrigerant, vt pituita, in primis acida, delata ad neruos. Calida quædam, vt biliosi humores, per accidens, nempe acrimonia sua stimulando neruos, & mordicando dum eos affligũnt. Aut si calor aliàs per antiperistasin frigus in terra cogit, per accidens terram dicitur refrigerare. Præterea sol discessu suo à nobis, priuatiuè dicitur refrigerare: Item influens cum sanguine calor cordis, ab exterioribus ad interiora delatus, exteriora, vt neruos & musculos, priuatiuè refrigerat. At positiuè deinde refrigerantur, aut suapte natura, vt terra, & aqua, & neruosum genus omne, eo scilicet quod calefacit, remoto: siquidem influens vitalis calor est ipsis aduentitius, & ἐπίκλητον quiddam, respectu eorum, quibus influit: qui solus nimirum, & primus φύσει calet, reliqua autem omnia sint φύσει frigida: in quibus etiam est sanguis, quem Hippocrates & Aristoteles φύσει frigidum esse pronunciant. Natura autem internum, & essentiale est principium motus rei, istud nimirum, in

quo ineſt (ſi non impediatur) mouens, aut alterans. Aliàs poſitiuè, ſed non φύσει refrigerari dicuntur, quæ contagione frigidorum calore priuantur.

CAPVT IIII.

DICTVM eſt de cauſis, quibus frigeſit quidpiam; nunc deinceps φαινόμενα nobis exponenda, quæ in rigoris ſymptomate manifeſtè ſenſibus occurrunt. Frigus cum dolore ſentiunt, qui rigent. At doloris cauſa, vehemens quidam motus: aut ſi non vehemẽs, repentinus tamen exiſtit, quo nerui afficiuntur refrigerati. Nullus porrò dolor ſine ſenſu eſt: quocirca in rigore συναίσθησιν quandam eſſe oportet, quæ propria ſcilicet eſt communis ſenſus. Alterum eſt φαινόμενον, quòd in pleriſq; rigoribus, extrema refrigerata percipiuntur, & quòd calor influens ab exterioribus, verſus interiora impetum facere videatur.

Duorum quoq; principalium membrorum, nempe cordis & cerebri, mutuã ſympathiam cernere licet, qua nimirum neruis affectis, non modò cerebrũ, ſed ipſum cor etiam ꝓpter cerebrum, in quo eſt συναίσθησις, affici videmus: & viciſſim, corde affe-

affecto, aliàs ab exterioribus ad interiora concitari ſpiritum vitalem cum ſanguine, aliàs ab interioribus ad exteriora, inſtar Euripi cuiuſdam, vltrò citroq́; fluctuantem ſpiritum impelli videmus. Ac ſpiritu quidẽ nihil, autore Ariſtotele, celerius mouetur, nec in natura quicquam mobilius eo exiſtit. His autem cordis motibus præſunt affectus animæ, quibus ipſa quodammodo ſeipſam anima commouere videatur, inſtrumento ſpiritus vitalis. Cæterum anima mouet appetitu, qui coniunctus eſt cũ ſenſu communi cerebri, cui τὸ ἡγεμονικὸν à Galeno adſcribitur: id ipſum Ariſtoteles & alij in corde eſſe cenſent. Anima appetens, cognoſcens aut ſentiens bonũ aut malum, afficitur: affectu illo impellitur, vt proſequens aut fugiens, loco ſeſe moueat, neruorum & muſculorum, ſpiritusq́; animalis inſtrumento & ope. Vehementioribus autem affectibus ſic mouetur cor ipſum, vt ſpiritus vitalis vnà cum ſanguine interdum magno impetu ſe verſus exteriora profundat: qualis motus eſſe cernitur iratorum, aut magna lætitia & gaudio geſtientium. Contrarij affectus, vt metus & triſtitia, dolor & ſimiles, verſus interiora, & ad cor, ſpi-

Ariſt. lib. 2. meteor.

Galen. libro 12. method. & lib. 2. de cauſis ſympt.

ritum cum ſanguine reuocant: qua reuo-
catione exteriora refrigeſcere cōtingit pri-
uatiua refrigeratione; de qua paulo antè
dictum. Robur autem & tonus neruis in-
eſt, non modò nutritionis vigore valentib.
ſed etiam propter calorē, neruis & neruo-
ſis partibus influentem; quo differunt ab-
undantiore etiam robuſtiores ab infir-
mioribus. Ex numero eorū, quæ infirmis
propter frigus neruis accidunt, eſt etiam
ſymptoma rigoris: cuius efficientes cōplu-
res ſunt cauſæ: vna tamē duntaxat forma-
lis eſt, & συνεκτική, nempe refrigeratio, do-
lore quodā afficiens ſenſum, tametſi dolor
absq; ſenſu eſſe nequeat. At frigus ſtuporē
concilians, in rigore non erit, multò minus
ſi penitus ſenſum & motum perimat. Fri-
gus tamen mediocre haud erit, ſed tantū
vt doloris ſenſum in neruis excitet. Sunt
multi & varij in neruoſis dolores, qui ta-
men cum frigore non ſunt coniuncti: ſed
illi ſunt, in quibus verſus interiora calidū
influens ab exterioribus reuocatur. In qui-
buſdam enim doloribus cor ſic afficitur, vt
ad locum doloris ſpiritum cum ſanguine
protrudat συμπαθείᾳ quadam, ſuppetias ſc.
laturum patienti loco. Sunt ingentes qui-
dam

Gal. lib. 13 meth. & lib. 5. Apho. comment. 53.

dam dolores, vt ſpaſmi, aut coli, in quibus cor profuſius calorem ſuum influentem neque ad exteriora promouet, aut ad patientem locum, neq; etiam laborãtibus partibus magno impetu & refluxu ſubtrahit eum, quem habent ſpiritum & ſanguinem, in medio caloris, & frigoris laborantibus partibus exiſtentibus, ſuapte natura exanguibus & frigidis. Alioqui propter magnitudinem doloris, calore ad cordis penetralia reuocato, ægrotantes interdum ſyncopa, non rigore corripiuntur: aut prouocant facultatem vitalem cordis, dolores, vt verſus locum dolentem magnam copiã ſpiritus vitalis, & ſanguinis mittendo, affluentia inutilium quantitate humorum ipſum impleat & aggrauet, quę proportione agẽtium & patientium partium fieri conſueuerunt, vt affluxus ille maioris aut minoris doloris ſit cauſa. Quibus perſpicuum eſt, non quolibet dolore ſpiritum, aut calorem influentem vnà cum ſanguine, cum impetu vel affluerę ad neruoſa loca, vel refluere: nec quoduis frigus neruoſarum partium cauſam eſſe horroris aut rigoris, ſed dolorificum, id eſt, cum quadam συναισθήσει coniunctum, quæ συναίσθησις, tanq̃ πάθος

quoddam ψυχικὸν, vim habeat ſpiritum & calorem influentem cordis compellendi verſus interiora, & excitandi præterea fluctuationem hanc internam caloris, verſus interiores & exteriores partes corporis. Spiritus animalis igitur, qui propter externos ſenſus communi ſenſui, nempe συναισθήσει adſcribitur, motus illos cordis & caloris, ſpirituumq́; vitalium ciet: & pręcipua quidem cauſa non eſt dolor (quoad ipſius ſenſus quidam exiſtit) alioqui in doloribus omnibus Euripum illum ſuſtineret cor fluctuantis ſpiritus: ſed quoad συναίσθησις ipſius συμπαθείᾳ quadã cor afficit, qua ſpiritum ſuum aut diffundit, aut cõtrahit hac συναισθήσει. Veruntamen pro eo, vt temperatum eſt cor, aliàs facilè, aliàs difficulter mouentur ſpiritus cordis affectibus, quæ differentia etiam mobilitatis vulgò eſt nota. Experientia oſtendit, metu & terrore perculſos horrere, reuocato verſus cor calore influente, & extrinſecus refrigeratis ſubitò neruoſis partibus; cuius refrigerationis ſenſu corpus inęquabili concuſſione laborat, ſiquidẽ ſentiatur frigus illud: quoniam eſt, vt diximus, rigoris συνεκτικόν: illud αἴτιον refrigerationis illius ſenſus.

CA-

CAPVT V.

RESTAT vt declaremus etiam causam, qua proueniat priuatiua hæc subita refrigeratio neruorum, & ab exterioribus ad interiora aut sensim, aut cum impetu sese receptet spiritus cum sanguine. Huius etiam vna est causa formalis: plures autem existunt efficientes. Extra neruos sunt rigoris causæ, & quæ tamẽ in substantiam eorundem non subeunt aut penetrãt: quibus aut positiuè refrigerantibus, molestum frigoris sensum percipiunt (cùm frigus neruis sit inimicum: in primis scilicet facultati sentienti, aut mouenti infestum) aut humorib. acribus existentibus, & quasi morsu quodam pungẽtibus, & vellicantibus (præsertim si aut illorum (vt in febribus) extra venas humorum, aut corporis quædam agitatio (vt in lassitudine spontanea) accesserit) constãte scilicet & permanente huius molestę afflictionis sensu, prõpter afflictionis συναίσθησιν: qua nimirum propter cerebrum cor συμπαθείᾳ quadam afficitur (quę sit instar affectus psychici cuiusdam vehementis, quo perculsum cor ostendimus suum calorem agitare, suósque spiritus cum sanguine interno motu vehe-

mentius concitare) & spiritum scilicet vitalem cum calore influẽte ab exterioribus ad interiora receptum habere contingit: & quæ per se calida existens, non nisi priuatiua tamen, & per accidens causa refrigerationis neruorum existat, quam postea rigor sequatur. Et quamuis frigida causa positiuè, & per se neruos interdum refrigeret, rigoris tamen efficiens per se causa non erit, nisi propter molestiæ huius συναίσθησιν ab exterioribus versus interiora calor & spiritus cordis cesserit: quam scilicet priuatiuam refrigerationis neruorum esse causam, superius est dictum. Aliàs positiua refrigeratione alia quædã πάθη neruis accidunt, vt stupores, ἀναισθησίαι, magni dolores, & si quæ sunt his similia, in quibus sympathia cordis non ex necessitate inest, quamuis propter dolores nonnunquã inesse possit: qui tamen propter Lipothymiã dolores non sentiantur, nec refrigeratio hęc sentitur etiã, alioqui horror nõ abesset. Quę dicta sunt, conferamus in pauca. Propter ψυχικὰ πάθη, & subitò exteriora refrigerari, & corripi horrore homines experimur. Quin etiã horrent certo quodã modo affectis neruis (qui affectus instar quoddã habent

Priuatiua refrigeratio est per se causa rigoris.

ψυχικὸν πάθος est, quo spiritus vitalis a-

habent τῦ ψυχικῦ πάθους) vt quibusdã aut subitis, aut durantibus parumper per frictionũ causis: quæ proueniant aut frigore in neruis, aut acrimonia quorundã humorum irritatis, doloremq; sentientibus neruis, ꝓpter motum rodentiũ: spiritus caloris vitalis à neruis refugiens, de repente (nã mobilius nihil est) horrorem mox incutiat corpori illa συναίσθησις frigoris huius; ita tamen, vt quidã sint momentanei, alij verò durabiliores sint horrores, pro differentia causarum efficiẽtium: cùm vna sit tantùm formalis causa omniũ horrorum. patientis autem cordis multiplices & variæ sint differentiæ, ratione temperamentorũ, & effectrices etiã causæ cõplures sint horroris. In physicis demonstrationibus conclusa, seu demonstrabilia proposita, ꝙ vera sint, & ꝙ ita se habeant, φαινομένοις certè probantur. Deinde argumẽtis etiã demonstrant, quorum fides principiorũ colligitur ex his, quæ cõsentanea sunt φαινομένοις. In hac ꝓposita demonstratione φαινόμενα sunt. In rigore sc. dolorẽ quendã percipi, aut à frigida, aut à calida causa: illo dolore autẽ sic affici cerebrũ (ratione sensus cõmunis) vt dolore illo, ꝑ συμπάθειαν cordis, spiritus vitalis versus

gitatur ad cor, & extra à corde pellitur.

Aliud est αἴσθησις doloris, & aliud συναίσθησις doloris cũ refrigeratione.

Arist. lib. 1. de partib. Animal.

interiora feratur. Quoniam in magnis horroribus (quod est φαινόμενον) corpus exangue etiam conſpicitur. Præterea conſtat etiam ceſſione hac verſus interiora ſpiritus vitalis, & caloris oboriri συναίσθησιν refrigerationis neruoſarum partium, cuius συναισθήσεως ſymptoma ſit horror & rigor. His cauſis omnib. aut demonſtrandũ, aut definiendum erit ſymptoma rigoris, & refellenda omnia, quę contrà adduci poſſunt falſa argumenta: aut ambigua & perplexa diſſoluenda, ſi ſpeciem inſtantiæ videantur habere.

CAPVT VI.

PRIMA igitur, & continens, formaliſq; cauſa eſt rigoris, ſenſus dolorificæ refrigerationis in extremis partibus: quæ refrigeratio prouenit, vitalis caloris verſus cor, ſeu propinquas cordis venas receſſu παρὰ φύσιν.

Quòd autem correptis ſyncopa (quæ verſus cor calorem & ſpiritum repellit) frigeſcentibus externis partibus, rigor non accidit, in cauſa eſt, quòd in deliquio animi ſenſus aut συναίσθησις hęc non eſt, qua frigus illud percipiatur aut ſentiatur; quòd ipſum

ipſum diximus continentem cauſam eſſe rigoris. Nam cùm ſit frigus dolorificum, ſine ſenſu ſcilicet eſſe nequit. At ſine ſenſu eſt frigus illud, vtriſq; extremè laborantibus principalibus partibus, corde ſcilicet & cerebro. In primis enim communi ſenſu deſtituuntur laborantes ſyncopa (propter cauſas dictas) qui nimirum ſenſus eſt ſenſionum. At in Lypirijs & ardentibus quibuſdam peſtiferis febribus, propter internam inflammationem, dum inflammata pars ad ſe, & circum ſe, eum, qui in partibus externis eſt, ſanguinem pertrahit, externas partes refrigerari accidit cũ horroris quodam ſenſu. Quòd propter frigus illud nerui rigent, duæ ſunt cauſæ: vna, quòd in his febribus, propter ſympathiam cordis, extremæ partes admodum algent: altera, quod huiuſmodi febres, quamuis ſint continuæ, febrilem calorem tamen non diffundunt ad exteriora, cùm ſine naturali calore febrilis non poſſit diffundi. At naturalis in interioribus & penetralibus continetur. Similis eſt cauſa ſenſus ſimul caloris & frigoris in Hepialis febribus, à quibus differunt Lypiriæ, quòd in his (vt Galenus inquit in libro De inæquali intemperie) inæ-

4. Apho. part. 48.

qualis hæc intemperies maioribus portionibus accidit: in illis minutius atque exilius diuisis refrigerantibus & calefacientibus humoribus, simul friget horretq;, & calet corpus ægrotantis.

Sed forsan dixerit quispiam, in spasmis (siue eueniant per idiopathiam, siue per sympathian) maximus sanè dolor percipitur, quem tamen dolorem rigoris non esse causam, manifestũ sit. Dolor, si non sit coniunctus cum sensu refrigerationis, quã faciat cessio caloris vitalis versus interiora, horrorem aut rigorem non efficit, vt suprà diximus. At magnos tamen dolores consequitur interdum caloris influentis versus exteriora profusio; vt memorat Galenus accidisse cuidam adolescenti, propter bilẽ æruginosam existentem in ore ventriculi, correpto spasmo, & simul etiam febri. Et aliàs quartanæ febres, aut simpliciter febres spasmis salubriter superuenire solent, autore Hippocrate. Itaq; magni neruorũ dolores interdũ in causa sunt, vt calor & spiritus cordis versus exteriora se profundant: aliquando etiã in causa sunt, vt syncopa afficiantur ægrotãtes, versus interius reuocatione sanguine. At rigorem tũ non esse ostendimus,

5. Aphor. par. 70.

4. Aphor. par. 57.

dimus, quando non ſit algoris συναίσθησις, quæ conſenſio per ſyncopem cordis impeditur. Quin etiã magni dolores fluctuationes nonnunq̃ humorum concitãt, vt vel ad principalia loca ferantur, vel alios quoſdã affectus creent; quorũ mentionem Hipp. facit in Aphoriſ. Irritata etiã nonnunq̃ expultrix facultas dolentium locorũ, morbificam materiã, & cauſam dolorũ p occulta loca transfert ad neruos: qui ꝑꝑ imbecillitatẽ, & quia ſunt magis obnoxij, ꝑꝑ frigus naturale, morbis, facilius receptant aliarũ partium excrementa; vt fit nonnunq̃ in colicis, quibus paralyſis ſuccedit ꝓpter materiæ morbificæ expulſionẽ ad neruos: calidiores. n. φύσει partes magis reſiſtunt, & acrius cauſas morborum repellunt. Sunt aũt nerui, & neruoſæ partes multis morbis expoſiti: quoniam, vt Hippoc. inquit, & propterea ꝙ frigidiores ſunt, & ꝙ minus laxa ſubſtãtia eorundẽ ſit: iccirco, vt inqt Hipp. νόσημα δ' ὅτι ἂν ἐς αὐτὰ ἐλθῃ ῥώννυται, καὶ ἀτρεμίζει οὗτω αὐτῷ, καὶ χαλεπόν ἐστιν ἐξάγειν, cũ in humorib. & ſanguineis partibus, atq; calidiorib. facilius morbi concoquant, aut diſcutiãtur ꝑꝑ cauſas cõtrarias. Quãobrem neq; vehementib. neq; ſtabiliter fixis dolo-

5. Apho. par. 65.

Hipp. in libro de locis in homine.

rum causis, rigor excitatur: sed motū duntaxat, & quasi irritationem quandam habentibus, repulsi ad interiora caloris à corde promanantis.

Quare nec quæuis Icteri causa rigorifica est. Nam nisi propter crisin syncera bilis, & non mixta cum sanguine, ad neruosa loca cum impetu quodam deferatur, horrorem non excitabit, vt sese maximè per cutem bilis cum sanguine mixta diffundat. Nolo pluribus verbis commemorare, quæ de causis efficientibus horrorem aut rigorem, scripsit Galenus in lib. 2. de crisibus, & libro 10. methodi curandi, & pluribus alijs locis; præsertim de causis symptomatum, & libro de quatuor contra naturam motibus, cum sint in promptu, & legi ab omnibus possint.

CAPVT VII.

HACTENVS planè, vt opinor, & perspicuè demonstratum est, formalem causam rigoris esse sensum frigidi doloris: & frigus illud in neruis ꝓuenire, quòd calor scilicet influens, propter certas causas, irritantes recessum spiritus vitalis, ab exterioribus ad penetralia cordis refugiat.

Sunt

Sunt tamen nonnulli, qui frigus illud neruorum, ratione doloris συνεκθλίψεως, negent primam & continentem esse causam, sed caloris influentis reciprocam agitationem esse causam principem censent, cuius quassatione & concussione reciproca (vt si quis ariete feriat murum) simul etiã membra exteriora cõtingat rigore concuti, propter συμπάθειαν hanc neruis perculsis, & motum hunc prorumpentis ad exteriora caloris adiuuantibus: in qua sententia sit etiam Galenus in libro de quatuor motibus, Platonis de rigore interpretãs opinionem. Arbitratur etiam Cardanus ita sensisse Galenum, vt calorem influentem, ab interioribus ad exteriora, & cum impetu erumpentem putet vibrato motu illo concuti simul membra rigore. At Platonem ita sensisse de causa rigoris, non autem eius opinionis interpretem Galenum, deinceps planum faciam. Dum in libro de quatuor παρὰ φύσιν motibus Galenus causas eorundem inuestigat, de rigoris efficiente, & formali causa dicturus, reprehendens Medicos quosdam, vt Anaxagoram, Asclepiadem, Philotimum, Erasistratum; Platonem scilicet philosophum, & non medicum exi-

Confutatio erroris illorum, q rigoris causam dicũt agitationem seu fluctuationẽ sanguinis, q inquiete fluctuet in paroxysmis.

4. Aphor. part. 58. com.

Cardani error reprehenditur.

ſtentem, magis conſentaneè, ſolertiusq; & artificioſius cauſas rigoris expoſuiſſe, probare conatur, quàm methodi apodicticæ ignaros medicos illos, qui nec ſubiectũ primum huius ſymptomatis expoſuerint, nec quo morbi affectu, nec qua cauſa efficiente huius affectus, & quomodo reliquis omnibus habentibus circũſtantijs rigor oboriatur, docere potuerint. Ad quæ omnia reſpicientẽ Platonem, deſcripſiſſe cauſas rigoris, legibus & præceptis apodicticæ inſiſtentem; vno hoc deſtitutũ, ꝙ alienis, & nõ Medicis hypotheſibꝰ, & principijs per φαινόμενα cognoſcendis, ſuas rationes fundarit. Nihil. n. ille de neruis, nec de cauſis motus & ſenſus, quemadmodũ nec Ariſt. compertum habuit. Quo factum eſt, vt in his nihil vernaculis & οἰκείοις, ſed cõmunibus duntaxat, & logicis rationibus φαινομένων cauſas explicarent. Laudantur ambo, quòd ἔμφυτον θερμὸν eſſe in animalib. dixerint: q̃d negantes Medici quidam, omniũ demonſtrationum in arte hac fundamentũ euerterunt. Caloris huius principatũ cordi Plato & Ariſtoteles adſcribunt. Plato autẽ in Timæo, ꝙ alternis in febribus ſc. cordis, ſanguinisq; calor, modò refrigeretur, dein-

de in-

de incaleſcat, & motibus reciprocis extra & intra fluctuet quaſi, & agitetur, cauſam exiſtimat eſſe, partes ipſius frigidas & terreſtres, & tenuitatẽ atq; feruorem flauę bilis, vnde motum ſuum habeat. Terreſtres, craſſaſque ſanguinis partes appellat, ἶνας, quarum cauſa Ariſtoteles docet, ſanguinẽ propter frigus concreſcere. Propter bilem autẽ incaleſcere & diffundi ſanguinẽ Plato arbitratur; vt his cauſis caloris & frigoris, tanq̃ contrarijs, alternis & viciſſim vincentibus, & victis, & turbidis, atq; in ſedatis mo tibus, ſanguinẽ intra venas agitantib. accidat vniuerſum quoq; corpus in febribus, rigoribus cõcuti; patiente nimirũ calido influente has immoderatas fluctuationes, ꝓpter expoſitas modò cauſas, calorẽ & frigus in ſanguine excitãtes. Hæc in præſentia attigiſſe ſatis eſt; cognoſci plenius iſta poſſunt ex ipſo Galeno, qui eſt in omnium manibus. Et licet calor influẽs receptu ſuo verſus penetralia cordis cauſa ſit efficiẽs, nõ tamẽ eſt cauſa formalis rigoris. Iccirco Galenus copiosè & accuratè de cauſis motus calidi interni & vitalis, quibus nimirũ accidat ipſum, & ad interiora ſubeuntẽ, relictis partib. exterioribus, priuatiuè refrigerare

neruos: & rurſus, impetu & vi exterius ſe proferentem, & frigus & rigorem, calefaciendo diſcutere poſſit. Demõſtrat autem ignem ſuapte natura ἀεικίνητον quiddam eſſe, ratione, qua perpetuò ſusq; deque moueatur. Huic naturali ipſius motioni, finitimum quoq; illum eſſe motum dicit, quẽ nonnunquam habet παρὰ φύσιν in morbidis quibuſdam affectibus, quibus nõ ſenſim, ſed affatim, & quaſi violenter, aut verſus interiora impetu quodã feratur τὸ ἔμφυτον θερμόν, ſuppreſſione quadam in ſe ipſum collectũ: aut efferens ſe, & prorumpens, diffundat ſe ampliori & liberiori ſpacio, à pabulo ſeu fomento quodammodo ſuo longius recedens. Priorem motum, σύνδυσιν, poſteriorem autem ἐξάπλωσιν Galenus de ſententia Heracliti nominat. Vtriusque autem immodica exuperantia aut extinguitur, aut vim patitur flammeus ignis. Nam ſyncerus ille non eſt, ſed in aliena materia accenſus ignis, qui niſi fomentũ perpetuæ exhalationis habeat, extinguitur, conſumitq; & conſumitur, euaneſcens perpetuò: non autem verè nutritur, ſiquidem ſemper alia atq; alia eſt flamma, quæ tamen vna videtur eſſe, propter

conti-

continuitatem fluxus, similis aquæ profluenti ſemper. Quòd autem nutritur, idem ad numerum manens reficitur & conſeruatur. Cùm autem propter fluxum, & ῥεῦμα ſuum ſemper generetur ignis, ex contrario, nempe ex frigido ipſum generari oportet, ratione cuius, κάτω σωὔνδυσιν & nutrimentum dicitur habere ignis, vt qui ſine pabulo eſſe non poſſit. Nutrimentum autem eſt contrarium, priuſquam induat formam nutriti. Omnium principium hoc nomine ſtatuit Hippocrates eſſe aquam, & ignem, in libro de Diæta; ſiquidem is eſt Hippocratis, (plerique enim dubitant, & præſertim Galenus) & non alterius cuiuſdam philoſophi. Sic ille: τὸ μὲν γὰρ πῦρ δύναται πάντα διὰ παντὸς κινῆσαι. τὸ δὲ ὕδωρ, πάντα διὰ παντὸς θρέψαι. ἐν μέρει δὲ ἑκάτερον κρατέειν, καὶ κρατέεται ἐς τὸ μήκιστον, καὶ ἐλάχιστον, ὡς ἀνυστόν. Externo huic igni animalium inſitus calor ſimilis admodũ eſt, quo anima, tanquã inſtrumento quodam, ad vegetandum nutriendumq; corpus vtitur; cuius etiam multa πάθη morbida eſſe conſueuerunt, nec ſine huius ad penetralia ab exterioribus repulſione & regurgitatione rigor efficitur. Quo factum etiã eſt,

Ariſt. lib. 2. Meteo.

vt hoc in libro Galenus copioſius & accuratius naturam inſiti caloris declararet, cuius tamen reciproci motus huius cauſam aliam dicit eſſe, & non eã, quam Plato attulit: ſed quã poſterius expoſuit ipſe Galenus, cùm ſcribit, Rigoris cauſam eſſe ſenſum doloris, excitatũ refrigeratione neruorum, q̃ refrigeratio proueniat ex influentis caloris verſus interiora regurgitatione. Deinde, quæ cauſa etiam ſit huius repulſionis, non Platonicè, ſed medicè demõſtrat. Cauſam aũt rigoris dicit continentẽ eſſe κατάψυξιν ἀλγεινὴν, μετά τινος ἀνωμάλου σεισμοῦ, καὶ κλόνου παντὸς τοῦ σώματος. Et hoc modo φαινόμενον omnibus conceſſum & notum principiũ futuræ demonſtrationis, & non illud Platonis falſum ex fallaci cauſa cõcluſum, quo ſtatuit, Rigorem eſſe vibratũ corporis motum, prouenientem à celeri vehementiáq; impetu, crebris vicibus ſuo robore ſe expandentis, ac mox iterũ in profundũ intrò repulſi natiui caloris cũ ſanguine. Hunc ſenſum Cardanus & alij nõnulli falsò affingunt Galeno, Cardano reprobante illum, vt alienũ à vero; alijs approbantibus vt conſentaneũ, & non abhorrentẽ à Platonis ſentẽtia, vt qui ipſe etiã (quemadmodum

dum Galenus) Rigorem dicat esse πάθος calidi natiui seu insiti, qđ ei accidat ꝓpter motus contrarios, quib. ad interiora & exteriora reciprocetur cũ impetu. Et hæc apud Platonẽ formalis est causa rigoris, apud Galenum est efficiens & πϱοηγέμενον αἴτιον. Nam ἀλγ{ει}νὴ κατάψυξις est continẽs & proxima, seu formalis causa huius symptomatis Galeno: quoniã hæc Definitio rigoris causæ, qua dicit esse κατάψυξιν ἀλγεινὴν μετά τινος ἀνωμάλου σεισμοῦ, καὶ κλόνου πάντος τοῦ σώματος, est hypothesis, & principiũ futuræ demonstrationis, qua probatur motus rigoris sic infirmatis neruis ꝓuenire, vt liquet diligenter oĩa considerantibus. Deinde de causa efficiente proxima huius dolorificę refrigerationis loquens, dicit eã refrigerationẽ esse caloris influentis, q̃ ipsa quoq; refrigeratio in exterioribus partib. sit testata, tanq̃ φαινόμενον quoddam sensu & experiẽtia. Mox causam etiã formalem huius refrigerationis priuatiuã, definit impetu repulsionis sc. ab exteriorib. versus interiora caloris influẽtis. Qui calor, vt positiua est cã caloris in partib. externis, ita retrocedens, est cõtrarij frigoris cã priuatiua, nẽpe causa ꝑ accidẽs, vt euersę nauis absens

nauta. At ipſum refrigerari intrò repulſum ſanguinem, non eſt neceſſe, cùm in febriũ acceſſionibus propter hanc cauſam maxima ſitis interdum vexet ægrotantes, aucto interius videlicet calore; vt alibi teſtatur Galenus. Itaque ipſius caloris in ſanguine exiſtentis formaliter πάθος non eſt refrigeratio hæc, ſed exteriorum eſt partiũ, quoad ceſſio hæc ſanguinis, cauſa eſt priuationis caloris influentis, in externa parte corporis abſentis. Plato refrigerationem hanc, & calorẽ viciſſim permutata, formaliter in ſanguine dicit eſſe: quæ ſententia, cùm medica non ſit, nequaquam probatur Galeno.

CAPVT VIII.

REPREHENSIO deinde ſequitur quorundam Medicorum, qui negantes ἐπίῤῥυτον θερμὸν, cauſam huius refrigerationis extremarum partium exponere nullo modo potuerunt. Confugiunt nonnulli ad calidum externum, quo ſymptoma hoc proueniat. Nam bilem (qui ſit calidus humor) rigoris ſymptoma dicunt efficere in neruoſis partibus, qua pungat & ſtimulet acrimonia ſua partes illas, non autem refri-

Alius quidam error reprehenditur.

refrigeret. At frigus in rigore ſentitur, (vt diximus) dolorificum. Bilis autem refrigerare non poteſt, ſi continens & poſitiua cauſa dicatur eſſe rigoris. Nihil enim eſt, quod poſitiuè magis calefaciat in corpore animalis, cùm ſit calidiſſimus humor bilis. Quocirca, ſi bilis refrigerat, per accidens refrigerabit, nempe diffuſum ἐπίῤῥυτον calorem in exteriorib. neruoſis partibus, ad interiora, & ad fontem caloris (quo calefiunt omnia) ꝓpter ſtimulationis illius moleſtum ſenſum, & propter συμπάθειαν cordis cum cerebro, reuocando introrſum. Quando igitur Galenus ſcribit RIGERE, id eſt, τὸ ῥιγοῦν eſſe πάθος τοῦ κατὰ φύσιν θερμοῦ, de cauſa efficiente priuatiua, & nō poſitiua, multò minus de formali (quoad ſanguini rigor inſit) eſt intelligendum: quod demonſtratio ipſa, & cōtextus Galeni verborum ſatis ſuperq; demonſtrat, ſi diligenter omnia conſiderentur, quæ ſcribit. Quãobrem ſic accipiendum eſt, quando Galenus ſcribit, Rigorem eſſe πάθος caloris naturalis, vt nihil aliud, quàm ab omnibus conceſſum & confeſſum φαινόμενον proponere voluerit. In rigore enim ceſſione verſus interiora caloris naturalis, refrige-

ſcere exteriora, & oculorũ, & tactus etiam ſenſu manifeſtum eſt. At de ceſſione, & motu illo, quo introrſum fertur calor, & deinde extrorſum alternis vicibus cum impetu quodam mouetur iterum, quam cauſam habeat, quæritur: cuius agitationis cauſam aliam cenſet eſſe Plato, & aliam atq; diuerſam Galenus arbitratur eſſe. Eius vera explicatione, perfecta abſoluitur demonſtratio huius ſymptomatis. Hanc poſterius proponit Galenus cum proteſtatione quadam, ſuam ſcilicet & Platonis non eſſe vndiquaq; eandem ſententiam de cauſa rigoris. In eo autem ſecum Platonem facere, quando dicat, propter πάθος calidi natiui, quo alternis introrſum & extrorſum feratur, creari rigorem; ſed non hac ratione, qua frigus & calor alternis ſanguini (ſine quo influens calor & ſpiritus eſſe nequit) propter fibras, & bilem venà in ſanguine commixtas, accidat: ſed quoad per neruoſa loca diſperſi ſint frigidi aut calidi humores, quorum aſpero & moleſto ſenſu ſtimulati nerui, compatiente corde, exangues fiant exteriores partes & frigidæ: quod ipſum frigus poſtea continens,

Errant, q. Platonis & Galeni eandem ſententiã de cauſa rigoris opinantur eſſe.

tinens, & proxima cum effectu, nempe rigoris ſymptomate iunctiſſima cauſa exiſtat. Ergo in modo ambarum ſententiarum eſt diſcrepantia, cùm Plato non eodem modo, quo Galenus, rigorem πάθος caloris naturalis arbitretur eſſe: non enim tale cenſet eſſe, quale exiſtimet eſſe Galenus, quod facilè colligitur ex his Galeni verbis: ἐπανέλθωμεν οὖν ἐφ' ἅπερ ἐξ ἀρχῆς ὑπεθέμεθα, δεικνῦντες ΟἿΟΝ τι πάθος ἐστὶ τῆς ἐμφύτου θερμασίας τὸ ῥῖγος. Quod autem ſua à Platonis diſcrepet ſententia, his prodidit verbis: περὶ μὲν τῆς πλάτωνος δόξης, καὶ τῆς κατὰ τὴν ἐξήγησιν τῶν ἐν τῷ τιμαίῳ γεγραμμένων (Plato enim fuſiore & planiore explicatione Timæi Locrenſis ſcriptum eſt interpretatus.) ἰατρικῶς ἐπεσκεψάμεθα· νυνὶ δὲ ἡμετέραν ἀποφανούμεθα γνώμην. id eſt, De Platonis ſententia, quæ potuerunt medicè defendi (id eſt, medicis rationibus declarari) expoſuimus: nunc autem noſtram ſententiam declarabimus. In Græco vitium eſt ſcripturæ. Nam pro ἐπεσκεψάμεθα, ſcribitur ἀπεσκεψώμεθα: & pro ἀποφανούμεθα perperam ἀποφαινόμεθα legitur; quod ipſe verborũ le-

In libro de quatuor motibus παρὰ φύσιν.

gitimus ſenſus patefacit. Conantur enim quidam vitio ſcripturæ corrumpere ſenſum Galeni, quaſi de cauſis rigoris ambo idem ſenſerint. De vtriusq; opinione ſatis ſuperq; diximus. Reprehenditur Galenus iniuſtè à Cardano, quaſi dixerit, Rigoris formalem & continentem cauſam, eſſe caloris naturalis impetuoſam lationem. Si προηγουμένην, ſeu efficientem cauſam rigoris dixit, Cardane, verſus interiora receſſum caloris, q̃d mordes, aut laceras ipſum rectè ſentientem? Calumnia certè eſt, ſi hoc Galeno affingas, quòd aut dixerit continentem cauſam eſſe rigoris, receſſum illum ad interius caloris; aut caloris verſus exteriora lationem efficere concuſſionem hanc, quam nominat rigorem. Nulla ergo tibi iuſta cauſa fuit reprehenſionis, nec captandi gloriolam aliquam, qua tu rectius cauſam rigoris, quàm Galenus, expoſuiſſe poſſes videri Expanſione enim caloris verſus exteriora ſolui rigorem, & non fieri, Galenus paſſim fatetur. At verſus interiora ceſſione refrigerari exteriores partes, vt gerulis ſeu baiulis, ita quoq; Galeno notũ fuit; quia eſt φαινόμενον. De cauſa ceſſionis huius & repulſionis, quæſtio eſt. Hoc modo re

do refrigeratis partibus, ſenſu doloris huius excitari quaſſationem rigoris, & ipſum inter φαινόμενα numeratur. Nam ſic affectis frigore neruis vibrata hæc mobilitas propriè accidit, quemadmodum etiã alios motus, & alias quietes παρὰ φύσιν, ꝑpter cauſas alias morbificas neruis accidere videmus. Sponte noſtra per ſanitatem vibrare poſſumus membra. Ad rigorem autem impelluntur nerui cauſa hac morbida, de qua diximus: priuantur enim cauſa, id eſt, calore, quo naturaliter poſſunt quieſcere: quo remoto & ſublato, contra naturam triſti ſenſu frigoris quatiuntur. Motus autem & quies voluntariæ, ſecundum naturam neruis inſunt: cauſis non naturalibus contrarijs afficiuntur motibus & quietibus. Neruis igitur hoc modo laborantibus, propter cordis συμπάθειαν in profundum ſubmerſo calore naturali, propter frigus nerui rigore afficiuntur. In penitioribus autem partibus incluſus calor, ſe diutius intra continere nequit, propter natiuã mobilitatem, qua, niſi expanſione quadam diffundat ſeſe, ſuo proprio ſuffocatur, & reſtinguitur excremento ſeu fumo. Erumpit autẽ ad exteriora maiore impetu, ſi cauſa

non naturali collectus, & coactus in angustius ſpacium intrò conceſſerit. Sed tamen non ſubitò in neruis moleſtus humor, rigoris prima: ſed efficiens ipſius cauſa exiſtens, verſus exteriora erumpenti calori cedit. Quocirca crebris & alternis motibus, aſſiliendo quaſi, & iterum reſiliendo agitatus calor, tandem per meatus penetrans, & cauſam continentem, & præterea efficientem rigoris propulſans, ſimul etiam rigoris ſymptoma terminat, partibus externis rigore correptis, vndiq; calefactis, & calore illo cauſam eiuſdē paulatim profligantibus è neruis, ſeceſſione nimirum, & deſertione caloris huius influentis antea refrigeratis. Quæ cum demonſtratione rigoris omnia ſunt conſentanea, nec alia ſanè cauſa huius ſymptomatis poteſt deſcribi: ſiquidem ad omnia φαινόμενα reſpexerimus, quæ gubernare phyſicas demonſtrationes, & cauſarū veritatem quaſi collimare debent ad ſcopum veræ concluſionis: ſiquidem Apodicticis præceptis velimus obtemperare, & non ſophiſticis rationum confuſionum præſtigijs & tendiculis nos ipſos, & alios decipere. Itaque rigoris cauſam in neruis hærere ſcribit Galenus, quæ

Contrariorum ſunt contraria cauſæ.

quæ nimirum causa, affligens neruos, propter cordis συμπάθειαν, ab exterioribus partibus ad vicina cordi loca calorem vnà cũ sanguine depellat introrsum: vicissim autẽ calorem illum interius collectum, naturali vi, & expansione dilatatum, nonnihil facto impetu prorumpere ad exteriora: mox etiam dolorifico illo neruorum sensu eodẽ interius repulsum iterum quasi resilire luctantem, & ambigua contentione subinde cum causa morbifica rigoris decertantem: non quod caloris alterni insultus & resultus per se, & proxima causa sint vibrantis motionis in rigoribus: quam causam proximam, certum sit, esse ἀλγεινὴν κατάψυξιν, id est, dolorificam neruorum refrigerationem, secundum Galenum. Itaq; falluntur, qui reciprocam hanc caloris interni vibrationem per se, & continentem causam rigoris de Galeni sententia arbitrantur esse: cùm vnius non nisi vnum συνεκτικὸν αἴτιον esse queat; quod ipsum, secundũ Galenum, κατάψυξιν ἀλγεινὴν neruorum esse constat in rigore, & non caloris intrò, aut extra agitati reciprocationem. Nulla ergo causa fuit, propter quam Cardanus exprobraret Galeno ignorantiã causæ rigoris: quasi

nimirum excitari ſymptoma illud exiſti-
met Galenus, caloris natiui cum impetu
verſus exteriora eruptione: cùm tamen
manifeſtum ſit, hac expanſione & diffu-
ſione caloris in externis partibus non exci-
tari, ſed terminari rigorem. Negat Gale-
nus hāc eſſe rigoris cauſam: non enim ne-
ſciebat, nō fieri, ſed diſcuti rigorem, ad ex-
teriora diffuſo calore. In cauſa ficta, & quę
ad Platonem ſeu Timæum, quē interpre-
tatus eſt, magis ſit referenda (& cuius tu
falsò autorem ſtatuis Galenum) commen
tus tu Cardane es quoddam nouum cauſæ
rigoris aliud effugium. Dicis enim, nōn
propter expāſionem caloris rigore mem-
bra concuti, ſed quia vapor ille agitati ſan-
guinis pungat, & vexet neruulos, cogatq́ue
illos ſe contrahere παρὰ φύσιν, vt fiat aliàs
in his, qui acu pungantur. Hac expoſita
cauſa Cardanus per poſticum ſe (vt dicitur)
proripit. Prius diximus à Cardano affingi
Galeno falſam rigoris cauſam, qua opine-
tur fieri rigorem impetuoſa caloris natu-
ralis agitatione: quam reprehendens, non
Galenum, ſed ſuum proprium figmentum,
aut potius calumniam reprehendit. Nam
Galenus motum caloris illum, quamdiu ſit
reci-

reciprocus vibratione hac, ab afflictis neruis fieri, & ipſum (quamuis eo violēter fluctuet ſanguis) per ſe non moleſtare neruos ſcribit; inquiens ſcilicet, tantiſper illam durare caloris fluctuationem, καὶ ἐκ διαδοχῆς γίγνεσθαι, ἐφ' ὅσον μένεται τὰ λυποῦντα: id eſt, viciſſim fieri, atque alternis, donec maneant moleſtantes cauſæ. Quando enim nerui non amplius moleſtentur (quod accidit expanſione caloris) tandem rigorem deſinere inquit Galenus: & cauſam quoq; rigoris motus nullam amplius exiſtere in neruis, expanſione caloris profligatam. Quamdiu autem moleſtentur nerui dolorifico frigore, tam diu etiā durare fluctuationem hanc caloris influentis interni, donec vincens & erumpens neruos frigore & moleſtantibus cauſis liberet. Quatiuntur igitur non naturalibus motibus, & ſanguis ſeu calor internus, & prçterea etiam nerui. Sed nerui frigore dolorifico affecti, ſunt cauſa caloris interni, intra & extra reciproco motu agitati: & caloris tamen agitatio violenta hæc non eſt cauſa rigoris in neruis, vt Platoni viſum fuit, ſeu Timæo. Non enim, vt in terrçmotu exhalatio, corporaliter quatiens terram, tremorem con-

ciliat terræ, ita concuſſio hæc interni caloris ſubſtantiæ, neruoſa quatit, & percutit corpora ſua propria perculſione (vt viſum Platoni fuit) vibrans neruos: ſed qualitas frigida & moleſta neruorum huius concuſſionis cauſa exiſtit in rigore, & caloris influentis inſedati motus cauſa eſt verſùs interiora, συναίσθησις frigorifici doloris: expanſionis autem eiuſdem ad exteriora cauſa eſt propria vis caloris, qua penetrat & diffundit ſe propter inſignem mobilitatem & tenuitatem, qua nimirum ἀεικίνητον quiddam calor exiſtit, & quiete extinguitur, ignis naturam imitans.

CAPVT IX.

NON poſſum autem, quin fatear, Galenum ſemetipſum ſuſpectum feciſſe, dum Platonis errorem admodum veriſimilibus tuetur rationibus, propterea, ꝙ ipſum Apodicticæ methodi intelligentem & obſeruantem vult oſtendere. Hæc enim eſt Timæi de cauſis rigoris ſententia, qua ſtatuit, violentam caloris interni agitationem, qua cum impetu verſus exteriora feratur, ſed tamen idem impeditus crebrò ſubſiſtens & regurgitans, cauſis refrigeran-

gerantibus denuò cogentibus & repellentibus illum verſus interiora, tandem cum impetu reſilire, & concuti ſic, vt rigore vniuerſum corpus quaſſetur, quemadmodum modò diximus, vibrata motu ſuo exhalatione, vt ſimul contingat etiam terrã quaſſatam contremiſcere. Rectè autem Plato, quòd dixit, perpeſſum calidum naturale refrigerationem quandam in cauſa eſſe, vt rigore afficiatur corpus. Sed modũ & ſubiectum etiam refrigerationis illius (quod ipſe ſanguinem eſſe dixit: Galenus neruos & neruoſa) nõ ritè expoſuit. Nam quomodo, aut qua cauſa internum calidum, nempe ſanguis, violẽtis agitationibus commoueatur, expoſuit Plato falſis rationibus: quibus etiam fluctibus reliquum corpus concuti, & rigore vexari, propter impulſionem ſanguinis, ſit neceſſe. Sua diſputatione, quaſi aduocatus in mala cauſa defendens Timæum Galenus, quoad eius fieri potuit, probabiliſſimè cauſam ipſius Platonis expoſuit & defendit, qua Plato cenſet, Rigoris cauſam eſſe calidũ naturale, violenter agitatũ cauſis morbificis contrarijs, de quib. ſuprà dictum: quòd vna ſit frigore cogens ſanguinem, in quo ſanguine ineſt calidum

naturale influens: altera eſt cauſa, bilis ſci-licet concretionem illam frigoris diſſol-uens, & impetu quodam ad exteriora pro-pter calorem prorumpens ſanguis. Prius πάθος (inquit Galenus) Plato χειμῶνα ap-pellat, nempe τὴν ἐν τοῖς ῥίγεσι αἴσθησιν τῆς ψύξεως· τρόμον δὲ (nempe ſymptoma hu-ius ſenſus refrigerationis) τὸν ἀνώμαλον σεισμόν τε, καὶ κλόνον. Quo loco Galenus & Platonem, & alios Medicos reprehendit, qui tremorem ſeu τρόμον pro parte defini-tionis rigoris vſurpent, cùm tamen tremor ſpecie à rigore differat, vt nec genus, nec differentia rigoris eſſe poſſit τρόμος. Sen-ſum frigoris Plato prouenire dicit à refri-gerato propter fibras ſanguine: ſed tremo-rem, id eſt, quaſſationem totius corporis, (quæ tamen rigor propriè debeat, & non tremor appellari) à concitato motu, & im-pulſu calidi naturalis verſus exteriora, ob-oriri ſtatuit. Reprehendit autem Carda-nus (vt mihi videtur) ineptè, & inconſide-ratè, quòd falsò negarit ſcilicet Galenus tremorem rigoris partẽ eſſe: & tamen fal-sò à rigore ipſum poſſe oriri tremorẽ pu-tat Cardanus. Quæſo te Cardane, quomo-do rigor cauſa poſſit eſſe tremoris, cùm ſint

con-

contradiſtinctæ ſpecies? & quarum vna, cauſa alterius eſſe non poſſit, niſi hoc velis intelligi, ſymptoma rigoris poſſe cauſam eſſe alterius morbi: quo exiſtente, ſymptoma tremoris deinde proueniat: aut niſi tremoris vocabulum æquiuocè vſurpetur, pro qualibet quaſſatione, tanquā genus quoddam amborum ſymptomatum. Teſtatur porro Galenus, Platonem nihil eorū omiſiſſe, quæ pertineant ad demonſtrationem rigoris, quibus ſit opus, ſecundum leges apodicticæ artis, ad probandum propoſitū, illud ſymptoma, quo præ ceteris omnibus ipſum laudat, & veriſimilibus rationibus veriſimilem Platonis ſentētiam quodammodo fulcit Galenus, & probabilem facere conatur: nequaquam autem ſuam propriam probans aut confirmans ſententiā, quod poſterius facit, vt ſuprà oſtendimus, proteſtatus aliam ſuam, & aliam Platonis eſſe de cauſis rigoris ſentētiam. Quo probabilius autē cauſam rigoris Platonicam aſtrueret Galenus, & argumentis veriſimilibus tueretur, multa de motibus contrarijs duobus calidi naturalis diſſeruit: quorum vno, verſus fomentum ſuum nutu ſuo ad inferius feratur, ſeſe quaſi colligens &

Vt in libro de quatuor motibus paragr. ἐκ τούτοις ὁ πλάτων ἅπαντ' ἐπειράθη διελθεῖν, ὅσα χρὴ γινώσκειν, *&c.*

aſtringens ad alimentum ſuum: altero autem verſus ſublime, & exterius leuitate ſua efferens ſeſe, & diffundens in amplũ panditur: quibus vtriſque motibus quaſi pugnantibus, ignis ſeipſum conſeruet αὐτοκινησίᾳ & ἀεικινησίᾳ, motionis omnium principium in reliquis exiſtens. Hi duo motus, ſi ſecundum naturam ſeſe habeant, æqualibus momentis deorſum, ſurſumque ferri calorem inſitum, vt violentia nulla concutiatur corpus. At cauſis frigoris & caloris, ſi contra naturam calidũ illud alternis afficiatur, æquabilitatẽ hanc motuum in calido naturali non amplius ineſſe, ſed frigida cauſa oppreſſum, profundius algore deprimi deorſum, quæ cauſa ſit frigidi ſenſus in externis partibus: deinde calida cauſa denuò ſolutum & excitatum, magnoque impetu elatum & expanſum, concuſſionem hanc tremulam vniuerſo corpori afferre: & hanc rigoris eſſe cauſam non improbabilem, in Timæi expoſitione Platonis ſic defendit argumentando Galenus, vt nemo non poſſit ſuſpicari, ipſum non modò Platonis, ſed etiã ſuam declarare ſententiam, ni poſterius ita ſcriptum reliquiſſet: περὶ μὲν οὖν τῆς πλάτω-

νος

νος δόξης, ἰατρικῶς ἐπεσκεψάμεθα: νυνὶ δὲ τὴν ἡμετέραν ἀποφανέμεθα γνώμην. Quæ Galeni autem ſit ſententia de cauſis rigoris, ſuprà fuit expoſitum. Nec ſolus Cardanus, ſed etiam alij nonnulli non conſentaneè hoc loco ſenſum, ſenſum Galeni interpretantur, quamuis Cardanus eum vt falſum & alienum reijciat; alij eundẽ tanquam verum amplectantur & approbent: credo, vt Fernelij opinionem de cauſis febrium poſſint propugnare, de qua ſuo etiã loco videbimus. Nunc ad Cardanum iterum reuertamur.

CAPVT X.

NEGAT ille poſſe Galenum cauſa hac Platonica ſatisfacere demonſtrationi rigoris. Fateor ſanè, & fatetur ipſe etiam Galenus, cùm accommodatam & vernaculam aliam demonſtrationem rigoris ipſe expoſuerit. Quærit Cardanus, quomodo ad externas partes, cum impetu, calido elato, contremiſcat corpus? Quærat hoc à Timæo, & non à Galeno: non enim calorem, ſed frigus rigorem excitare ſcribit Galenus. vt ne laboret Timæi ratio abſurditate quadam, ſuppetias tamen

paralogiſmo ei fert Cardanus hoc modo: Quia, inquit, ipſe per ſe calor, erumpens ad exteriora, non eſt cauſa rigoris, ſed vapor putridus ſimul ſeſe efferens, & ad neruos penetrans, pungit eos, cogitq;, vt ſe contrahant: vt fit in his, qui acu punguntur. Ratio hæc, Cardane, pugnat cum φαινομένοις. Poſt paroxyſmum & rigorem, cum calore verſus cutem efferuntur putridi vapores (quos tactu etiam licet deprehendere) quo tempore, ne frigus quidem nedum horror aut rigor exterioribus accidit. Humoribus autem acribus Galenus (& non vaporibus putridis) vexantibus & moleſtantibus neruos, cauſam refrigerationis dolorificæ adſcribit: & refrigerationẽ hanc rigoris poſtea cauſam dicit eſſe. Quod ſi putridus vapor aſcendens cauſa eſt rigoris, quî fit, vt nullos rigores, nullas compreſſas annotationes habeant febres putridæ continuæ? Quare neq; voluit, neq; debuit etiam Galenus hoc dicere, quod tu dicis Cardane: alioqui cauſam & demonſtrationem rigoris ſe ignorare, nolẽs etiam confeſſus fuiſſet. Multa ſanè ſunt, quæ reprehendere poſſem in Cardano in præſentia, qui, vt nonnulla bene & erudite, ita non pauca

Falſa rigoris cauſa eſt Cardani.

Inſtantia.

con-

confusè, obſcurè, & perplexo genere orationis, falſisq́; rationibus miſcet, & fucum lectori interdum facit, vt reprehenſione aliorum ſibi gloriam comparet, cùm tamen in demonſtrando nonnunquã ſatis plumbeus mihi videatur eſſe: quanquã in multis acutus & egregius eſt, & qui πολυμαθέστατος communibus ſtudijs ſcribendo multum profuerit. Ad rigoris cauſam redeo. Sine dolorifico corporis algore non fieri rigorem, manifeſtum eſt. Frigus autem illud excitari in exterioribus, ſeceſſu caloris naturalis ad profundum, aliàs humoribus frigidis, aliàs calidis & acribus vexantibus, & ſtimulantibus neruos, in probatis etiam, & conceſſis eſt. Quin etiam conſtat inter omnes, poſt πάθος illud nonnunquã conſequi febrem: interdum nulla conſequente febri, ipſum generari. Poſtremò, quoquo modo fiat, reuocatione caloris ad exteriora, ipſum πάθος diſſolui & terminari. His omnibus perficitur & explicatur Demonſtratio rigoris à Galeno. Tremorem morbidum, ſuprà oſtendimus, nec ſpeciem nec genus, aut partem eſſe rigoris: quandoquidem in tremore συναίσθησις hæc non ſit ἀλγεινῆς καταψύξεως. Tremula autem

fiunt membra, calore naturali non destituta: sed aut propter imbecillitatem neruorum & musculorum, quæ Tonicæ virtutis robori, & firmitati, eiusque quieti est opposita: aut propter humores, non imbuentes quidem & replentes neruos (vt in spasmis) nec obstruentes spiritum animalem, (vt in resolutis) sed influentem animalem facultatem à cerebro non prorsus impedientes, sed aliqua ex parte remorantes, & hoc modo infirmando neruorum robur tonicum: quales nimirum tremores accidunt quibusdam crapulæ addictis, & præterea feminæ huic, cuius ex Hippocrate mentionem facit Galenus, quæ in puerperio, propter retentionem mensium tremore correpta fuit. Ergo Galenus negat à frigore tremorem nasci, & non tantum partem, sed etiam totum corpus posse tremulum esse fatetur (quoniam de puerpera sic scribit: οἳ τρόμοι τὸ πᾶν σῶμα εἶχον.) At non nisi in ipso opere, & conatu voluntariæ motionis aut quietis: sed non naturalis (quæ propria est ponderis in corpore) tremore homines corripiuntur. Propter eandem causam, in febribus interdum ardentibus, tremore quidam corripiuntur. Verun-

Veruntamen rigorum & tremorum in febribus ardentibus non esse causam eandem, nec effectum aut significationẽ eandem, mediocriter etiam eruditi in medica arte nouerunt. Hæc de tremore, & causa ipsius, Galeni est sententia.

6. Apho. part. 25.

CAPVT XI.

VEruntamen in eo non assentior Galeno, quãdo tremoris causam scribit esse grauitatem: vt quæ breuibus interuallis contrario nutu deprimat membrum, contentioni tonicæ oppositam. Siquidem est (quemadmodum ipse fatetur) ἀτονία, & infirmitas facultatis animalis, per se, & continens causa est tremoris: grauitas immediata scilicet, & proxima causa esse non poterit. Sed in quibusdam duntaxat antecedens, & προηγουμένη causa erit infirmitatis huius tremulæ neruorum, cùm non modò labor, sed etiam pondus vires & spiritum animalem minuant. Nam causæ minuentes tonicum robur (quod definitur plena facultatis animalis in neruos influentia) eædem sunt etiam tremuli motus causæ, cuiusmodi præter dictas superius sunt διαφόρησις, nutri-

menti defectus; multa vacuatio, aut immoderata repletio. Sunt enim causæ illæ non proximæ, sed antecedentes, quibus proxima tremoris, & continens causa generatur, non autem constituitur προσεχῶς. Pondus autem membri, qui poterit pars προσεχοῦς causæ illius esse, cùm pondus leuitati sit oppositum: quibus oppositis, tremore terram, non membra animalium concuti dicimus? Attonicæ quietis robori opposita est tremula membri instabilitas, quæ, vt contraria, necesse est etiam contrarijs eam causis & proprijs definiri. Quin etiam pleriq; in transuersum aut obliquū fiunt tremuli motus membrorum, & non susq; deq; agitati. Pondus autem & grauitas non nisi deorsum nutu naturali promouet quidpiam: Vis autem & facultas animalis in omnes partes mouendi vigorē obtinet, pro diuersitate musculorum, in quos facultas hæc influit. Videtur itaque mihi Galenus non satis consentanea suæ propriæ hypothesi dicere, quando partem continentis causæ tremoris pondus membrorum esse dicit. Equidem nolo cuiusq; studio & amore, id, quod verum non est, defendere: nec, quod verum, alicuius odio inci-

Causa reprehenditur tremoris quam affert Galenus.

incitatus, idipſum tanquam falſum reprehendere. Nunc, quid Cardanus vituperet in Galeno, conſiderabimus. Enimuero multæ & variæ tremoris ſunt (vt generis) cauſæ. Nam cauſa alia eſt, qua tremunt nerui muſici pulſati, & campanæ: alia verò, qua tremunt, aut tremere videntur ſtellæ quædam: aut propter vmbram, lumen ſolis, iamiam defecturum in pariete: alia tremoris cauſa eſt, qua concutiatur terra: alia, qua corpus animalium. Omnium ſunt diſcrepantes & diuerſæ demonſtrationes: & harum cauſarum reſpectu, vocabulum tremoris omnino æquiuocũ eſt, nec phyſicum genus dici aut eſſe poteſt, quòd omnium non ſit idem πρῶτον δεκτικόν. Tremoris animati corporis quæ ſit cauſa, modò expoſuimus, ſecundũ Galenum: nunc, quid Cardanus reprehendat, conſiderabimus. Tremorem manuum, qui acciderit Pythioni, initiò laboranti ardente febre: propter plenitudinem, neruos debilitantẽ, influentiamq; facultatis animalis nonnihil remorantem, eueniſſe Galenus ſcribit: cuiuſmodi cauſam tremoris etiam fuiſſe conſtat in puerpera, prius ex Hippocrate allegata, cui miſſionẽ ſanguinis ſalutarem

Lib. 3. Epidem. Sect. 1. par. 1.

fuiſſe oſtendimus. Quæ ſi fuiſſet etiam Pythioni adhibita, profuturam ei fuiſſe affirmat Galenus. Plenitudinem autẽ tremoris eius fuiſſe cauſam (eius enim complures poſſunt eſſe cauſæ, vt ſuprà dictum eſt) per inductionem, & per ἀποσυμβεβηκότα, vt vocat Galenus, colligi potuit, quæ in comment. commemorantur : qua plenitudine grauati nerui debilitati fuerint. Imbecillitatem enim, quæ accidat neruis ratione facultatis animalis, συνεκτικὸν αἴτιον tremoris eſſe, Galenus autor eſt, & recta atq; apodictica ratio id ipſum apertiſſimè teſtatur. Grauitatem ipſam per ſe, facultati animali, & tonicæ virtuti non eſſe contrariã, modò docuimus : ſed ἀτονίαν virtutis huius, & debilitatẽ (qua per accidens etiam grauitatis quidã ſenſus in membris, & quaſi laſſitudo quædam nonnunq̃ percipiatur) tremoris proximã cauſam eſſe diximus, & continentẽ. Et aliàs tamen interdum eo grauari quidpiã, vulgò, & per metaphoram dicitur; quo actio & energia ipſius, quod agit, impeditur, aut minus cõmodè eam actionem pręſtat, aut aliàs deprauato motu operatur, vt grauare hac ſignificatione nihil aliud ſit, quàm moleſtũ eſſe & impedire. Cardanus exiſti-

Lib. 1. progno. part. 28.

existimat, hoc sic dictum à Galeno, & hoc sensu, quando scribit plenitudine grauatos neruos tremere, quẽadmodũ aliàs dixerit, (incogitantius tamen) grauitatẽ & pondus membri partẽ esse continentis causæ tremoris: quam tñ rationem nos suprà cum hypothesi Galeni pugnare ostendimus; qñ nimirũ dicat, verè & rectè tremoris συνεκτικὸν αἴτιον esse imbecillitatem tonicæ firmitatis, & roboris animalis facultatis in neruos influentis. Quamobrem fieri neqt, vt grauitas tremoris ipsius continẽs causa existat. Sed vt vacuatio immodica exhaurit, ita plenitudo eam facultatẽ premendo grauat & molestat, vt tremoris motu vibrentur membra. At negat Cardanus, tãta velocitate posse motũ illum esse, aut vibrari in neruis, pp plenitudinem, motrici facultati molestã: nec eius tamen, quod dicit, vllam affert causam. Omnia certè προηγούμενα αἴτια affectuum, quibus generantur affectus, sine symptomate ipso, completũ affectum, tanq̃ effectum suũ, non pducũt. Quàm primũ causa generãs cõpleta est, facto morbo, tũ statim (verbi gr.) vt rigor aut tremor, aut spasmus incipit; quoad his vocabulis horũ affectuũ symptomata significãt. Nã fact⁹ sine symptomate neqt esse morb⁹

Cardanus reprehenditur.

Vna enim est duntaxat vnius conti nẽs causa, & οὐσία: tametsi plures nihilominus προηγούμεναι possint esse causæ generationis.

ſed προηγούμενα generationis αἴτια nō ſunt etiam ſymptomatum συνεκτικὰ αἴτια; quę cum morbo duntaxat & ſymptomate ſunt iuncta. Non ergo in Pythione Cardanus tremoris cauſam fuiſſe cenſet plenitudinē aut grauitatem (quibus cauſis ipſe derogat fidem) ſed vaporem quendam, ſtimulantem & pungentem neruos, tremuli motus fuiſſe cauſam arbitratur. Eandem cauſam, ſuprà, rigoris quoq; eſſe Cardane dixeras. Meminiſti, opinor, quòd ita ſcripſeris de
„ cauſa rigoris; hæc tua verba ſunt: Nam va-
„ por ille (quod dicere nunquam voluit Ga-
„ lenus) pungit ipſos muſculos, atq; neruu-
„ los vexat, cogitq; illos ſe contrahere inui-
„ tos, concutereque corpus. Intelligis, opinor, te vnam cauſam amborū ſymptomatum expoſuiſſe, de vna fidelia (vt dicitur) duos dealbaſſe parietes; quo dictu tamen nihil eſt falſius aut abſurdius. At punctiones illæ neruorum ab acribus humoribus aut vaporibus, aliàs cauſa ſunt, vt calor naturalis verſus interius ſe penetret (propter cordis συμπάθειαν rigoris ſymptoma excutiendo) aliàs valde afflictis, & dolore perculſis neruis, ſed in ſubſtātiam tamen neruorū non ſubeuntibus, conuulſorijs motū per

per ſympathiam neruorum, originis aut cerebri excitari liquet: quos meritò quiſpiam non ſimpliciter tremores (quorũ alia, vt diximus, cauſa eſt) ſed ſpaſmicos tremores appellare debeat: ita enim nõnunq̃, vt Hippocrates ſcribit, aut τρομώδεα aut ſunt, aut fiunt σπασμώδεα, cum periculo mortis (ſi afficiatur cerebrum) coniuncta. At Cardanus tremoris duas continentes, & proximas cauſas eſſe ſcribit: vnam, quam definit imbecillitate facultatis animalis in neruis: alteram, in qua validi & robuſti nerui tremant, propter vaporem ſtimulantem & pungẽtem neruos. At punctio hæc moleſta, Cardane, aut ſympathia cor, aut cerebrum afficit. Si cor rigoris eſt cauſa: ſin autem cerebrum, epilepticus nimirũ & σπασμώδης tremor quidam erit: qui ſpecie differunt motus. Simpliciter autem tremor (quem hoc loco cum Galeno definimus) neutrius partis ſympathiæ eſt affectus. Nõ autem in omni tremore inualidos neruos eſſe oportet: ſunt enim in his, qui tremũt, magno impoſito pondere preſſi, valentes admodum: alioqui enim viribus infirmis ſuccumberent oneri: in exhauſtis autem imbecilles & inualidos eſſe oportet. In v-

Aliud eſt ſimpliciter tremor, & aliud ſpaſmicus tremor, ſeu σπασμώδης.

trisq; tamen infirma facultas dicitur animalis: quia suã functionem sana & integra liberè præstare nequit. Nonnulli etiã tremunt ira perciti: & acu puncti interdũ tremunt: quãdoq; etiã voluntarius est tremor in robustissimis. Sed nos, qui verè, simpliciter & νοσώδης tremor (& quoad vocabulo synonymo species vna significatur) sit, in præsentia quærimus: cuius συνεκτικὸν αἴτιον esse ἀτονίαν neruorũ, rectè & ἀποδεικτικῶς à nobis positam esse arbitramur. Ex falsis hypothesibus porro multi etiã πλασματώδεις λόγοι interdum attexuntur, quos, ne sim longior, consultò prætereo, ꝓpter ἀήθειαν rationum. Est quidam alius tremulus, sed conuulsorius tamen motus, acribus vaporibus aut humoribus stimulantibus neruos, & ꝑ consensum, ad principium suum cõuulsis hac palpitatione tremulis neruis. Particularis ille tremor in singulis mẽbris, ad originem neruorũ pertinentis, & ꝓportione respõdet vniuersali, & epilepticę palpitationi, quando causa neruis infesta, ad principiũ & originem ipsorum, vellicans eos, constiterit, & concussionẽ hanc fecerit, σπασμώδη tremulam. Loquor aũt in p̄sentia de conuulsorijs motibus, non de vera

con-

conuulſione ſcilicet vibrata, ſed certo motu determinata: quã repletione & inanitione neruorum creari, ſcriptũ reliquit Hippocrates. Quod ſi vapores illi in cerebrum efferantur, deliriorũ & non conuulſoriorũ tremorum cauſa exiſtũt in ardentib. nonnunq̃. Prouidendum ergo, ne nos tremoris vocabuli æquiuocatio decipiat, & ne pro eiſdem numeremus, quorũ cauſas & definitiones conſtat eſſe diſcrepantes: cùm tremoris vocabulũ propter homonymiam, vt ſuprà diximus, latiſſimè pateat. Ex his, quæ diximus hactenus, manifeſtum eſt, acres humores aut vapores, ſtimulantes neruos, in ardentibus febribus interdum rigorem efficere, vexando neruos, cum ſympathia calidi vitalis ſeu cordis, verſus interna refugientis, qua ratione accidunt febribus illis rigores interdum. Vel affligendo principiũ neruorum, poſſe efficere conuulſorios tremores membrorũ: non ſimpliciter tamen tremores, qui ſimpliciter tremores, συμπαθεία nulla principiorum (vt cordis vel cerebri) excitantur, ſed his tantũ cauſis, de quibus diximus ſuprà, fiant ac generentur, nõ ad motum aliquẽ irritantibus ſc. neruos (vt in rigore) ſed ipſorũ facultatem animalem duntaxat infirmãtib. & tonicã facultatem

musculorum lædentibus. Ex quo perspicitur, quomodo motiones illæ neruorũ contra naturam, suis causis sint distinguendæ, si ἀποδεικτικῶς de his sit disputandum, & ex principijs pręcognitis omnia sint euoluenda obscura, & difficilia explicanda quæsita. Quamobrem in ardentibus, expanso calore per totum corpus, rigor nullus poterit esse, sed aut simpliciter tremor, aut σπασμώδης quidam tremor esse poterit: & quibus causis ambo sint definiendi motus symptomatici, satis superq; dictum & expositum arbitror.

CAPVT XII.

AD rigoris causam reuertor, de qua nonnulli sic disputant, vt negent dolorificum frigus, causam eius esse continẽtem: sed interim caloris motum ex profundo versus exteriora cum impetu erumpentem, & crebris quasi plagis, ac ictibus feriẽtem exteriores partes, qui nimirũ sint causa ipsarum rigoris; in qua sententia fuisse Galenum quoq; contendunt: de quorum errore satis suprà disputatum fuit.

Attamen non solam illam causam dicunt esse (qua contentus est Timæus Platonis)

tonis) ſed præterea ſympathian cerebri & neruorum concauſam, & συναίτιον eſſe dicunt: & præterea etiam facultatem expultricem, extrudentem omnia, quæcunque naturam grauant. Et his cauſis omnibus in rigore totum corpus vibrari, & his inæqualibus motibus concuti opinantur.

Cum Galeno præterea rectè & verè defendunt illud, cauſas ſcilicet rigoris πϱοηγȣμένας: materiam irritantem neruos, & ad excretionem ſtimulantem: qua contingat etiam calorem natiuum interdum, intrò ad fontem reuocari, reſiſtentem eius expanſioni.

Cæterum ſenſum refrigerationis in rigore non primò efficere, id eſt, non continentem eſſe cauſam motus illius, qui dicitur rigor, ſed comitari repulſum ad interiora calidum influens. Sed tamen refrigerationem hanc neruorum συναίτιον eſſe, quia propter deſtitutionem caloris nerui plus à vaporibus mordacibus infeſtentur.

Cauſæ illæ dictæ & à vero, & ipſæ etiam inter ſe diſſentire videntur. Primò ſtatuitur & probatur cauſa Platonica rigoris, quam tamen non probari Galeno, ſuprà demonſtrauimus. Quod ſi cauſa hæc eſt

rigoris continens,& proxima,seu συνεχὴς, non equidem fieri poterit, vt præterea cõcausa aliqua possit esse: cùm extra causam omnibus numeris completam (qualis est continens & proxima in omnibus demonstrationibus) nulla alia possit accedere. Continens enim vna & sola causa est, nec ei concausa aliqua opus est, cùm sit perfecta. Nam si perfecta non sit, & concausam requirat, continens & συνεχὴς non erit. Quamobrem ipsa secum pugnat hæc ratio,& ab Analyticis respuitur. Galeno autem autore dolorifica refrigeratio cõmunis est causa rigoris, quæ fit nimirũ repulsione caloris vitalis versus interiora, ab exterioribus, quæ perfecta est, & nullũ aliud συναίτιον desiderat,vt sit rigor: sed vt generetur,& fiat aliquid, plura possunt esse συναίτια.Hoc loco de causis essentiæ,& nõ generationis rigoris disputatur. Generationis.n.non est continẽs effectus causa, nec prioribus generatione causis,essentia effectus est demonstrabilis, autore Arist.lib.2. Analyt.poster.Negat enim esse ὁμόγονα αἴτια illa cum effectu,id est,non esse συνεχεῖς causas generationis. Quin etiam, q̃ commemorantur causæ,ne generationis quidẽ

rigo-

rigoris cauſæ omnes erunt. Propter ſym-
pathian quidem cordis cum neruis affe-
ctis, & cerebro, ꝓpter συναίσθησιν cor mo-
uentem, rigorẽ generari haud inficiamur.
Sed facultatem expultricem naturalẽ ner-
uorum, ſuprà demonſtrauimus, non face-
re rigoris motum; cùm ex toto ſit ſympto-
maticus motus ille rigoris, & nequaquam
facultatis naturalis proprius.

Venarum autem expultricem facultatẽ
(non ex toto ſymptomaticam) qua in ner-
uoſas partes, παρὰ φύσιν inutiles humo-
res, & neruis moleſtos quaſi euomũt, cau-
ſam προηγουμένην dicimus eſſe rigoris, o-
mnibus Medicis, & in primis Galeno no-
bis ſuffragantibus.

At falſum illud eſt, & à vero alienum, ꝙ
dicunt, proximam & continentem cauſam
eſſe rigoris humores mordaces, neruos
pungentes & moleſtantes: & refrigeratio-
nem hac cauſa rigoris poſteriorem eſſe, &
non principalem, ſed adiuuantem cauſam:
quia ſcilicet refrigerati nerui à mordaci-
bus vaporibus magis infeſtentur, vt refri-
geratio augeat, & non faciat rigorem.

Galeno συνεκτικὸν αἴτιον eſt rigoris, dolo-
rifica refrigeratio neruorũ, cuius cauſa ſint

ab infeſtis humoribus afflicti nerui, eo modo, quò paulo antè dictum. Sed hi peruertentes ordinem cauſarum, dicunt moleſtum ſenſum, quem excitent mordaces vapores in neruis, continentem cauſam eſſe rigoris, & refrigerationem non eſſe cauſam, ſed effectum. Quicquid enim ſequitur continentem & perfectam cauſam, nõ eſt cauſa, ſed effectus illius eſt cauſæ: alioqui idem, cauſa & effectus, reſpectu eiuſdẽ exiſteret, & ipſum ſe ipſum efficeret quidpiam; quo nihil dictu abſurdius. Eſto acris humor aut vapor, continens cauſa rigoris: humor ſit a, & rigor ſit b. & b ſit continẽs cauſa dolorificæ refrigerationis, nempe ipſius c. & c ſit cauſa (vt dicit Galenus) rigoris, qui ſit d: ſequitur, vt, quemadmodũ a eſt cauſa d ipſius, ita quoq; b ſit cauſa ipſius d. id eſt, vt rigor ſit cauſa rigoris, nẽpe ipſum ſui ipſius ſit cauſa; quod extremè abſurdum eſt. Pugnant etiam cauſæ illæ inter ſe, ſi dicamus συνεκτικὸν αἴτιον rigoris eſſe fluctuationem, & agitationem inſedatam, alternis erumpentis, & ad profundum ſubmerſi denuò caloris, quemadmodum dixit & ſcripſit Timæus: &, ſi præterea etiam dicamus, concuſſionis illius

cauſam

causam esse putridos & acres humores, versus neruos expulsos, quibus mordicantibus & pungentibus musculi irritati, inæquali motu sese, & vna etiam ossa concutiant: quam defendit etiã Cardanus, vt liquet ex dictis suprà. Atqui cuiusq; vniuoci effectus vnius vnam duntaxat causam continẽtem esse constat. At illi duas continentes causas assignant, à se ipsis dissentientes. Absurdissima autem illa sunt omnia, quæ (vt Arist. inquit) μάχεται αὐτὰ ἑαυτοῖς, καὶ τοῖς ὁμολόγοις. Sed in præsentia de hac falsa rigoris causa satis dictum opinor: nunc quæ consectaria sint absurda, considerabimus.

CAPVT XIII.

VT duas continentes causas illi comminiscuntur rigoris, ita quoque dicunt duas esse causas προηγουμένας seu antecedentes. Vnam dicunt esse vapores acres, quorum effectus, nempe molesta afflictio, sit causa continens rigoris. Alteram dicunt esse reuocationem caloris naturalis ad fontẽ: quæ & ipsa antecedat alteram continentẽ causam, nẽpe caloris vehementem motũ, & impetũ versus exteriora: quæ motio, secundum Timæum, corpus rigore quatit. Omnes illæ commemoratæ causę

προηγουμέναι sunt,& non continentes rigoris causæ.

Agitatio igitur hæc crebra, & Euripus naturalis seu vitalis caloris, reciproco motu suo rigoris causa continẽs non est (qualis etiam in anxijs, quos Græci ἀγωνιῶντας appellant, esse consueuit) cùm sc. insit rigor neruosis partib. propter ἀλγεινὴν κατάψυξιν; quæ accidit quoq; magno terrore & metu perculsis, nondũ versus exteriora erumpẽte calore, & in febribus initio paroxysmorũ.

Nec illud consentaneũ est, quod dicunt, fumos acres, densitate cutis suppressos, & neruosas partes acrimonia sua affligentes, rigoris proximam causam esse, quoad scil. impediant caloris natiui diffusionẽ ad exteriora, & ipsius motum faciant reciprocũ, & insedatũ, donec vi erumpat ad exteriora. Nec acrimonia neruos afficiens, molestaq; sensibus causa rigoris est: alioqui vlcerosa lassitudine affecti omnes rigore corriperentur. Nec fluctuatio hæc caloris concutit rigore corpus: causa .n. continẽs rigoris est in neruosis partibus tanq̃ in subiecto, & nõ in calido, quod suo motu non facit, sed potius discutit rigorem; quoniam motu illo frigus dolorificũ depellitur, & incalescunt mem-

membra. Præterea non opus eſt, ſi pleuritidis aut alterius internæ inflammationis ſymptoma interdum ſit rigor, vt mordaces humores per vniuerſum corpus ferantur. Nam ad rigorem excitandum ſatis eſt συναίσθησις doloris; propter quam cauſa ſympathiæ ab exterioribus ad interiora reuocetur ſanguis cum calore.

Præterea dicunt illi, quando cor putridis halitibus percellatur, ipſum ſuo proprio calore obniti, & ope eius verſus exteriora propulſare vapores illos affligentes, q̃ dum per loca neruoſa protruduntur, rigorem excitent. Si verò hæc ſit ratio, continuas febres omnes cõtinget eſſe rigorificas, cùm in his etiam putridi vapores per habitum corporis expellantur.

At quòd rigor in his non ſit, cauſam hanc afferunt, quia ſc. humor in his vel ſenſim putreſcat, eoq́; naturam non multum contriſtari: vel quia putridus calor confeſtim, & maiore vi ac copia cordi vicinas venas occupet, vt languidior ſit calor, & initiò minus ei reluctari poſſit. Falſum (inquit Ariſtoteles) concluſum, non niſi falſo & abſurdo argumento probari poteſt. Quis in continuis febribus non intelligit

maiorem copiam eſſe putreſcentis humoris, quàm in intermittentibus? Ergo ex neceſſitate magis rigebunt continua laborãtes quàm intermittente. Deinde in paracmaſtico ſynocho quis non videt, maximã ab initio vim putredinis & febris eſſe; & in ſummo ſtatu caloris eſſe initium febris: at nihilominus iſti non rigent, cùm tamen plurimum afficiantur. Non minus abſurda quoq; eſt altera cauſa, qua dicitur quieſcere circa cor putridos vapores, magna copia cor affligentes & opprimentes, vt calore ſuo cor non auſit propter languorem & oppreſſionem reſiſtere, ſed deinde paulatim eos à ſe verſus exteriora propulſare, non vehementi impetu: quamobrem non creari rigorem. Non video ego, quomodo cuiquam probabiles iſtæ rationes videri poſſint, cùm ſint omnino, vt Ariſtotelicè loquar, πλασματώδεις, & fictæ cauſæ. Prior ratio vtitur hypotheſi paruæ quantitatis in putreſcentibus continuis: altera magnæ quantitatis, putreſcentis humoris. In cauſa eſt, quia ſunt coactæ, & ad falſum probandum βεβιασμέναι, καὶ βοᾶν ὡς ἑλκόμεναι mihi rationes illæ videntur omnes. Si multitudine putridorũ vaporum ab initio paroxy-

roxyſmi continuæ febris cor opprimitur, quî fit, vt, qui in exterioribus eſt calor & ſanguis nõ confluat ad interiora? Aut ſi calor cordis, adeoque cor ipſum multum affligitur, & impenſius, quàm in intermitten tibus, eſt oppreſſum, quî fit, vt in pulſibus continuarum nullæ ſint ἐπισημασίαι, & ferè arteriæ habeant incompreſſam (vt Medici vocant) annotationem? Cùm ergo cauſæ illæ, & rationes pugnent cum φαινομένοις, nemo erit, qui eas pro veris & conſentaneis ſit habiturus: aut qui rectè his argumentis exiſtimet poſſe cauſas rigoris demonſtrari, de quibus nobis cum illis certamen eſt.

Infrequens eſt, vt continua cum rigore incipiat: frequentius, vt cum rigore terminetur, præſertim ardentes. Rigor ab initio damnatur: criſin enim ſignificans, à principio non debet apparere. Sed intermittentes poſſe aliquando mutari in continuas, eſt in confeſſo. Quod ſi continuæ incipiant à rigore nonnunquam, cauſam hanc nonnulli cenſent eſſe, quia ſc. in primis venis & circa pręcordia putreſcens humor, impetu quodam in cauæ venæ propagines propellatur; aut quia in ipſis propa-

ginibus hęreat. Conſenſus medicorum eſt, febrium continuarum humores intra venas putreſcere. Intermittentes autē febres ab initio paroxyſmos habere horrificos, quibus extra venarum oſcula, facultate expultrice humores, neruoſis partib. moleſti, expellātur; quibus afflictis, calor verſus interiora ſuccedat ab exterioribus decedens, putredine ſc. inchoante humorum, & humoribus extra venas moleſtātibus, vel frigore, vel acrimonia, neruoſas partes: quam fugā caloris ad interiora ſubſequatur horror aut rigor. Cæterum excretrix facultas in his intermittentibus febribus, non patitur in maioribus vaſis humorem putredini obnoxiū conſiſtere, ſed ꝓpellit eum verſus oſcula venarum: & pars intra, & pars quædam expulſa ad neruos putreſcendo calorē putridum, & vaporem ad cor vſq; tranſmittunt, corde ab initio, propter conſenſum afflictionis neruoſarum partium, ad ſe reuocante calorem ab exterioribus: deinde mixto calore ipſius putridis vaporibus, & ad ſe, moleſtijs his, & præterea ad liberandos etiam neruos dolorifico illo ſenſu, expandens ſe calore ſuo proprio tanq̃ organo quodam vtitur, liberans ſeipſum, & vniuerſum

uerſum corpus, moleſtantibus tot vapori-
bus & humoribus creantibus febrim. Cau-
ſam illius febris conſiſtere ſcribit Galenus,
ἐπὶ κινουμένῳ τε καὶ πάντῃ τοῦ σώματος ἰόν-
τι, τῷ τὸν πυρετὸν ἐργαζομένῳ συνίσανται
χυμῷ· οἱ δὲ συνεχεῖς ἀφίκονται στεγνομένῳ,
καὶ περιεχομένῳ ἐν ταῖς φλεψίν. Id eſt, In-
termittentes febres fiunt propter humo-
res putredini obnoxios diſperſos vndiqua-
que, & expulſos etiam aliqua ex parte per
oſcula venarum humores. At continuæ fi-
unt incluſo penitus, & ſuppreſſo in venis
humore ad putredinem habili. Attamen
humor non ſolus, qui exiuit per oſcula &
neruis adhæſit, putredine corrumpitur: ſed
etiam, qui adhuc circa & intra venarum
extremarum oſcula deliteſcit, putredinis
futuræ fomes eſt: ſiquidem paulatim an-
te diem paroxyſmi ſuccenditur, & quaſi
imperfecta putredine corrumpi incipit:
quam humoris alterationem Galenus ap-
pellat ὑποτύφεσθαι; quod ipſum non ſubi-
tò ſcil. corrumpi humores, arteriarum fe-
briles compreſſiones, & paulatim creſcen-
tes ἐπισημασίαι declarant: de quibus Gal.
lib. 2. De diff. feb. Eſſe autem intermitten-
tes febres ῥευματικὸν quoddã πάθος, circa

finem huius libri demonſtratur. Cauſas autem febrium non tantùm in venis, ſed etiam in viſceribus contineri aut inflammatis, aut obſtructione laborantibus, quibus neceſſe ſit humores contentos putreſcere, extra controuerſiam eſt. Et peſtiferos atq; μαρασμώδεις καύσους ſuccendi præſertim Galenus teſtatur, ſi ventriculus, & in primis os ipſius, item, ſi hepar, propter intemperiem calidam accẽderint ardentem febrim. Intra venas humore ſi καῦσος incenditur, minus periculi febris habet. Poteſt etiam fieri, vt in venis καῦσος exardeſcat, & nihilominꝰ frigidi & crudi humores ſint circa ſimas & cauas partes hepatis, & in primis venis: vt quæ per aluum & vrinam excernuntur, cruda appareant, nullamq́ue biliosi humoris ſignificationem obtineãt, cuiuſmodi exemplum habes in Epidemijs Hippocratis.

Gal. in libro 3. Epidem. Hippoc.

Iam conſideremus quæ cauſa ſit, quòd quibuſdam continuis febribus, ſed raró, rigore ab initio corripiantur ægrotantes. Item, quòd in nonnullis intermittentibus paroxyſmus non incipiat ab horrore aut rigore, ſed à moleſto ſenſu compreſſionis circa interiora. Nos rigorem oboriri propter

pter dolorificum ſenſum frigoris, & qua cauſa ſenſus ille excitetur, oſtendimus. Quòd ſi vera hæc eſt, & καθόλϰ cauſa rigoris, quid ni ſymptomaticè ab excretrice facultate venarum, rigorifica cauſa ab initio in neruoſa loca propulſetur, quemadmodũ aliàs criticè ſolet in febribus ardentibus extra venas profligata bile rigor prouenire? Nonnunquam etiam ἀκρίτως vltimo naturæ conatu rigores excitantur, vt eadẽ omnino ſit cauſa rigorum in cõtinnis, quæ eſt in intermittentibus. Et ex continuis fieri intermittentes, & ex intermittentibus continuas, non eſt impoſſibile, nec rationi aut experientiæ repugnat. Sed quòd intermittentes quædam non rigoris, ſed oppreſſionis cuiuſdam circa viſcera ſenſum initiò paroxyſmorum afferunt, cauſa hæc mihi videtur eſſe; quòd nimirum putredini humores obnoxij nec in medijs venis (vt fit in continuis) nec in extremis profundendo ſe ad neruoſa loca (vt ſunt, q̃ cum horrore aut rigore incipiunt) receptũ habent aut putreſcunt: ſed facultatis excretricis venarum ad interna ſecundum viſcera propulſione humorum prauorũ putredini obnoxiorum, circa hęc loca ſubſiſten-

tium, & quia calidiora ſunt hæc loca, & qa hebetiore ſenſu prædita, nullus neque frigoris, neq; rigoris excitatur ſenſus, quemadmodum in exteris & muſculoſis, in quibus eſt acrimonia humoris & frigoris ſenſus. Nullus hic in internis coacti humoris ſenſus alius, quàm oppreſſionis & grauitatis exiſtit; quia videlicet in partibus his exquiſitus ſenſus non ſit, & partes internæ (q̃ duntaxat nutritionis ſunt organa, & non principaliter ad ſenſum & ad motum deſtinata, vt membra externa) rigoris expoſitam à nobis cauſam excludant, oppreſſionis duntaxat, & grauitatis ſenſu afflictæ in febrib. corripiuntur. Quo reſpiciens etiam Galenus, ſcribit in viſceribus tantùm ineſſe facultatis ſentiendi, quantum ijs ſit opus, ad functiones ſuas præſtandas: & quibus etiam exiliſſimi nerui dantur, vt non niſi valde moleſtantia ſentiant: quoniam acri ſenſu & exquiſito illis non eſt opus. Omnia hæc, inquit Galenus, paruos ſuſcipiunt neruos in ſuis exterioribus tunicis apparentes, per quos tantum ſenſus cuiq; largitur natura, quantum expediebat, vt à plantis ſeparentur, & animalis quædam particulæ fierent. Ab exquiſitiore autẽ ſenſu, in partibus

De cauſis grauantis doloris vide Galenum lib. 2. de locis affectis.

tibus etiam internis, febres cũ rigore nonnunquam excitari, & interdum ſine illo, à ventriculo etiam obortæ febres id, qđ diximus, teſtantur. Quoniam, vt Hipp. lib. 6. Epidem. ſcribit, Rigor à ſuperna parte ventris (quoniam exquiſitiore ſenſu eſt prędita) ignis autem magis ab inferna parte excitatur. Febrium cauſæ, nempe praui humores, inquit Galenus, ſi moleſtẽt os ventriculi multum, cum rigore febres incendunt: ſin autem ad fundum ventriculi impetu facto illic putreſcant (quia hebetior & obtuſior eſt eius ſenſus) febres ſine rigore excitantur.

Commenta. Gal. 5. par. 30. in 6. Epide.

Expoſuimus hactenus cauſam Galenicis principijs conſentaneam, quam ꝓpter continuæ interdum cum rigore, interdum autem intermittentes ſine rigore acceſſiones habeant. Nunc quàm conſentanea ſit ratio ſecus ſentientium, & à Galeno diſſentientium, conſiderabimus.

CAPVT XIIII.

INVADVNT (vt illorum fert opinio) continuæ cum rigore, ſi quando humor aliquis prauus in primis venis, ac circum præcordia putreſcens, impetu quodam in cauæ venæ propagines pellitur.

Ergo, ſi cum impetu in venæ cauæ propagines ſubeunt, & traducuntur humores illi, & non quando immobiles computruerint in primis venis, cauſa erũt rigoris. Impetus igitur lationis humorum illorum, in venas poſteriores penetrantium, cauſa erit rigoris, & non putredo ipſa: nam putredo febris & caloris cauſa eſt. Suprà dicebatis, Sanguinem cum impetu ab interioribus ad exteriora delatum, rigoris cauſam eſſe: tam diu luctantem ſc. cum cauſa ad interius repellente calorem natiuum, donec crebris aſſultibus eam extra corpus profligarit. At humor ille impetu quodam ex primis venis in ſecundas penetrans, ſanguis, aut calor natiuus non eſt: nec repetitis hic, & reciprocis motibus agitabitur, quibus (vobis autoribus) rigor excitatur: ſed in aperta & libera venarum ſpacia depulſus, continuam duntaxat febrim (ſi putreſcat) & non etiam rigorem excitabit; cùm nullæ rigoris appareant cauſæ, quas vos hactenus deſcribitis & defenditis ſine ratione. An nõ etiam in primis venis quieti praui & crudi humores nonnunquam in ſecundas venas, & in habitum etiam totius corporis expellũtur, qua tamen expulſione febrium

febrium rigores, aut omnino febres necesſe non ſit excitari? vt fit in tertia ſpecie laſſitudinis apud Galenum lib. 4. De tuenda ſanitate. Verùm itaq; eſt, quòd Ariſtoteles de incautis diſputatorib. alicubi dicit, nempe ad pauca reſpicientes ipſos temerè de cauſis pronunciare. Quomodo autẽ cauſæ illæ quadrent φαινομένοις, & quàm ipſæ etiam inter ſe non ſint conſentaneæ, hactenus ſatis ſuperq; oſtenſum eſt.

Deinde, quòd non rigent quidam in intermittentibus febribus, cauſa hæc nequaquam erit (quam fingunt Galeno contradicentes) quia ſc. magna mole craſſorum vaporum oppreſſus calor natiuus, eluctari ad exteriora non poſſit, donec latentem intus materiam prorſus euicerit.

Craſſi vapores certè, non rigores, ſed palmos, & ἐμφυσήματα creant, nec febriũ ſunt cauſa, ſi non ſunt putridi, ex putreſcentibus humoribus generati. At frigus illi, febricitantes in paroxyſmo, aut horrorem (ne dum rigorem) non ſentiunt. Quod ſi eſt, internum calorem non omnino oppreſſum eſſe conſtat in his febricitantibus, cum exteriora non admodum refrigerentur: & omnino oppreſſo cordis calore, ſyn-

copam oboriri, & nõ febrim, manifeſtum ſit. De noſtra cauſa & argumento paulo antè dictum fuit.

Deinde, quid illud eſt, quando dicunt, Horrorem ſine febri excitari, quando aut cor, aut aliæ partes ſenſiles à vaporibus non putridis moleſtentur, quibus tamen reluctetur calor, eoſque vapores ad externa profliget? Rigores ſine febri ex crudis & frigidis humoribus, in neruoſa corpora expulſis, prouenire Galenus ſcribit. Crudi autem & frigidi, niſi putreſcant, nullis vaporibus aut cor, aut partes ſenſiles lædunt. Sine calore enim vapor non generatur, ſeu naturalis ille ſit, ſeu putredini coniunctus. Ergo, cùm hæc, tum alia multa falſa, falſis argumentis concluduntur fictarum cauſarum.

Quin etiam falſum illud eſt, & cum Galeni ſententia pugnat, cùm dicunt, non ipſis humoribus calidis aut frigidis, ſed vaporibus à putredine ortis, & in habitum corporis diſperſis, horrores aut rigores excitari. Nam ſi hæc ſit cauſa, quî fit, vt in continuis non etiam ſint horrores? aut quî fit, vt in incremento & ſtatu horrere febricitantes deſinant, quibus tamen tempori-

poribus maximè corpus putridis vaporibus est repletum? Deinde, quæ causa est, quòd in Hemitritæis toties inter æstum febrilem repetitis rigoribus corripiantur ægrotantes, vaporumque putridorum expansio vnà cum calore impediatur naturali, tam crebro interpellantibus nouis paroxysmis, & vtrisque caloribus versus interiora corporis receptũ habentibus, subinde nouus incipiat rigor? Nondum enim prioris paroxysmi discussis vaporibus putridis, noui rigores incboant (propter quã causam Hippocrates etiam huiusmodi febres ῥιγώδεις appellat) quorum causam si dicamus nouos expansos putridos vapores esse, sequitur, vt putridi vapores dispersi in habitum corporis per se & faciant & prohibeant rigores; quo nihil dictu absurdius.

Dispersos in habitũ corporis putridos vapores non esse causam rigoris.

Putridis porrò his vaporibus in habitum corporis dispersis, dicuntur ad motum illum rigoris cõcitari neruosa corpora, perinde atq; si quis acu punctus contremiscat. Non autem (quæ nostra est sententia) posse fieri censent, vt priuatiuè neruos refrigerent calidi vapores: neq; etiam posse fieri, vt vapores ijdem positiuè refrigerẽt, dolo-

rem & molestiam inferendo: cum dolore scilicet per se magis alliciatur calor & sanguis ad dolentia loca, quàm ab his propellatur versus penitiora loca: quod doloribus interdum accidit propter συμπάθειαν (vt diximus) cordis cum sensu molestationis, occulta vi naturæ: cum quibusdam doloribus extra cor, quibusdam versus cor ad interiora sanguis feratur. Quo argumento concludunt contra Galenum, Rigorem non esse effectum ἀλγεινῆς καταψύξεως, quã vt veram causam nos suprà propugnauimus: hanc autem aduersariorum esse falsam & inconsentaneam, nunc demonstrabimus.

Manifestum est experientia, dolorem aliàs in causa esse, vt calor cum sanguine à corde versus læsa loca propellatur: aliàs in causa esse, vt à læsis partibus ad se reuocet spiritum & calorem. Idem quoq; vsu venit differentibus animi affectibus, de quibus dictum, quòd nonnulli affectus, refrigerando tremorem seu horrorem incutiant membris.

In doloribus, quibus calefiunt, & quibus refrigerantur neruosæ partes, συμπάθεια & συναίσθησις cordis & cerebri sunt in causa.

Motus

Motus enim ψυχικοὶ ſine his vtrisque non fiunt, niſi per ſympathiam corde affecto, ad interius vel exterius ſpiritus reuocentur & calor. In cauſis dolorificis differentia hæc eſt, quòd nimirùm dolorem excitantes cauſæ ſi ſint cum motu & vexatione titillante quaſi coniunctæ, ad interna propulſionis caloris ſunt cauſa. At ſi ſtabiles ſunt & fixæ cauſæ, ac ſine irritatione motus titillantis, tum ſunt in cauſa, vt verſus loca dolentia calorem & ſanguinem promoueat cor, propter συναισθήσεως συμπάθειαν. Ex quo concludendum, putridum vaporem, cum calore cordis per habitum corporis diſperſum, tantum abeſſe, vt rigorem excitet, vt omnino ſit cauſa profligationis & deſitionis rigoris, cauſam ipſius doloris diſſoluendo. Ante expanſionẽ autem, non qua mixtus calore naturali in vigore febris diffunditur, ſed quo tempore ad cordis penetralia vapor effumat, ab humoribus affligentibus neruos idem generatur, & vnà cum humoribus illis, vellicans & mordicans neruos, non per ſe, nempe poſitiuè (quoniam calidus eſt vapor) ſed priuatiuè & per accidens, refrigerationis neruorum, & mox conſequentis etiam ri-

goris, causa existit: quæ copiosius suprà cùm sint exposita, longiorem orationem non desiderant.

Præterea non video, si, quemadmodum illi dicunt, Rigor non est causa, sed signum expulsionis criticæ in ardentibus febribus desituris breui, quomodo critica hæc expulsio coniuncta sit cum totius corporis concussione, quæ appellationem habeat rigoris: cùm ipsi dicant, Rigorem nō esse causam, sed expulsionem naturæ causam esse critici motus, quæ expulsio post rigorem fit. Quamobrem simul esse non possunt (velint nolint illi disputatores) concussio totius corporis (quæ rigor est) & expulsio critica, qua soluitur morbus: aliàs enim rigor non præcederet crisin, vt signum, & rigor & expulsio critica idem numero motus essent. Cùm expulsionem criticam coniunctam dicant esse cum rigore, id est, cum totius corporis concussione, mox subijciunt tamen (mirū, quàm sint inter se dissentientes illi errores) non statim illo ipso die, quo æger rigeat, criticè expelli concoctos & separatos humores morbificos, sed plerumque proximè sequenti die. Ergo expelluntur criticè sine con-

concuſſione totius corporis, id eſt, ſine rigore. At prius dixerant, cum concuſſione, id eſt, cum rigore expelli criticè. Nec Galenicorum interpretum quiſquam eſt, qui lationem & diſperſionem flauæ bilis per neruoſa loca criticę expulſionis cauſam eſſe dicat, aut ſignum, ſed cauſam duntaxat rigoris ſtatuunt, & ſignum futuræ expulſionis, quæ fit non per neruos vibratos rigore, ſed per calorem naturalem concoquentem, ſeparantem & profligantē morbi cauſam è corpore, & ex his locis, quæ prius his humoribus erant obſeſſa. Et huiuſmodi fiunt etiam in febribus intermittentibus excretiones humorum, ſiue ſymptomaticè ſiue criticè fiant, calore natiuo agitationem in humoribus faciente, quoniam & ipſi ſtimulant expultricem venarum, ſed non eo modo neruos ad motum laceſſunt propulſantem noxios humores, cùm planè ſymptomaticus, & nullo modo naturalis ſit ille motus rigoris. Sed de his, qui ſic diſputant de cauſis rigoris, ſatis ſuperq; dictum. Nunc deinceps, quæ Fernelij ſit ſententia, aut potius qui error, diſſeremus.

CAPVT XV.

Fernelij error reprehenditur.

REPREHENDIT Fernelius Galenicam rigoris cauſam: ſed quibus argumentis eam refellat, primùm conſideremus: deinde, quàm probabilis aut veriſimilis ſit ipſius ratio & probatio, perpendamus. Scribit ſibi acerbum auditu eſſe, ſi quis exiſtimet & dicat; primo febrium inſultu noxiam materiam prorſus è venis in corporis habitum depelli. Quo facto (inquit) tam repētè poſſit noxius humor ſanguini permiſtus, præſertim verò craſſa lentaq́; pituita, aut bilis atra è puriore ſanguine prorſus ſecerni, & quaſi momento in extimas corporis partes, in manuum pedumq́; digitos, & in naſum, (quæ ferè prima frigeſcunt) protinus extrudi. Admirabilis ſanè (inquit) nec vnquam aut vſquam comperta tam expedita permiſtarum rerum ſecretio atque depulſio.

Miratur Fernelius, & quî fieri poſſit, quęrit, vt tam repente poſſit noxius humor, ſanguini permiſtus, quaſi momento in extimas corporis partes extrudi, & cauſa eſſe rigoris, eo modo, quo dictum eſt à Galeno? Apparere, ſed non fieri tamen ſubitò morbos, Ferneli, prodidit Hippocrates, ad hūc ſcri-

ſcribens modum: οὐκ εὐθέως αἱ νοῦσοι τοῖς ἀνθρώποισι προσγίνονται, ἀλλὰ κατὰ μικρὸν συλλεγόμεναι, ἀθρόως ἐκφαίνονται: id eſt, Nõ ſtatim morbi homines apprehendunt, ſed paulatim generati, ſubitò apparent. Deinde differentia hæc eſt morborum, quòd videlicet quidam ſunt in humoribus mobiles, id eſt, habentes materiam mobilem, alij verò partibus inſunt, ſolidis fixi. In humoribus & propter humores fluxionum morbos & ῥευματικὰ πάθη deſcribimus, & quorum etiam (vt in febribus & alijs) paroxyſmos & interualla eſſe contingat, propter motuum & fluxionum ſtata tempora. Liquet autem in febribus intermittẽtibus, certis temporibus, putridis humoribus febrim exardeſcere, & ab initio rigore concuti corpus, vtriſq; aliquandiu durantibus, terminari paroxyſmum, qui tamen ſubinde numeroſè recurrant. Hæc φαινόμενα ſunt, quib. admonemur, vt cauſam harum febrium, ſtatis temporibus factis fluxionib. definiamus. Deinde, altera hypotheſis eſt, vt in ſanguine tales humores eſſe probemus, quibus putreſcentibus, febres fiant: eoſq; & à ſanguine ſeparari, & à facultate venarum expultrice partem

quandam periodicè extra oſcula protrudi in neruoſa loca, quibus rigor excitetur. Veruntamen non inficiamur,in viſceribus etiam & extra venas, in cauitatibus vt putredini obnoxios humores, ita quoque febrium cauſas ineſſe poſſe, cùm nullus non humor, vbicunque putreſcat, febrim efficiat & incendat: ſiquidem putridus vapor per arterias ad cor tranſierit. Obnoxios autem putredini in ipſis quoq; venis reperiri humores, declarant ſynochi, & continuæ febres, cùm tamen rigoribus febres illæ careant. Sanguinem autem & propter dyſcraſiam & propter prauam diętam prauis poſſe miſceri, & onerari humoribus, & qui propter prauitatem & corruptionem putreſcere poſſint, cui quæſo dubium ſit, cùm ſanguis vitioſus ferè omnium corruptorum humorum, qui ſunt extra venas, cauſa & origo exiſtat. Excepto enim eo humore, qui poteſt putreſcere in ventriculo, reliqua omnia loca in homine, vt nutrimenta,ita quoque excrementa,id eſt, prauos humores recipiunt. Eſto igitur firmum, & quod negari à nemine poſſit, Axioma, Fontem & ſcaturiginē vitioſorum humorum eſſe ſanguinem, & quòd venæ

eo

eo ſe poſſint exonerare per extremas oras (quas oſcula Medici vocant) in intimis & extimis corporis partibus, duobus item inſtrumentis, quorum vnum ſit calor naturalis, alterum ſit facultas excretrix venarum ſeu vaſorum, quibus continetur ſanguis, & conſeruatur facultatibus naturalibus venoſi generis. Pertinent hæc omnia, quæ diximus, ad demonſtrationem propoſiti noſtri, & ad refellendum errorem Fernelij, qui ſe Galeno, & approbatæ atq; receptæ ab omni poſteritate, de cauſis febrium opinioni temerè opponit, abſurdis rationibus fretus. Miratur & dubitat, vtrum fieri poſſit, vt noxius humor, ſanguini permiſtus, tam repentè in extimas corporis partes extrudatur, & affligente ipſo neruoſa loca, rigor excitetur. Reliquum eſt, vt eius admirationi & dubitationi à nobis ſatisfiat: quod equidem rationibus ad demonſtrandum accommodatis, nempe οἰκείοις & non πλασμώδεσι λόγοις in præſentia effecturum me ſpero.

CAPVT XVI.

Conſtat primùm, quatuor humoribus ſpecie & natura differentib. conſtitui

ſanguinem, & excepto dicto ſimpliciter ſanguineo, propter exuperantiam reliquorum humorum (quæ nimirum aſymmetria dici conſueuit) deprauari ſanguinem, & κακόχυμον fieri: nempe aut pituitoſum, aut bilioſum, aut melancholicum, nemine (opinor) repugnante, conceditur. Deinde in confeſſo etiam illud eſt; Humorum ſc. duplicem corruptionem ſeu διαφθορὰν eſſe. Vna corruptio violenta dicitur, & altera naturalis, nempe putrefactio. Sed de his aliàs dictum. Humorum autem hoc loco vocabulo, non volo intelligi ſanguinem ipſum, quem etiam (autore Galeno περὶ πλήθους) quia ſit mixtus & compoſitus ex quatuor humoribus, vulgò medici appellant Humores, ſed ſigillatim & ſeparatim ſingulos: qui, vt dixi, bifariam corrumpi, & naturalem ſpeciem amittere poſſunt. Aut enim dyſcraſia corrumpuntur humores; vt ſi ex flaua bile fiat æruginoſa, aut ſi ex naturali pituita fiat acida & vitrea; aut ſi ex melancholico humore fiat atra bilis. Aut corrumpuntur humores putredine: q̃ putredo nimirum, vt propter externum calorem διάκρισις quædam eſt generatione ſubſtantiæ concretorum elementorum in ſub-

ſubſtantijs, ex elementis concretis: ita ſi generentur ſecundum naturam humores illi, σύγκρισιν quandam naturalem elemẽtorum fieri eſt neceſſe, qua cuiuſque rei eſſentia mixtione generabilis Eſſe, & Naſci mixtione dicitur. Illa quidem violenta, ſed hæc naturalis rerum corruptio appellatur à phyſicis. In febribus putredo eſt humorum, & ſeparati in febribus humores, vel loco, vel diſpoſitione, à tota maſſa ſanguinis putreſcunt. Ergo quinam, & quomodo, & qua cauſa ſeparentur, conſiderandũ. Deinde, qua vi & facultate extra vaſorum ora ad loca neruoſa expellantur, explicandum. Calor naturalis omnium ſecundum naturam habentium eſt opifex, & δημιουργός. Dyſcraſia autem, vt diximus, aut deprauat humores, aut eos corrumpit. Paulatim ſanguis deprauatur dyſcraſia, cauſis, de quibus paulo antè dictum, κακοχυμίαν promouentibus, quæ κακοχυμία cùm aliorum morborum, tum in primis febrium cauſa exiſtit. Miſcetur itaq; cum vnius aut alterius humoris exuperantia ſanguis: qui, ſi caloris naturalis temperationem effugerit, vitioſam qualitatem adſciſcet, qua facilè poſſit humor talis, alieni & exteri caloris

contagio putreſcere, ſua propria & natiua craſi, ſeu temperatura paulatim langueſcente. Violenta autem eſt corruptio, ſi aut externo inſigni calore, aut vehementi frigore penitus, & ex toto alterentur humores. Putredo autem prouenit, propria & natiua humoris temperie perempta, calore ſubeunte ſcilicet alieno, quo compago concretorum elementorum, vinculo extincto natiui caloris, diſſoluitur, & in ſua diſcedit primordia, quod coaluit vi naturæ, generatũ ex elementis corpus humoris. Conditio hæc & natura eſt putreſcentium. Cùm autem vniuerſus humor aliquis putredini non ſit obnoxius, vt in tertiana, non bilis tota, aut in quotidiana, non pituita omnis (habilis ſit ad putredinem) quæ cum ſanguine eſt mixta, ſed portio duntaxat quædam ipſius putreſcat, & paroxyſmorũ interuallis diſtribuatur in partes hæc ipſa portio, quæ propenſa eſt in putredinẽ: & diuerſis temporibus putreſcendo in febribus euaneſcat & abſumatur, atque periodis pluribus febres repetantur ſubinde, cauſa videlicet nobis inueſtigãda, ꝑꝑ quam partitio hæc paroxyſmorum inſit humoribus, & vna prius, altera poſterius putre-

putreſcendo febrem accendat. Ergo eorum, quæ diximus, cauſa eſt, diſpar, atque diſſimilis partium affectio & craſis, quam Græci appellant ἀνομοιομέρειαν. Mixturæ autẽ huius τῶν ἀλλοφύλων partiũ cauſa eſt multitudo & prauitas aggregatorum humorum, infirmiore exiſtente calore naturali, quàm vt vel cõcoqui vel ꝓfligari, tanq̃ inutiles, poſſint è corpore. Calor .n. naturalis vincens vtrumq; præſtare poteſt. Proprium aũt caloris naturalis eſt, vt ὁμόφυλα; ſed frigoris, vt ἀλλόφυλα congreget, & in vnum contrahat. Illius effectus eſt concoctio; huius autẽ ę̃ſt cruditas humorũ, quam vtramq; non modò in ventriculo, ſed in venis etiã eſſe dicimus. Plenius hęc & vberius aliàs demonſtrantur. Ergo cruditas humorum in venis quædam omnem febrim & putredinem præcedit. Differentia aũt hæc eſt incipientis corruptelæ in humoribus, ꝙ videlicet in omni crudo humore περιττώματα quædam ſunt admixta, vt in crudiore bile, aut crudiore pituita, aut ꝑꝑ multitu dinem, aut propter qualitatem: & quo vetuſtiora περιττώματα, eò propius aſpirant ad putredinem, & longius à naturali temperie receſſerũt. Quando mixtura hæc τῶν

ἀλλοφύλων ſeparari nequit concoctione, quæ fit per calorem naturalem,& qualis ſeparatio quoq; eſt vitioſorum humorum in perfectis criſibus, corruptiores humoris nihilominus partes à minus corruptis,tanquam περιτ{τ}ώματα quædam minus deprauatorum, partim efficacia caloris natiui, partim facultate vaſorum excretrice ſeparantur, irritata facultate hac ſymptomatica talium humorum ſtimulatione, quæ eſt oppoſita criticæ, qua perfectè ὁμόφυλα & ἀλλόφυλα ſeparantur & excernuntur: ſed ſymptomatica hac, imperfectè, & qua ſignificetur & materiæ cruditas, & facultatis cõcoctricis languor & infirmitas. Quapropter non abſurdè quiſpiam talem ſecretionem à totis crudis adhuc exiſtentib. humoribus, quaſi περιττώματος cuiuſdam (vt dixi) corruptioris humoris expulſionẽ, non immeritò appellet ἀπόκρισιν νοσώδη quandam. Maiore impetu & vibratione fiunt apocriſes illæ, cruda adhuc exiſtente materia in morborũ acutorum incrementis,& in ſtatu, ſi eueniant diebus non criticis: quoniã & illi humores crudiores, nondum ſeparatis reliquis, excretricem facultatem ſtimulant ad expulſionem intempeſtiuam

Gal. lib.3. de criſib.

ſtiuam

ſtiuam (id eſt, nondum concocta aliqua ex parte materia) ſed tamen alio modo. Nam qui paroxyſmos & rigores faciunt, ſeparatione hac putredini ſubijciuntur, & à reliquis ſeparati humoribus in venis verſus exteriora, profligati à venis, feruntur. At nulli quidem ſubitò humores in alium locum propelluntur, niſi prius tanquam περιττώματα ſeparentur: nec ſeparantur, niſi noua quædam alteratio præcedat, quæ quaſi turgidam (vt vocat Hippocrates) faciat vitioſam materiam, ad creandum paroxyſmum, materiam corrumpens putredine. Alteratio autem hæc in humoribus, ſymptomaticè irritantibus facultatem excretricem, talis eſt, vt habiliores ad putredinẽ adhuc intra venas exiſtẽtes humores, quaſi fumare alieno calore (ſed putredini vernaculo & proprio) aliquandiu ante paroxyſmum incipiant (quem motum, quamque ὀργὴν ſeu ὀργᾶν, appellat ὑποτύφεσθαι Galenus) quam alterationem etiam in pulſibus nonnihil compreſſis deprehendi, autor eſt Galenus, libro 2. De differentijs febrium. Humor itaque facturus ſua putredine paroxyſmum, ſenſim initiò alteratur ad deterius, & loco mouetur in venis.

Turgentibus humoribus ſubitò fiũt excretiones, aut ſymptomaticæ, aut criticæ expulſiones, intra, vel extra corpus.

Quando paroxyſmus autem appropinquat, magis ac magis turget: inſtante autem paroxyſmo, celerrimè motu expellentis facultatis, extra oſcula venarum humor euomitur quaſi, ac magis magisque protruditur extra, irritatis venis ad huius humoris expulſionem: propterea, quòd videlicet à natura qui fiunt motus, initiò tardiores, ꝓgreſſu autem & circa finem magis intendantur, & ſint velociores coactis & violentis motibus contrà ſe habentibus. At naturalis eſt motus, quo nocentia à ſe repellit vel calor naturalis, vel facultas naturalis venarum (ſiquidem materia hæc mobilis fuerit) vel vis naturæ expellit, vt luctari & defatigari eam non ſit neceſſe. Quàm autem incitati & repentini interdum ſint motus humorum in venis agitatorum, lippis, vt dicitur, & tonſoribus eſt notum. Itaque non ſine alteratione, non ſine ſeparatione, non ſine expultrice facultate, id eſt, non ſine cauſa motionis quadam humores in febribus intermittentibus ad extimas protruduntur partes, & illic rigorem excitant propter cauſas dictas, ſed à Fernelio (propter opinionem falſæ cauſæ) pernegatas, & temerè reiectas. Poteſt

test etiam fieri, vt περίττωμα illud humoris praui cuiusq; in sanguine, vi caloris naturalis separatum (vt videmus aliàs in turbida vrina, calore crassas partes à tenuibus & aquosis separari) postea caloris eiusdem motu ab internis & amplis venarum spacijs, versus angusta venarum ora paulatim protrudatur, horis aliquot ante paroxysmum (quo motu calor internus dicitur quasi parturire febris materiam & paroxysmum, & quo, vt Galenus scribit κατὰ βραχὺ ὑποτύφεται materia febrilis) quod περίττωμα deinde expultrice facultate circa oscula venarum irritata, subitò in habitum corporis, & neruosa loca ꝓtrudatur: vt hoc modo rigoris sit causa quodammodo coniuncta, & non antecedens; quam coniunctam necesse sit cum suo effectu esse simul, seu, vt Aristoteles loquitur, ὁμόγονον εἶναι. Sunt similes causæ expulsionis profligatorum extra venas aliquorum etiam humorum in solidas corporis partes, cùm naturalium, propter exuperantiam & πλῆθος, tũ dyscrasia quadam corruptorum: vt primũ, si separati non sint (tanquam περίττωμα quoddam) separentur, & à calore naturali ad fines, & ad ora vasorum propellentur.

Deinde facultate vaſorum expultrice incitata ſubitò, in obnoxias partes nonnunquã irruunt: quibus videmus multa & varia πάθη ῥευματικὰ generari, vt phrenitidas, melancholias, manias, comata in cerebro: alias præterea affectiones in alijs partibus, vt iam ſit nihil, quod non ſub ratione περιττώματος à calore naturali, & tanquam ἀλλόφυλον quiddam & ſeparetur, ſecludaturq́;, & poſtea ad expulſionem extra promoueatur: ſiue crudi omnino ſint humores, & à calore naturali non euicti temperatione quadam, vt in dictis modò νοσώδεσι ἀποκρίσεσι: ſiue imperfectè concocti, vt in imperfectis criſibus: ſiue perfectè elaborati, vt in perfectis criſibus. Non autem omnes humores illi ſunt habiles, vt putreſcant: & niſi putredine corrumpantur, febres non creabunt. Quæ ſit corruptela humorũ ſine putredine, ſuprà diximus. Nam ſi bilis ſit admodum ſicca & calida, nõ putreſcit: & pituita, ſi valde frigida & acida ſit, aut etiã mediocriter frigida (vnde horrores ſine febribus, veteribus ignota ratione, oboriuntur) non putreſcit, & atra quoque bilis (vt Fernelio falsò videtur) quartanæ non eſt cauſa, ſed materia eſt putredinis

dinis (vt Galenus loquitur) melancholicus ſuccus. At nihilominus corruptis illis humoribus ſine putredine, & multi & varij morbi generantur, quibuſdã ſubitò erumpentibus, nonnullis paulatim in locis affectis aggregatis & collectis. Arbitror hactenus Fernelij & admirationi, & reprehenſioni receptæ Medicorum ſententiæ, ſatisfactum eſſe. Simili modo ſequentia quoq; argumenta excutiemus, & falſitatẽ horum declarabimus, vt veritas pateſiat febrilium cauſarum.

CAPVT XVII.

ARGVMENTO quin etiam cõtinuarum febrium nos vrgeri & premi, Fernelius cenſet. Quærit autem, cur in his febribus peccans materia in vaſis maioribus conſiſtat tota, & cur non eius quoque portio in corporis molem effundatur quæ rigorem efficiat. Quoniam (inquient Galenici) exilium venarum obſtructio in his, quàm in intermittentibus, maior eſt, atq; tanta, vt omnem humorem intus contineat. Sed hoc diuerticulum eſt. Nam plurimæ continuæ aut ab horrore, aut à rigore primum inuadunt. Quod ſi ipſo ſtatim

Sententia Fernelij.

initio bilis in corporis ſumma effundebatur, curnam deinceps, quoties inardeſcit, aut motu nouo incandeſcit eodem ſimiliter non inſilit? Hactenus Fernelius.

Quod in intermittentibus περιττώματα expelluntur extra venarum oſcula, robur partim in cauſa eſt vaſorum, & caloris naturalis impetus: partim ipſius materiæ, quę febrim facit, mobilitas & paucitas. Maior enim copia in continuis eſt, quàm in intermittentibus, maiorq; putredo. Eius quod diximus, τεκμήριον eſt, quòd intermittentibus ingraueſcentibus aut vſu non conuenientium medicamentorũ, aut praua diæta irritatis, & in deterius lapſis, accidit vt in continuas permutentur. Et continuæ interdum, materia nonnihil cõcocta, & pręcedentibus paroxyſmis diminuta (præcedentibus circa finem ſc. rigorib.) ſoluũtur intermittentibus, propter paucitatẽ & coctionem, naturali calore reliquias validius depellente extra venarum oſcula, & poſterius etiam calore naturali, critico impetu, ꝑ loca excretioni deſtinata, omnem morbificam materiam ſalubriter extra corpus propulſante. Eadem nonnunquam natura extremo inſurgens conatu, oppreſſa multitu-

titudine, aut initiò talium febriũ, aut quouis alio tempore, irrito nixu resistens humoribus, eos expellendo rigoris est causa: sed quem tamen conatum, propter cruditatem, & multitudinem, & impotentiã virium, nulla critica sequatur vacuatio, succumbendoq́; materiæ multitudini & cruditati, lethiferi morbi signũ rigor ille existit. Ergo extra non expelluntur, sed intra vasa manent huiusmodi νοσώδη περιττώματα febrilia, & ἀπόκρισιν quandam habent etiam, qua incipiant & declinent, non autem perfectè terminentur paroxysmi, aut qua cum horrore aut rigore incipiant accessiones, cùm versus extima corporis non propellantur, propter causas paulò antè à me commemoratas.

Causas autem intra retentorum, non dicimus esse venularum extremarũ obstructa oscula: sed cohibitionis intra est hæc causa: quòd propter multitudinem, vi & impetu naturæ non possint expelli περιττώματα. Frustra autem probat, non esse obstructa oscula, quia continuas nonnullas, & plures quidem, vt ipse dicit, arcessere à rigore manifestum sit: quibus in continuis etiam patula esse venarum ora, non

dubio argumento probetur. Et nos equi-
dem fatemur, non obturatis osculis, conti-
nuas generari febres:& quòd incipiant cō-
tinuæ nonnunquam erumpentibus qui-
dem, & rigorem facientibus excrementis
febrilibus, non esse argumentum, vt poste-
rioribus paroxysmis idem fiat, sed signum
esse, quòd περίττωμα ab initio minorē ha-
bens ἀπόκρισιν, cum natura facilius possit
expellere, cùm circa initia & fines, vt Hip-
pocrates inquit, omnia sint leuiora in acu-
tis, circa statum vehemētiora. Haud aliam
ob causam ex intermittentibus nonnun-
quam fiunt continuæ, multitudine περιττω-
μάτων aggrauante naturam expultricem,
quæ remoratur expulsionem multitudo, &
non obstructio osculorū in extremis venis.

Tertium est argumentum, quo fretus
Fernelius negat ad extima membra febri-
le περίττωμα propelli, sed ad viscera inter-
na: quia in horrore & rigore febrium in-
termittentium vrinæ reddantur albæ, te-
nues & crudæ: quod aperto sit indicio, bi-
lem tum flauam, tum atram, intrò potius,
quàm foràs compelli. Tum temporis etiā
molestam esse suffocationem, tussim siccā,
oscitationē, præcordiorum distensionem:
sub

ſub rigoris finem, bilioſam vomitionem. Progreſſu acceſſionis, & multò magis in declinatione, omnia miteſcere, & vrinas fieri craſſiores, magis citrinas aut ruffas: quæ argumento ſint, tum temporis bilem, vt in vrinas, ita & in corporis ſumma contendere. Hiſce, inquit, omnia contraria obtingerent, ſi acceſſionis initiò, bilis in ſumma corporis irrueret. Hæc Fernelius.

Quia, inquit, putreſcit, & continetur in primis venis: imò ex primis etiam venis in viſcera, tanquam receptacula quædam explosũm περίττωμα, antequam ſanguis in iecur tranſcendat, putreſcẽs deliteſcit: quibus in locis, tanquam focis, materia intermittentium febrium incenditur, & ante febrim etiam rigores præcedunt: iccirco in horroribus & rigoribus vrinas conſpici albas, crudas & tenues, & reliqua ſymptomata naſci cenſet, quæ non poſſent eſſe, ſi humorem ad externas partes propelli ſtatueremus. Cauſam morbi conſentaneam eſſe debere φαινομένοις ſymptomatibus, nemo eſt, qui debeat aut poſſit inficiari. At vera falſis etiam probari poſſe argumentis, in confeſſo eſt apud Dialecticos. Quapropter horum ſymptomatum rationem,

noſtræ cauſæ hypotheſi conſentaneam, monſtrare primum aggrediamur: deinde falſitatem cauſæ Fernelianæ coarguemus argumentis verioribus contra diſputando. Initio paroxyſmorum vrinas tenuiores, & crudiores eſſe manifeſtum eſt. In cauſa eſt externum rigoris frigus, & quòd ſanguis confluens ad interna, coit denſius & anguſtius, & ſe ipſum obruẽs quodammodo, ſuo affligit & ſupprimit motu, impedita expanſione, & perſpiratu libero carente calore natiuo, multũ etiam compreſſis & coarctatis arterijs hac reuocatione. Quæ ſanè omnia ſunt nobis indicio, calorẽ naturalem laborare & langueſcere, in anguſtiore ſpacio contra naturam contractũ: & fonti quoq;, ſeu potius foco ſuo, quod eſt cor, arterias debitũ officium non præſtare legitimis pulſibus, tanq̃ ſpiraculis quibuſdã deſtinatas: quibus alioqui cordis calor foueatur, & fumoſis excrementis liberetur, quibus putridi quoq; vapores ſi incipiãt admiſceri, neceſſe ſit pleroſq; naturalis caloris actus & officia impediri in paroxyſmis febrium. Calorem naturalem effectorem & δημιουργὸν eſſe omnium operũ, quibus ad ſui cõſeruationem, & ad ſanitatem ani-

animali ſit opus, ſuprà dictũ fuit. Inter hæc opera liquet etiam eſſe διάκρισιν & ſecretionem inutilium humorum, qui in ſanguine redundant: quibus redundantibus cùm alij morbi, tum in primis febres generantur. Redundantia hæc cruditatem in ſanguine facit (præſertim initio paroxyſmorũ) & vim caloris minuit ac debilitat: quo infirmato τῶν ἀλλοφύλων humorum concremento, ſanguis deprauatur, vt ſeparandi non ſeparentur, ſpontaneę́q; laſſitudines proueniant: & maior ſi corruptio fuerit, etiam febres incenduntur. Quòd ſi crudo ſanguine exiſtente, crudæ etiam vrinæ excernuntur (qua nimirum ἀλλόφυλα, ꝓpter frigus & cruditatē ſanguinis, ſecreta & ſeparata non conſpiciuntur) quis quæſo mirabitur, ſi in febribus, & pręſertim in acceſſionibus, crudas eſſe aut fieri vrinas contingat. In ſumma cruditate (Galenus ait) aqueam prorſus ſpeciem vrinam habere, quia calor naturalis nihil ſeparat, & frigus ſanguinis conſtringit, & quaſi congelat ſimul omnes concretos humores. In acceſſionibus intermittentium concurrunt plures cauſæ debilitantes calorem naturalem. Prima eſt communis; nempe ꝙ crudus in

omnibus febribus eſt ſanguis, & conco-ctione indigens, qua ſeparentur inutiles humores. Altera eſt νοσώδης ἀπόκρισις, qua putredini obnoxij humores ſeparati, per habitum corporis diſperguntur, & horro-rem excitãt, ac frigus in externis partibus. Tertia eſt receſſus ſanguinis ad penetralia, quo impeditur calor, vt nec concoquere, nec ſeparare quicquam poſſit eorum, quæ ſunt in ſanguine ἀλλόφυλα. Qui requirunt alias cauſas, hi, quæ demonſtratio ſit crudi-tatis in vrinis, mihi videntur ignorare. Re-liquorum ſymptomatum in acceſſionibus ſimiles ſunt cauſæ. Suffocatione caloris circa penetralia cordis, quid mirum, ſi im-peditum quoque ægrogantes habeant an-helitum. Quid, intrò repentibus omnibus humoribus & fumis, ſiccas etiam tuſſes ir-ritari propter oppletos pulmones, admira-mur? Oſcitationes autem & pandiculatio-nes, quis ignorat, nec non etiam diſtenſio-nem præcordiorũ fieri, à vaporibus & fu-mis in ſolidis partibus incluſis, & excretri-cem facultatem irritantibus ad motum, & ad expulſionem: quorum vaporum cauſa ſit febrilis acceſſio? Quæ quidem omnia progreſſu febrium remittuntur, & præci-

puè

puè in declinatione, calore naturali causas horum symptomatum vincente & depellente: quo tempore etiam tinctiores, & magis ruffæ vrinæ conspiciuntur, soluto sanguinis frigore per diffusionem caloris; non tamen concoctæ, sed morbidis excretionibus confusæ & mixtæ apparent, cùm aquosa sit omnium crudissima vrina.

Fernelius autem sic contrà disputat. Si accessionis febrium illarum causa sit in secundis venis, tum propter rigorem repulsis ad penitiora humoribus, nempe versus cauam venam, tinctiores ab initio vrinæ apparerent, propius ad emulgentes venas collectis humoribus per vrinam vacuandis: at in statu & declinatione, per vniuersum corpus diffusis, & ad vrinæ secessum minore copia aggregatis, tenuiores & magis aquosæ apparerent. At secus ista fieri, inquit, φαινόμενα ipsa declarant. Quapropter, vt φαινομένοις aptam & congruentem causam adhibeamus, dicendum putat, ac sentiendum, humores illos ex primis venis primum ad viscera propelli in paroxysmis: quibus receptis accidat rigor, calore naturali ad interius & circa prçcordia collecto: eodem postea expanso & diffuso, πολυπλώ-

ματα febrilia partim in venam cauā propulſari, & per vrinam excerni, aut ſudoribus vacuari: partim per meſaraicas penetrantia, aut vomitu, aut excretione alui expurgari.

Valde magnum poſtulatum illud eſt Fernelij, καὶ μέγα λίαν αἴτημα, vt quodam in loco Ariſtoteles Empedocli exprobrat, quod ſibi credi vult, quod tamen ipſum probari nullo modo poſſit. Quamobrem probationem hanc potius ἀπαγωγὴν quis, quàm ἀπόδειξιν dixerit eſſe. In primis venis febrilia excrementa colligi cenſet, quæ in acceſſionib. febrium intermittentium (neſcio qua cauſa motis) impetu quodam ferantur in viſcera hæc, quæ venis iſtis ſcilicet nutriantur, & in quæ, tanquam receptacula quædam, inutiles humores & excrementa hęc, tanquam in ſentinam quandam deponantur. Circa præcordia hæc eſſe, & in tertio ventre continente viſcera, circa ventriculum, circa diaphragma, iecoris caua, pancreas, omentum aut meſenterium. Præcordia autem, & partes omnes, quæ circum hæc ſunt, quia membranis ſepiantur, neruoſque ſuſcipiant ſentientes è ſexta cerebri coniugatione, eximio

Ariſt. lib. 2. De anima.

Fernel. libro 4. cap. 10. De febribus.

mio

mio quodam ſenſu eſſe præditas. Magna etiam ſocietate tum principibus, tum externis corporis partibus connexas eſſe, & adeò conſentientes, vt affectæ mox principes partes, vniuerſumq; corpus in conſenſum trahant.

Intermittentium febrium paroxyſmorum autẽ rigoris cauſas eſſe humores, qui aut frigore, aut acrimonia neruoſa loca refrigeratione dolorifica afficiant, vtrinque concedimus. Et hanc refrigerationem fieri non propter συμπάθειαν cordis, qua verſus cor calor naturalis cum ſanguine, ab exterioribus ad interiora refugiens, impetum faciat propter partes externas, frigidis aut acribus humoribus afflictas, qui humores diſpergãtur in habitum totius corporis: quod ſanè nos defendimus; negat Fernelius. At Fernelius, ex primis venis humoribus & excrementis ſanguinis expulſis in viſcera, & partes modò dictas, propter doloris ſenſum, ad penitiora etiam reuocato calore ab exteriorib. rigores & horrores creari cenſet febriles, illic putreſcentib. ſc. humoribus, & febrim intermittentẽ generãtib. Fatemur nos etiã cũ Gal. febriũ in viſceribus quoq; cauſas poſſe ſubſiſtere,

Gal. lib. 2. De diff. feb.

vt in ſplene, aut iocinore inflammatis, aut
prauis illis humoribus, propter obſtructio-
nes incluſis ac putreſcentibus. Verunta-
men febres has ſimiles eſſe dicimus ijs, quę
excitentur putredine humorum, non ex-
tra, ſed intra vaſa putreſcentium, nempe
continuis, & non intermittentibus. Cau-
ſas continuarum febrium Galenus docet
conſiſtere vel intra, vel extra viſcera. Et in
viſceribus aut phlegmone affectis, aut pro-
pter obſtructiones interclufis humoribus
ab exitu, & putredine corruptis, & perio-
dos (quales ſunt in continuis) paroxyſmo-
rum habentibus. Galeni ſententia hæc eſt,
in priori libro De diff. feb. σήπεσθαι συμ-
βαίνει τοὺς ἐν τῷ βουβῶνι χυμοὺς ἀθρόως, εἴτε
κατὰ μίαν ἡμέραν, εἴτε κατὰ δύο συνεχῶς,
ἅτε ὁμιλοῦντας τε ἀλλήλοις, καὶ κατακεκλει-
σμένους ἐν ἑνὶ χωρίῳ, τοὺς δὲ κατὰ τὰ σπλάγ-
χνα, καὶ τὰ μεγάλα τῶν ἀγγείων, ἅτε διαῤ-
ῥέοντας ἀεὶ, καὶ σηπόντας, ὅσων ἀνεφάψων-
ται χρόνῳ πλείονι τὸ σηπεδονῶδες ἀνάπτειν
θερμόν. Id eſt, In Diarijs quibuſdam febri-
bus (vtpote habētibus externam cauſam)
putreſcere accidit in bubonibus humores
confertim, aliàs intra vnũ, aliàs intra duos
dies continenter: vt qui ſe mutua conta-
gione

gione afficiant,& ſimul in eodem ſint loco incluſi. Iis autem, qui aut in amplioribus vaſis,aut aliàs in viſceribus putreſcunt,propter aſſiduas affluxiones,& quòd putridi alios (nondum putridos corrumpant) ſubinde affluentibus humoribus longo tempore, febres prorogari continuæ ſolent. In eadem ſententia eſt Hippocrates in libro De Adenibus,quando ſcribit,non multum dolere adenas, & dolor ſi quis ipſis accidat, cum ipſis accidere propter multam replemtionem, qua proximæ neruoſæ partes intendantur: aut proprio affici dolore propter φύματα, qui in his partibus bubones appellantur, & febrium ſunt cauſæ(intrinſecus excitatæ) ſed putridarum continuarum, & non intermittentium. Sic Hippocrates: κ' ἢν πουλὺ εἴη, καὶ νοσώδης ἡ ῥοὴ, ξυντείνουσι αἱ ἀδένες ἐπὶ σφᾶς τὸ ἄλλο σῶμα, οὕτω πυρετὸς γίνεται. Fernelius ex primis venis humores illos propelli in viſcerũ receptacula, & viſcera, quia habent acrem & eximium ſenſum moleſtari, & dolore affici his receptis ſcribit: quo dolore compatiente corde, & receptu ad interiora caloris, exteriores partes exangues & frigidas reddi cenſet,cum rigore motas. At nos ſu-

prà de Galeni ſententia oſtendimus, in viſceribus mediocrem facultatem eſſe, quâ ſentiant ſe moleſtantia. Teſtatur id ipſum quoq; experientia. Cùm enim humoribus quotidie huc illuc motis, tranſitum præbeant, nullo tamen eorum ſenſu afficiuntur & non opus etiam eſt illis acri ſenſu, niſi vt irritentur ad nocentium expulſionem, quę nocentia, ſi vehementer lædunt, haud eximij doloris in viſceribus cauſa exiſtunt interdum. Sentiunt ergo, & moleſtantur propter neruos ſuos naturalia hæc inſtrumenta, duntaxat, vt virtus & facultas excretrix in his excitetur: qui motus eſt naturalis, & non animalis. In rigore autem motus eſt prorſus ſymptomaticus (vt ſuprà fuit demonſtratum) qui animalibus inſtrumentis, quatenus animalia, & non quatenus naturalia ſunt, accidit. Hac moleſtantium humorum irritatione aliàs fit, vt vnum viſcus in aliud ſe exoneret, vi facultatis inſitæ, validius in imbecillius & infirmius, nullo noſtro ſenſu permutantur: & in vaſis etiam præcipites huc & illuc feruntur humores, ad expulſionem excitata facultate excretrice, & non propter συναί-

θησιν doloris cuiusdam, quapropter συμ-πάθειαν cor etiam suos humores ad penitiora reuocet, vt fit in causis antecedentibus rigorem. At nisi doloris sit συναίσθη-σις, nulla sympathia erit cordis, sine qua nulla reuocatio est sanguinis ad propinquiora cordi loca. Sine sensu autem nullus dolor est: quare cùm sine dolore sit in visceribus infestantium hęc irritatio & expulsio, & cùm motus ille, sit opus facultatis naturalis, sequitur, hac expulsione neruos non affici: cùm nerui sine dolore per se non afficiantur contra naturam causis, nisi influentia spiritus animalis impediatur, vt fit in paralysi. Lassitudines autem spontaneæ plerumque, imò semper paroxysmos intermittentium antecedunt: quas in exterioribus membris, & non in internis visceribus percipimus. Ex quo concludendum, Rigoris causas non in naturalibus organis, sed animalibus, nempe in partibus externis, & non internis præsertim subsistere; neruosa scilicet loca dolore quodam humoribus prauis infestantibus. Dolorum autem in visceribus sensiones aliorum morborum, quàm febris, symptomata existunt, quibus rigores tamen

non excitantur, quemadmodum nec in animalibus instrumẽtis quæuis doloris molestia est causa febris, multò minus rigoris. In ventriculo, propter putrescentem in fundo humorem, tepidas febres, & instar hecticarum, non multum molestas caloribus prouenire scribit Galenus. In alijs etiam collecti, & illic diutius subsistentes humores, putrescunt, sine rigoribus tamen, sed continuis febribus ægrotantes afficiũt. Nam patentibus meatibus si protrusi in viscera humores nullo molestiæ sensu afficiunt receptacula hæc, & loca: sed quod acceperunt venæ, transmittunt, & nullius rigoris hac expulsione sunt causa, nec febris etiam: at quomodo illic permanẽtia quęsso rigoris causa erũt, cum immotis & quietis humoribus rigores non excitentur, quamuis febres continuæ his putrescentibus possint incendi? At non patulis, sed obstructis viscerum meatibus si subsistunt in viscere humores, aut grauitatis, aut tensionis, aut inflammationis sensu, & non rigoris molestari se declarabũt viscera. Acrem autem sensum esse in visceribus, qualis est in animalibus membris, motu sensuq; vigentibus, nos pernegamus. Quare fictis

Gal. lib. 3. de caus. sympto.

alie

alienisq;, & multa probatione indigentibus hypothesibus argumenta Fernelij insistunt, & αἰτήματα sunt valde absurda & improbabilia, quibus tamen imperiti facilè omnes capiantur. Adenibus seu glandulis circa axillas, & inguina inflāmatis (tumores illos appellāt bubones) febrim diariam excitari scribit Galenus, id est, sine rigore febrim. Cum pancreas autem sit etiam ex glandularum genere, quinam, humoribus in eo præter naturam receptis, horrorem aut rigorem dicemus excitari, cùm in adenibus acrimonia sentiendi nulla insit (quoniam vt Hippocrates scribit in libro de glādulis, πονέουσιν οὐ κάρτα) quamuis nonnulli neruos habeant: quidam autem sint his destituti? Glandulæ autem cū ad repellendos humores sint infirmiores, fluxionibus magis, quàm reliquæ partes infestantur. At reliqua viscera, vt splenem & iecur, quàm habeant eneruem carnem, ex anatomia noscimus. Quam igitur habebunt rigoris causam, non acri sensu, aut nullo prædita? Omentum & mesenterium pinguetudine sunt oppleta. At pinguia, aut nullo, aut obtuso sensu sunt prædita, etsi neruis prædita esse non negamus hæc vi-

ſcera, ſed ad ſentiendum tamen obtuſio-
ribus ipſis per ſe exiſtentibus: cùm ad alia
tranſeuntibus viſcera neruis, ſint tantùm
adminiculum & fulcrum, non vt ipſa ſen-
tiant per ſe. Hæc igitur, quæ dicuntur à
nobis viſcera, aut nullum, aut obtuſum ha-
bent ſenſum: humores præterea in his
quietè colliguntur & ſubſiſtunt: & ijdem
humores non admodum acres, aut frigidi
in primis venis generantur. Humores
enim acrimoniam acquirunt perfecta ſan-
guinis concoctione: & in ſecundis venis
præcipuè diuturnitate corrumpuntur. O-
mnino enim in primis venis ſunt dilucio-
res ac remiſſiores: in poſterioribus magis
ἄκρατοι & ſynceriores ἀμετρίᾳ. At pu-
tredo non eſt cauſa rigoris: alioqui febres
omnes putridis vaporibus rigores excita-
rent. Quare, cùm nulla cauſa ſit in viſce-
ribus, & in primis venis rigorificæ febris,
in ijs cauſas etiam rigoris nullas ineſſe, no-
bis eſt confitendum. Cauſæ rigoris (pro-
pter exquiſitiorem ſenſum) poſſunt eſſe in
ore ventriculi: ſed febris cauſæ magis in
fundo (vt ſuprà) de Hippocratis ſenten-
tia, ſubſiſtunt. Et rigores aut horrores,
breues

breues tamen eueniunt propter veſicam, aut vterum, propterea quòd exquiſitiore ſenſu ſunt prædita: ſed febres non ſequuntur, niſi phlegmone laborent, quæ tamen continua ſit, & non intermittens. Nec pulmonum caro, quia neruis deſtituitur, quamuis ádmodum capax ſit humorum, rigorum cauſis eſt obnoxia: febribus autem eſt, ſed propter phlegmonen, aut propter putredinem.

Neq; etiam nauſea, aut, ſub finem rigoris, vomitus ſignum exiſtunt in viſceribus his quæ primis venis nutriantur, cauſam rigoris ineſſe. Duæ enim ſunt cauſæ, propter quas ventriculus affectiones has ſuſtinet in intermittentibus. Vna, quòd humores & περιττώματα extra primas & ſecundas venas in intermittentibus ſunt mobilia, & facultatem excretricem venarum ſtimulant, vt ſe verſus exteriores & interiores partes exonerent: quod ipſum in continuis non fit. Altera, ꝙ cor ipſum, & arteria magna, propinqua ori ventriculi, quãdo laborant, ipſum quoque os ventriculi in conſenſum trahunt: vt viciſſim ore ventriculi affecto, ſimul etiam arteria & cor coafficiuntur. Pati autem cor & arteriam

in intermittentibus, ἐπισημασίαι acceſſionum declarant. Eſſe autem corpus σύμπνουν καὶ σύῤῥουν, in Hippocratis eſt Enunciatis.

Crudæ vrinæ quòd initio paroxyſmorum apparent, in cauſa non eſt, quòd bilis intra primas venas contineatur: & quòd ſoluto paroxyſmo diffundatur poſterius in ſecundas venas: ſed cauſa eſt, quòd ſanguis refrigeratione hac paroxyſmi in ſecundis venis (alioqui per ſe ſatis crudus) magis incrudeſcat: quę poſtea cruditas, & quaſi coitio τῶν ἀλλοφύλων humorum, ſubſequente calore per venas diffuſo, ſoluatur, & quodammodo liqueſcat, parte quadam cum vrinis mixta, qua tinctæ apparent, cũ prius eſſent aquoſę. Bilis autem ſubſiſtens in primis venis poſt paroxyſmum non diffundit ſe ex neceſſitate in ſecundas venas, nec rigoris etiam in his venis cauſæ ſubſiſtunt (quod ſumit Fernelius, ſed nõ probat) cùm in ſecundis, vt coëunt frigore, & rigore, ita viciſſim diffundantur calore, in ſanguine aſtricti propter rigorem, humores: quam diffuſionem ſequantur etiam poſterius excretiones, quæ ſolent fieri in intermittentibus, quoniã non ſunt humores hoc modo fi-

do fi-

do fixi & ſtabiles intra venas, vt in continuis. Ex primis autem venis humores, aut erumpunt in ventriculū, & inteſtina (quod vomitus bilioſi teſtantur in tertianis) aut per venas portæ ſubeunt in caua iocinoris, & illic commixtam ſanguini bilem redundantem repurgat veſicula bilis, & non per vrinam recedit, vt Fernelio videtur. At in ſecundis venis, per vrinam & ſudores, nonnunquam etiam per aluum & vomitum, bilioſa ſolent expurgari, præſertim in perfectis criſibus. Sed tamen vrinæ ab initio crudæ, poſterius bilioſæ, non tinguntur (vt dixi) à bile, ex primis in ſecundas venas difluente (caret enim ratione, quod dicitur) ſed vtroq; calore, febrili ſc. & naturali, quodammodo rigore concretum ſanguinem liquefacientibus & diſſoluentibus, vrinam bilioſam reddi conſentaneum eſt. Cruditatis & putredinis in ſanguine ſecundarū venarum, ſigna manifeſta eſſe in vrinis & pulſu, conſtat inter omnes. Quod autem Fernelius ſcribit, ſe vidiſſe toto decurſu febris intermittentis vrinam, ſubſtantia, colore, hypoſtaſiq; laudabilem, quo certum ſit, nullam in venis putredinis cauſam fuiſſe: non poteſt certè fieri, vt hæc putrida fue-

Crudi humores in primis venis ſubſiſtentes, ſe ipſis craßi & immobiles exiſtunt, obſtruuntq́ meatus autore Galeno, lib. 4. De valetud. tuenda.

erit febris: vrina enim talis in putrida non potest esse. Quamobrem, si fuit intermittens talis, qualem ipse narrat (fides sit penes autorem) aut diariam fuisse oportuit (quæ neque pulsum, neque vrinam à statu naturali admodum diuersam facit) aut in primis venis causa periodorum, & putredinis fuit, secundis venis integrum, & nulla cruditate, & vitio deprauatum habentibus sanguinem. At sic putrescentibus, creari continuas febres ostendimus. Sed quî fit, Ferneli, vt nullus veterum hoc scripserit. Ergo Ferneli, si putredinis in pulsu, & vrina signa plerumque appareant, causa putredinis & rigoris ex necessitate in secundis erit venis: siquidem vrina sana & integra, signum est sanguinis secundum naturam habentis, & nulla putredine corrupti. Nam si affirmatio sit causa per se affirmationis, negatio causa per se erit negationis. Deinde mirum esset, si περιττώματα in primis venis possent ad viscera modò dicta expelli & putrescere, & rigorem efficere, & in secundis venis si aut nulla essent, aut non possent ad sensilia loca deferri, & non possent etiam putrescere? At si tantùm in visceribus depulsum è pri-

mis

mis venis περίττωμα ſit, & contagio putredinis in ſecundis (in intermittentibus) nulla fuerit, vrina ſc. ſimilis perpetuò ſanorum erit. Quamobrem enim in vna eſſet febri, & in alia non eſſet, ſalubris vrina? Conſentaneum porro eſt magis, ſi tanta copia ſit περιττωμάτων in primis venis, futurum, vt magis in ſecundas venas transferantur (propter communicantia oſcula) quàm in viſcera hæc, quæ prauorum humorum ipſe Fernelius quodammodo ſentinam eſſe dicit. Quaſi verò deſtinata hæc ſint à natura ad περιττωμάτων expurgationem, quod valde ſit ridiculum dictu, ſi partium fines & naturas conſideres. Præterea praui in primis venis humores, aut crudi, aut ſemicocti ſunt: in iocinore autem magis elaborantur. Bilioſus autem humor, cùm in primis ſit rigoris cauſa in tertianis, & is perfecta generatione ſanguinis (quæ fit maximè in poſterioribus venis) magis redundet (nam quo magis calore ſubigitur ſanguis, eò fit bilioſior: vt hoc nomine, ꝓpter materiã ſuam, in Timæo bilis appelletur παλαιὸν αἷμα) quî quæſo in ſecũdis venis non potius cauſa rigoris, quã in primis ineſſe dicet? Poſsũt etiã ex primis venis περιττώματα

Nam ſanguis crudus quò magis fuerit, eò minus, & dilutior etiã generatur bilis.

facilius & vtilius in inteſtina & in ventriculum regurgitare, quàm in his, quæ dicta ſunt viſceribus cumulari: & hoc ipſum ſæpenumero fieri videmus, cùm per amplos, & patulos magis meatus, expeditior ſit vacuatio. Iidem etiam propter cruditatẽ immobiles exiſtunt, & non tranſeunt ad ſecundas, niſi extenuentur. Et ſi non vacuentur, morbos alios, & non febres generari videmus plerumque: nonnunquam etiam febres, ſed non intermittentes, vt ſuprà oſtendimus.

At eorum, quæ plerumq; fiunt, ratio & demonſtratio explicanda: quæ infrequentius fiunt, eorum etiam ſimiles cauſas eſſe oportebit infrequentes: vt quod febricitans, rigore affectus, nihilominus vrinam habet ſanorum ſimilem. Ab effectu procedendum ad cauſæ inueſtigationẽ. Quæritur an poſſit rigor eſſe, non ſubſequente febri? veteribus viſum non poſſe iſtud fieri. Sed Galenus cauſam docet, qua intelligamus id poſſe fieri. Nam nec pituitam, nec bilem quamlibet ad exteriora expulſam, neceſſe eſt putreſcere. Et vidi ſanè quandam ego, quæ certis periodis rigore laboraret multis diebus, excernere admodum

dum

dum biliosam vrinam quotidie, nulla subsequente febri, quod collega meus admodum mirabatur, quia insuetum quiddam fuit. Ergo putridus vapor causa non est rigoris. Et dolor ac lassitudo nulla percipitur in visceribus. Nec phlegmone in causa est, vt in lypirijs, vt versus interiora regurgitet sanguis. Si potest ergo fieri, vt propter obstructionem meatuum cutis incidat in diariam febrim aliquis, qua necesse non sit vrinæ speciem naturalem mutari, & accidat etiam expultrice facultate venarum propulsari ad neruosa loca bilis portionem; qua non putrescente, nihilominus rigor excitetur. Potest etiam fieri, vt rigore ac febre quis apprehendatur, & tamen vrina naturalis & sana appareat. Ardente febre laborans, valde tinctã vrinam plerumque habet. At suprà ex Epidemijs, exemplo mulierculæ ostendimus, posse etiam in tali febri vrinam esse aquosam & crudam. Causam verò suprà exposuimus. Et in pestilentibus quibusdam febribus, ꝙ vrinæ nonnunquam & pulsus similes sunt sanorum, ipsum etiam sua quadam explicari potest ratione & argumento, huic affectui congruente, quamuis id rarò acci-

dat, non tamen fortuitò & sine causa per se fit: cùm fortuita sit per accidens causa. Et certa quædam est causa, propter quam phreniticorum interdum vrinę sunt aquosæ. Ergo etiam erit causa quædam, vt nonnunquam, sed rarissimè (vt scribit Fernelius) in tertiana vrina non appareat cruda: vt si putredini obnoxius humor paucus sit, & in remotioribus venis subsistat, vt ampliorum venarum πεπτικὴ facultas non impediatur. Nam aliàs etiam alternis interdum vrinæ concoctæ, paulo pòst crudæ, deinde rursus concoctæ apparent vrinæ, vt in Epidemijs Hippocrates. In externis itaque partibus & membris animalibus rigorem excitari dolorifico frigore, tot inductionibus exemplorũ probatum est à Galeno, vt etiam sine demonstratione fides ei meritò sit habenda. At Fernelij opinionem his vtrisque destitutam videmus; & quo magis id sit conspicuum, etiam quæ supersunt, considerabimus, vt quàm sint infirma omnia ad probandum propositum, appareat legentibus.

CA-

CAPVT XVIII.

EX argumentis Fernelianis etiam illud est, quòd nimirum in tertianis quibusdam bilis flaua non effundatur in molem corporis: quia in nonnullis extremarum partium duntaxat frigus & rigor percipiatur. Sed bilis cùm sit calidus & acris humor, quî poterit partes externas refrigerare? Quid quæso sibi vult argumentum illud, cui iam antè satisfactum sit à Galeno, qui demonstrauit, non modò frigus, sed etiam ingens frigus, & quod ipsum etiam consequatur rigor, & calidi, & acris humoris punctionibus posse excitari. Quod autem frigus interdum & non rigor excitatur, aut paucitas in causa est, aut quia dilucior est, aut quia non ad exteriora propellitur, sed ad fines interiorum venarum, quæ sunt circa pectus & præcordia, vt fit in his, in quibus grauitatis & oppressionis cuiusdam sensus percipitur: de quo symptomate suprà dictum à nobis fuit. Etenim secundæ venæ non modò in exterioribus, sed etiam in partibus interioribus terminantur, & per oscula sua eructare possunt febrile περίττωμα, vt nō sit necesse, in visceribus Fernelianis causam febrilē intermit-

tentium ſubſiſtere. Interiores autem & naturales partes tam exquiſito ſenſu prȩditas non eſſe, quàm ſint animales, aliàs docuimus: quamobrem alius doloris etiam ſenſus & diuerſus, quàm in partibus externis, in viſceribus his perçipi conſueuit, & non cum frigoris ſenſu coniunctus.

Ex hypotheſi cauſæ Galenicæ rigoris poſtulat ſibi reddi rationem Fernelius, cur in tertiana duplici portio quædam quotidie in omnem corporis habitum propellatur, & non tertio quoq; die. Si copia, inquit, iſtud efficit, tertiana omnis vehemens (vt quæ ab exuperante bile fit) in tertianam duplicem; omniſque quartana ferocior in duplicem, triplicemq́; quartanam faceſſet. Quærit, intermittentium tertianarum quamobrem quædam ſimplices & ἀκριβεῖς, nonnullæ autem repetitis paroxyſmis geminas habeant, de tertio in tertium, acceſſiones? Galenus exquiſitam tertianam appellat, quȩ vltra duodecim horas nō proferat paroxyſmum. Aliam eſſe productam, vt quæ propter multitudinem putreſcentis humoris ad quadraginta horas poſſit ſe proferre, & finitima ſit continuæ. Nonnunquam νοσώδεις illæ ἀποκρίσεις aliquot inter-

interuallis paroxyſmorum diſtinguuntur, quibus multitudo vitioſæ materiæ in venis diſtinguitur binis paroxyſmis in tertiana; & trinis interdum in quartana. Quæ cauſa eſt, inquit, quòd acceſſiones in tertiana intermittente non vnicè continuantur, & ἀπυρεξίᾳ integra non ſunt interruptæ? An fieri, Ferneli, non poteſt, vt quod aliàs vno paroxyſmo putreſcit & vacuatur, id materiæ certis naturæ ſecretricis & expultricis (quæ eſt in venis) motibus, quaſi in portiones quaſdam & interualla diſtribuatur? An non idem vſu venit etiam in alijs quibusuis excretionibus, item in criſibus, vt aliàs totum vacuetur, aliàs per interualla fiant excretiones, pro eo, vt fert habilitas & mobilitas materiæ, quæ cauſa eſt plurium, vt diximus, paroxyſmorum? In hemitritæis flaua bilis ſæpe repetitis rigoribus continuam quotidianam interpellat (ἐπιπαροξυνομένους πυρετοὺς Græci appellant) quo reſpiciens etiam Hippocrates, eas appellat φρικώδεας. Num propter intercapedines has repetitorum paroxyſmorum, in ſecundis venis materiam febrilem contineri negabimus, cùm argumentum illud tuũ nihil coniunctum habeat cum refellendo pro-

posito: vt si quis (vt vulgò dici solet) de baculo argumentetur ad angulum, aut causam esse arbitretur, quod argumenti vim, & ad probandum pondus & momentum nullum habeat. Quo vides, optime Fernelj, receptæ huius opinionis interpretes sese nequaquam laqueis his & tendiculis induere, ex quib. se nunquam extricare possint, si hypothesibus tuis fidem haberent. Quid enim est facilius, quàm paralogismos hos tuos, tanquã sophisticos laqueos, disputando contrà verissimis fretos hypothesibus, dissoluere?

Argumentis deinde à curandi ratione ductis, satis pueriliter ludit Fernelius. Si, „ inquit, antecedens febris intermittentis „ materia tota est in venis maioribus, vna „ venæ sectio, quæ hanc promptè demit, il„ lius curatio erit. Atqui neque hæc febrim „ tollit, neq; qui in solos venarum humores „ mentem cogitationemq; refert, illius vn„ quam curationem rectam consequetur. Postea tragicè deplorat & exaggerat magnitudinem & indignitatem pristini erroris, quem ipse suis paradoxis corrigere conatur, nec verum tamen, nec verisimile quicquã habẽtibus, vt modò declarabitur.

Si ma-

Si materia, inquit, febris omnis in posterioribus venis est inclusa, vna sectione venæ facilimè curabitur huiusmodi febris. Sectio venæ, Ferneli, medetur sanguini male habenti propter multitudinem, non propter qualitatem & κακοχυμίαν morbido. Purgari autem prauos humores oportet, qui non nisi concocti separantur salubriter à concremento totius sanguinis, & postea vel naturæ vi, vel pharmacorũ ope expelluntur. Subitò autẽ phlebotomia vacuari illi non possunt, nisi simul hominem & morbum tollere visum fuerit. Non.n. (vt Galenus quodã in loco scribit) ex corpore humano, tanquam ex vase quodam, confertim prauos humores omnes vacuare possumus, & mox alios bonos & salutares infundere: vt si quis in vase pro sublata aqua reponat vinum: sed sensim parandi, concoquendi, separandi, & ad extremũ vacuandi sunt vitiosi humores, quæ omnia diuturnam & sæpe difficilem febrium curationem efficiunt; vt est in Methodo Galeni, qua rationes exponit curandarum febrium accuratissimè, quæ monere etiam Fernelium de suo errore debuissent.

Persequar nunc extremã partẽ scripti Fer-

nelij, qua breuiter perſtringit omnes cauſas, propter quas cenſet rigorum & horrorum in febribus cauſas non in ſecundis, ſed primis venis deliteſcere; quibus ad viſcera illa expulſis (quæ ſuppeditantibus ſanguinem venis his nutriantur) frigora, horrores & rigores in toto corpore excitari contingat pro differentia qualitatis, aut quantitatis exploſi in hæc receptacula humoris, propter conſenſum principalium partium, cordis nimirũ & cerebri, excitatis his ſymptomatibus. Partes autem & viſcera hæc dicit acri ſenſu eſſe prædita, vt vaporibus & humoribus acribus, aut frigidis offenſa, horroris aut rigoris totius corporis cauſa exiſtant, putredo autem etiam excitet febrim. Excepto ore ventriculi ex his naturalibus inſtrumentis, quæ primis venis nutriunt, nec ratione aliqua, nec experimẽto anatomico, nec ſymptomatum euidentia, ꝓbari poterit, eximium aliquẽ ſenſum in reliquis eſſe, cùm duntaxat tantillo ipſis ſit opus ſenſu, vt facultate naturali ſua queant à ſe repellere nocentia, moleſto quodam ſenſu irritata, & quaſi admonita ab humoribus prauis intra ſe contentis. Veſicula bilis neruulos habet: eiſdem etiam prædita

eſt

est vesica, & vterus, quantum cuiq; satis est, vt irritetur ad expulsionem. Nec si vehementibus doloribus affligãtur interdum, id non ad acrimoniam sensus, sed ad magnitudinem causæ potius est referendum. Et quorsum illis tam acri opus est sensu, ad suas obeundas naturales & non voluntarias actiones? Nec sui porro finis, & eius, quod melius est, obliuiscitur natura vnquam: quandoquidem enim præcipuè viscera ad sentiendum non sint destinata, sed ad operum naturalium functionem præstandam sint creata, exquisito scilicet sensu his nequaquam opus erat, ne prompte scilicet, & quauis de causa ad excretiones stimularentur: nam ad tres reliquas actiones obeundas sensus illis nihil prodest, sed satis est, si temperamentis naturalibus sint prædita, vt vel ad se pertrahant nutrituros humores, vel retineant, vel alterent, & efficiant eos ad nutricationem idoneos. Expelluntur autem inutiles humores in primis venis vel ad intestina, vel per epar ad venas secundas, vel ad partes viscerum, quibus nutriendis sunt destinati. Quòd si pellantur humores inutiles, & protrudantur ad illa viscera, Fernelius arbitratur hanc ex-

pulſionem cauſam eſſe rigoris, & febrium intermittentium. Nam cauſam continuarum febrium nullam in his venis eſſe putat, ſed duntaxat in ſecundis; & illis quidē amplioribus conſiſtere cauſam continuæ febris, cenſet. Vt hoc ſanè demus, ex venis primis περιττώματα extrudi in valde ſenſiles (vt Fernelio videntur) horum viſcerum vel glandulas, vt eſt pancreas; vel pinguedines, vt meſaræi, & omenti; vel membranas, quibus veſtiuntur vel carnes ſplenis, aut hepatis; vel in ipſos etiam neruos, qui perreptant iſta loca: confertim tamen, & diu, multumq́ue accumulatis quietisq́; humoribus in his locis, neq; febres, neque rigores excitabuntur. Nam in febribus intermittentibus, & per interualla paroxyſmorum extra venarū oſcula extruſis humoribus, & commotis etiam de loco in locum, & putredine non tantùm corruptis, ſed etiam quotidie diſcuſſis, & vacuatis circa declinationem febris (iuxta illud Hippocratis: Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres ſoluuntur) multitudo & copia hæc humorum, extra venas penetrans, & in viſceribus ſubſiſtens, cauſa intermittentis febris eſſe nō poterit;

4. Aph. par. 63.

ſed

ſed potius erit continuę, vt quales nonnunquam, aggregatis prauis humorib. in ſplene aut iocinore, incendi febres experimur continuas, propter continuationē putredinis, nullam quoq; intermiſſionē habente febri, ἀπυρεξίᾳ ſc. nulla interruptis paroxyſmis. Cæterum in omnib. intermittētibus febribus, appropinquantibus paroxyſmis, & nondũ extra vaſorũ oſcula expulſis prauis & febrilibus humoribus (quando ſc. neque rigor adhuc eſt, neq; febris etiã ſubſequens rigorē; ſed adhuc quando intra venas, febrili cauſa turgidas natura quaſi parturit acceſſiones) perpetuò, tanq̃ ſignis futuræ putridę febris intermittentis paroxyſmi, in mēbris externis laſſitudine ſpontanea, & pręterea cõpreſſis arteriarũ ἐπισημασίαις, deprehendimus motum turgeſcētis materiæ, & aut verſus exteriora, aut verſus interiores fines vaſorũ non multò pòſt erupturi περιττώματος motũ facientis, exterius erũpēdo, horrorē aut rigorē: verſus interiora aũt ſecedendo, grauitatis & oppreſſionis cuiuſdã moleſtiã excitantis. Et hęc q̄dē ſunt ἴδια & ἀχώριστα ſigna intermittētiũ febriũ, adhuc intra vaſa cõtētis humorib. & paulo pòſt ex aliqua parte, p oſcula vaſorũ in ha-

bitum,ſeu molem corporis erupturis,& ri-
gorem febrimq́; excitaturis. Ergo ſi in ſe-
cundis venis turgeſcens hæc febrilis mate-
ria non erit, ſed tantùm in primis (vt Fer-
nelius defendit) in pulſu nimirũ inæqua-
litas hæc & ἐπισημασία ineſſe non poterit.
(Nam in ſecundis venis, quia cauſa etiam
ipſius non ineſt; cùm,autore ipſo duntaxat
ſit in primis venis cauſa rigoris, & non in
ſecundis ſubſiſtat:) & ob id ipſum ante pa-
roxyſmum nullum ſignum etiam percipie-
tur à nobis futuræ acceſſionis in arterijs
quo falſo exiſtente, etiam antecedens ex
neceſſitate erit falſum. Priuſquam enim
extra oſcula humor ille erumpat, neque
cor, neq; cerebrum febrili συμπαθείᾳ co-
afficientur: quoniam poſt expulſionẽ tan-
dem rigoris & deinde febres incipiunt in
intermittentibus, non autem quando ad-
huc vaſis continentur, & turgendo quaſi
parturiunt paroxyſmos febriles & horro-
res. Et omnino, Ferneli, cauſam intermit-
tentium prorſus euertis. Nam ſi materia
putreſcat intra venas primas, continua e-
rit: aut ſi expulſa in viſcera, rurſus conclu-
ſa erit materia, & concluſam, id eſt conti-
nuam faciet febrim. Sed tales ἐπισημασίαι

non

non ſunt in continuis, quales ſunt in intermittentibus, vel futuris, vel præſentibus: quòd in intermittentibus mobilis ſit materia, ſed in continuis fixa & concluſa. Non autem vt intermittens, ita quoque continua febris ῥευματικὸν eſt πάθος. Præterea, quî fit, vt in ſecundis venis cauſa continuarum febrium poſſit includi, ſed intermittentium non poſſit? Aut dicat & reſpondeat mihi Fernelius, quæ cauſa ſit, quòd in primis venis ſubſiſtant cauſæ intermittentium febriũ, & nullæ poſſint illic eſſe continuarum, putreſcentibus nimirum intra vaſa humoribus; cum nulla re differant ambo genera febrium, quàm quòd propter multitudinem, aut debilitatem venarum, in continuis humores febriles non expelluntur extra; in intermittentibus autem, propter paucitatem, in habitum corporis extra erumpant? Hypotheſibus Galenicis eorum, quæ fiunt, rationes & demonſtrationes conſtabunt nobis: ſed ad pleraque hæſitabit, qui Fernelij paradoxa approbat. Prænunciæ febrium laſſitudines in animalibus membris, nempe externis partibus ſentiuntur ante paroxyſmos. Si verò cauſa ſit in primis duntaxat venis,

laſſitudinis cauſa nulla poterit dari, ſed tantùm cruditatis: quæ febrium tamen intermittentium non ſit cauſa, vt quæ in ſecundas venas non penetrans, non profundatur etiam per neruoſas partes, practicos & animales motus exercentes, in quibus eſt ſenſus laſſitudinis. Ecquis autẽ eſt, qui ante horrorem aut rigorem laſſitudine hac in intermittentibus non moleſtetur? Neceſſe igitur eſt, vt in ſecundis, & non primis venis, cauſa horroris febrilis contineatur, aut rigoris, quemcunq; rigorẽ laſſitudo ſpontanea præceſſerit.

Proinde, cùm ſubinde recentes humores in primis venis colligantur (nam chylus materia eſt, qui ſufficitur cibo & potu) propter tranſitum perpetuum in ſecundas: ſemper enim noui ex cibo creati, priores in Meſaraicis aut ſubmouent, aut faſtidij ſunt cauſa, permanentes: qui ſummoti in epar per venas portæ ſuccedentes, poſtea in cauam venã transferuntur: & cùm deinde corruptio (qua ſolent putreſcere) magis accidat vetuſtis, & longo tempore collectis humoribus, quàm recentibus & crudis (vt antiqua vina citius & facilius acore corrumpi, quàm noua videmus: & aquam

diu

diu ſubſiſtentem in vno loco, quàm aut recentem, aut fluidam, ocyus putreſcere experimur) cui dubium ſit, quin in poſterioribus venis cauſas putreſcentium humorum facilius, quàm primis, explicare & probare Galeni argumento valeamus. Quapropter, ſi intra primas venas putreſcere humores non poſſunt (vt fert opinio Fernelij) quia in his ſcilicet venis non ſubſiſtit cauſa continuarum febrium (vt ipſe, & rectè quidem ſentit) ſequitur, vt illic etiam nulla materia futuræ putredinis interpellatæ contineatur: qua nimirum poſſint intermittentes febres creari, cùm in intermittentibus etiam materia putredinis turgere incipiat intra venas: quæ, niſi propellente natura extra oſcula paulatim expelleretur propter paucitatem, paroxyſmi certè nulla ἀπυρεξία diſtinguerentur, & omnino continuæ exiſterent febres, quas etiam nonnunquam cum intermittentibus permutari experimur, propter cauſę communitatem & conſortium, quod habent continuæ & intermittentes febres.

Ex his, quæ diximus, liquet, in viſceribus modò dictis nullā intermittētis febris cau-

ſam exiſtere, ſed duntaxat continuæ, quæ aut phlegmone quadam excitetur, vt meſenterij, aut iocinoris, aut ſplenis, aut omẽti inflammatione, aut hac etiam quæ in viſcerum cauitates depulſa hac materia generetur; quę illic incluſa, & conſtipata diutius, poſſit putreſcere (deſtituta difflatu) etiam absque phlegmone viſceris. Quod ad neruos in his partibus diſperſos attinet, affici poſſe eos dolore, & eo quidem inſigni, non negamus; ſed tali tamen, qui rigoris ſit cauſa, haud equidem affici eos arbitramur, propterea, quòd ſubſtantia multa ſenſus experte ſunt illi nerui abditi & obſepti, vt pinguedine, aut glandulosa, aut viſcerum propria carne, quam παρέγχυμα Eraſiſtratus appellat, ſenſu deſtitutum, & obtuſum corpus viſcerum illorum. Penetrante autem ad neruos etiam inutili materia hac, vt in alijs, ita quoq; in his afflictis, aut propter intemperiem, aut propter continui ſolutionem neruis vehemens dolor interdum, aut etiam mediocris nonnunquam hominem apprehendit; cùm tamen non quibuſuis equidem cauſis moleſtantibus neruos, horrores aut rigores excitentur,

tur, præſertim febriles, quorum ſuprà cauſa à nobis fuit expoſita.

Sed Fernelius hiſtorico quoq; argumento ſuis paradoxis opitulari conatur. Anatomica ait inſpectione, & fide ſe comperiſſe, quendam multis admodum paroxyſmis febrilibus quotidie vexatũ, & eo morbo extinctum, ſectis viſceribus deprehendiſſe ſe bilem ſynceram, eamq́ue praſinam, circum iecoris caua, libræ pondo, membranis coercitam, & cuius iam portio in ſpinæ neruos prorepſerat. Eius cùm adhuc viueret hanc ætatem, affectum & ſymptomata fuiſſe narrat. Vir (inquit) ingenuus, ætate florente, epulans liberaliter, quotidianæ vomitioni bilioſæ iam dudum fuerat obnoxius: hac repente ſuppreſſa, ventriculi vehemens dolor prehendit, cũ nauſea & tuſſi inani. Hinc mox cæpit corpus, citra febrim vllam, vehementi rigore, tanquam inuadente exquiſita tertiana, ex interuallis quotidie ſupra vicies concuti. Exactis diebus circiter quindecim, putreſcente iam bile, tertiana febri corripitur; qua multis pòſt diebus ſoluta, reſolutio ſequitur omnium partium, quæ ſunt ſub capite, nec multò pòſt interitus.

Non probat aut demonſtrat hiſtoria hæc, protruſa è primis venis bile, in propinqua viſcera rigores febriles fuiſſe excitatos, quia circum iecur deprehenſa ſit magna copia ſynceræ bilis, poſt obitum facta ſectione. Suppreſſa enim conſueta & quotidiana vomitione bilis (qua vel ob vitium naturæ laborabat, quod infrequens eſt (autore Galeno) vt meatus bilem deferens in ventriculum inſeratur: vel propter aſſiduam crapulam, qua tamen magis pituitoſi, quàm bilioſi humores colliguntur & accumulantur.) haud mirum certè, ſi, quæ fuit in primis venis, ſuppreſſa vomitione, tranſijt regurgitans quaſi in ſecundas venas multitudo bilis; præſertim ſi feruidum epar eius generationis cauſa fuit, aut ſi multitudo etiam bilis, in poſterioribus venis exiſtens, vomitionib. his ad primas venas deducta eſt, & poſtea deſijt tranſitio hæc crebro vomitu: haud, inquã, mirandum eſt, ſedato vomitu, ſi in poſterioribus venis cœpit tanta bilis copia aggregari, qua expulſa per crebras vices in neruoſa loca, ſeu membra & partes externas, exercentes motus animales, acciderit,

Gal. lib. 2. De Temper.

eas

eas concuti rigoribus, nulla ſebre ſubſequente, recenti adhuc exiſtente bile, & poſterius putreſcente etiam ſubſequente febre, poſt rigores. Multitudo autem bilis cauſa fuit frequentium illorum paroxyſmorum & rigorum, quam, cùm natura expultrix, vehementer irritata (vt fit etiam in doloribus colicis nonnunquam) ad conſueta loca non amplius depelleret, non e quidem ad neruos, ſed ad origines neruorum eam tandem protruſit, paralyſin faciens omnium partium, quæ ſub capite erãt. Et hanc μετάϛασιν morbi factam fuiſſe è ſecundis venis excuſſis humoribus, & non primis, magis conſentaneum eſt, cùm venæ illæ nutriendis partibus omnibus animalibus ſint deſtinatæ: venis autem primis, non niſi prius commemorata viſcera nutriantur, & vniuerſi corporis paralyſin haud efficiant, ſed quarundam duntaxat partium: vt fit interdum in colicis, ad originem certorum neruorum exploſa materia inutili, & plerunque brachijs duntaxat colicorum reſolutis. veriſimilius autem eſt, flauã bilẽ in poſteriorib. venis generatã, vomitione hac crebra ſubinde reuo

Natura, vt liberet animal doloribus immenſis, humores, quos prius ad neruos expulerat, deinde ꝓtrudit ad originẽ neruorũ, permutatione morbi in alium morbum.

catam fuiſſe ad primas venas: cùm vomitus (autore Galeno) poſſit etiam humores ex poſterioribus venis transferre in priores. Quo reſpiciens Galenus vetat, ne quis ſpontanea laſſitudine laborans, oppletas habens primas venas crudis humoribus, ad vacuandũ eas vomitu vtatur; vt ne promoueantur ſcilicet ad internas partes humores, in externis partibus ſubſiſtentes, & qui ſint alijs quibuſdam remedijs diſcutiendi, non autem vomitu profligandi. Itaque ſuppreſſo vomitu, in poſterioribus venis non eſt mirum, ſi plurima bilis poſtea redundans, horum ſymptomatum (de quibus dictum eſt) cauſa extitit. In primis autem venis exuperans bilis, non febris, aut rigoris alicuius, ſed doloris circa ventrem cauſa fuit: nauſea quoque, & ſiti superuenientibus, vt hac hiſtoria quodammodo ipſa clamante, ac teſtificante, bilioſos humores è prioribus venis expulſos, non rigoris in viſceribus & febris, ſed potius doloris, & cruciatus cuiuſdam cauſa extitiſſe probatur. Non enim ſunt eædem rigoris & doloris cauſæ, quo corpus non concutitur: & diſſimilibus neruorum affectibus pro-

Gal. lib. 4. De tuenda valet.

proueniunt ambo ſymptomata, vt ipſis affectuum quoq; cauſis diſcrepantibus. Pro defendenda rigoris cauſa, quam nobis Galenus explicat, princeps medicorum, ſatis ſuperq; dictum & diſputatū arbitror. Eam autem propugnando neceſſe mihi fuit, nō modò contra Fernelij paradoxa, ſed etiam contra aliorum errores, & falſa crimina diſputare, quibus Galeni ſententiam peruertere conantur: quam tamen mihi videantur non ſatis percipere. Hortor autem omnes ſtudioſos veri, vt ne temerè ſectarū autoribus aſſentiantur, qui fuco quodam veriſimilium argumentorum, in philoſophia rudes, & in apodictica arte non exercitatos facilè poſſunt fallere, & in errorem inducere. Nam quibus argumentorum paralogiſmis autores ipſi, ijſdem auditores, lectores, & diſcipuli etiam decipi poſſunt: ad quos errores aperiendos & refellendos opus ſit accurata cognitione Analyticæ artis, quam pleriq; hodie negligētes, & ignorantes, noua in diſciplinis paradoxa comminiſcuntur (quia pauci reperiuntur ſcilicet, qui verum poſſint à falſo diſtinguere) conſenſu indoctę multitudinis ſuos tamen

errores defendentes, & pertinacia, improbitateq; inuicti, qua non cedunt vlli veritatis patrocinio, plurimum reipub. philosophicæ incommodant, sua sophistica φιλονικεία freti. Hos equidem nolo ego iudices esse scripti mei; sed duntaxat eos, qui ex animo diligunt, & proprijs, atque apodicticis argumentis subnixam intelligunt veritatem, contraque morsus sycophantarum & sophistarum, integro & libero iudicio protegendam, suscipiunt veram & solidam in omnibus disciplinis philosophiam: quæ nihil aliud est, quàm exquisita & accurata rerum cognitio, & scientia in omnibus professionibus.

Finis libelli De causa rigoris.

CONFVTATIO ERRORIS SIMONIS SIMONII, QVO CONTRA GALENVM SENTIENS, NEGAT PVtridarum febrium cauſam eſſe putredinem humoris alicuius, exiſtimans febris cauſam eſſe principalem, dyſcraſiam feruidam flauæ bilis, cuius feruore inflammatum cor febrim patiatur.

Autore

IACOBO SCHEGKIO SCHORNDORFFENSE.

POSTQVAM finijſſem Diſputationem contra eos, qui negant Galenum ſymptomatis febrium putridarũ, quod eſt horror aut rigor, cauſam legitimè deſcripſiſſe, incidi in quendam libellum à Simone Simonio ſcriptum; quo non ſympto-

matis huius, ſed febris ipſius putridæ cauſam veram eſſe negat; quam Galenus & omnes ferè cum Galeno probati authores conſtituunt cauſam eſſe; nempe putridum humorẽ: quo negat ipſe Simonius febrim putridam generari, ſed eius cauſam cenſet eſſe principalem feruorem quendam, contra naturam bilioſi humoris, cuius calore inflammetur etiam cor ipſum, & hac inflammatione febrim in corde excitari. Quanquã autem iam ante conſtitueram, me contra hominem illũ nihil ſcripturum, vt contra ſophiſtam inuictum & imperteritum: nihilominus eſſe officij mei ſum arbitratus, vt ſuſciperem patrocinium & defenſionem veritatis, non tam aduerſus Simonium, quàm errorem ipſum Simonij, qui vinci ſe patietur, quantumuis pertinacia ſua & malignitate inuictus videatur eſſe Simonius. Quamobrem æqui lectores, & amantes veritatis, quo ſtudio cõtra ſcripſerim cogitabunt, & me intelligent, non vt litigatorem, aut rabulam quendam cauſidicum, ſed vt defenſorem veritatis, & patronum veterũ Medicorum, hoc ſcriptum in publicum edidiſſe. Ac niſi veriſſimis rationibus & demonſtrationibus omnia er-

rata

rata Simonij confutaro, me errasse, & non Simonij errores oppugnasse, docti lectores iudicabunt.

In Caput primum censura.

Erroris sui defensionem orditur Simonius principijs falsis & ementitis, atque inscitia demonstrationum perpetuò aberrantibus à vero. Negat humores, qui vt περιττώματα redundant in sanguine corrumpi putredine, sed duntaxat per igneam & feruidam dyscrasiam succensis, in corde succendi febrim. Sumit petitione principij, quod probandum erat. Sic autem argumentatur: Nulla δυσκρασία calida & feruens putredine corrumpit humorem: Sed in omni febre putrida est humoris feruida δυσκρασία: Ergo in nulla febri putrida, putredine corrumpitur humor. In minore petitur, quod probandum erat. Quæritur enim de illo, vtrum omnis febris putrida sit feruida & ignea humoris dyscrasia. Et vt lemma seu assumptum hoc ꝓbasse videatur, exemplo elementorum probat, & aliarum quarumuis rerum mixtarum feruidis dyscrasijs: quibus (vt putredine) substantia

earum putreſcendo non corrumpatur, ſed duntaxat παρὰ φύσιν alteretur: quam πα-ρὰ φύσιν alterationem (ſecundum Simo-nium) elementorum, Ariſtot. in 4. lib. Me-teor. appellet etiam κατὰ μέρος σῆψιν, & non veram putredinem: vt qua putredine non tantùm qualitas, ſed etiam ſubſtan-tia putreſcentis perimatur. Nec ſe recuſa-re inquit Simonius, quo minus ἰδίως, id eſt, impropriè in febribus humorum feruida hæc dyſcraſia appelletur putredo, quam in elementis non ἁπλῶς, ſed κατὰ μέρος pu-tredinem appellet. Dictatoris imperio, non demonſtratoris officio fungens, no-bis fidem facere conatur, quod in putridis humores non putreſcant; quia videlicet ſuccendantur feruida dyſcraſia, & non pu-tredine, i. febres illas non eſſe dicendas pu-tridas, quia videlicet humores illarum non putrefiant; id eſt non eſſe putridas, quia non ſint putridæ. Mirabilis probatio, & ve-rè Simoniana. Verſatur deinde etiam ma-ximus error in eo, quod cenſet ab vſu vo-cabuli putredinis ſignificari apud Ariſto-telem in Meteoris dyſcraſias inſigniores contra naturam ipſis accidentium quali-tatum: quam Ariſtoteles à genuina & ve-ra ſi-

Falſa lemmata Simonij arguuntur.

Simonius Ariſtotelem non intelligit.

2. Error.

ra ſignificatione putredinis ſeparans, nominet κατὰ μέρος σῆψιν, quam ſignificationem applicari ſic affectis elementis ἰδίως, id eſt, per abuſum, exiſtimat: vt errorem ſcilicet ſuum confirmet, pro teſte citat Ariſtotelem, cuius ſenſum falſa interpretatione deprauat & corrumpit. Etenim Ariſtoteles ipſa elementa per ſe ſecundo modo, putredini obnoxia non eſſe ſentit: ſed vt mixta ex elementis ſint, quiddam putreſcibile ſeu σηπτὸν eſſe: neque etiam illud ἰδίως & κατὰ μέρος σηπτὸν referendum vlla ratione erit ad inſignes dyſcraſias elementorum, vt cum Simonio ferè omnes interpretes faciunt: ex quorum numero etiam eſt Vicomercatus, cui ego aliàs, vt phyſico doctiſſimo, multum tribuo. Et vt ſtudioſi veritatis intelligant, me non temerè aut fruſtra interpretationẽ hanc reijcere, ipſe meam & veram, vt arbitror, exponere volo. Vt generationes ita quoque corruptiones quædam naturales (quo ad diſtinguuntur contra violentas) dicuntur eſſe, & quædam violentæ, ſecundum Ariſtotelem libro 5. phyſic. Non naturales, appellat οὐχ εἱμαρμένας. In præſentia dicamus de corruptionum differentijs,

Vera interpretatio, eius qđ dicitur ἐκ μέρους putredo.

quarum apud Ariſtotelem tria nobis genera proponuntur. Vnum eſt violentum, ſeu ὀχ εἱμαρμένον; vt ſi cõcreta ex elementis ſubſtantia cõburatur igneo calore, quo nihil ſolet generari. Alterum genus eſt corruptionis, quando calore externo profligante calorem internum, & ſimul conſumente humidum ipſius natiuum, diſſoluitur quidpiã in ea, ex quibus concretum erat elementis. Tertium eſt genus, compoſitum cum generatione quadam. Nam quædam generantur poſterius, prius corruptis ſubſtãtijs quibuſdam; cum alijs corruptis (quæ ex toto & ſimpliciter dicuntur corrumpi) poſterius nihil generetur, quæ ſcilicet non κατὰ μέρος & ἰδίως corrumpi dicantur, ſed ὅλως & ἁπλῶς. Verum compoſita hæc cum generatione quadam corruptio, ſeu κατὰ μέρος σῆψις, duplex eſt: vna fit ſine interuentu putredinis; vt ſi corrupta ſubſtantia chyli generatur ſanguis, aut ſanguinis corrupta forma generatur caro. In his enim concrementum ſeu σύγκρισις elementorum promouetur ab imperfectiore ad perfectiorem eſſentiæ ſeu formæ, ſine putredinis alicuius interuentu. Nonnunquam quiddam ex quodam

naſci-

naſcitur putredinis interuentu; vt ex cibo putrefacto chylus, & ex corrupta putredine carnis aut caſei, vermes. Conſtat autem inter omnes, multa ex putreſcentibus naſci, tum inſecta, tum vermes. Vt autem calor proprius naturalis facit τῶν ὁμοφύλων σύμφυσιν ſeu σύγκρισιν; ita calor externus ambientis corporis facit διάκρισιν τῶν ἀλλοφύλων, extincto vernaculo calore, & humido natiuo reſiccato in putreſcentibus. Quo nomine opponuntur inter ſe generatio & corruptio, quoad ſunt mutationes naturales, ſeu εἱμαρμέναι. Sunt enim contraria principia, conſtitutionis & reſolutionis, ſi cauſis naturalibus definiãtur. Putredine σύγκριμα elementorum diſſoluitur, ſed naſcentibus inſtrumento natiui & συμφύτου caloris, ὁμόφυλα colliguntur, vt ex his vna quædam οὐσία fiat. Vt ex corrupto cibo ſi generetur chylus, non autẽ corrũpitur ſine putredine, vt veteres (ex quorum numero etiam eſt Hippocrates) πέψιν non rarò σῆψιν appellarunt; quam nos in præſentia κατὰ μέρος, & non ὅλως σῆψιν interpretamur: cui ſimiles ſunt multæ aliæ, de quibus paulo antè dictum. Nolo multus eſſe in producendis & allegandis

teſtibus, vt faciunt hi, qui ꝓpoſitum ſuum appoſitis rationibus demonſtrare cùm nequeunt, confugiunt ad allegationes, detorquendo horum dicta ad ſuorum errorum fallax teſtimonium. Quæ diximus per omnia quadrant his, quæ ſcribuntur ab Ariſtotele in 4 Meteor. de ea quã ipſe particularem ſeu κατὰ μέρος putredinem appellat: & non conſentanea ſunt, quæ ſcribunt Vicomercatus & alij; vt putredo κατὰ μέρος aſcribatur elementis, quoad contra naturã ſuam dyſcraſijs afficiantur. Quoniam ſic putreſcentia, vt eo in loco ſcribit Ariſtoteles, δεῖ χωρισθῆναι τῆς φύσεως, quod non accidit alteratis hoc modo elementis: aut ſi corrumpantur (vt ſi ex aqua fiat aër) hanc mutationem nemo vnquam putredinẽ appellauit, ſed ſimpliciter corruptionem. οὐ μὴν ἀλλὰ ἰδίως γε λέγεται σῆψις ἐπὶ τῶν κατὰ μέρος φθειρομένων, ὅταν χωρισθῇ τῆς φύσεως. Verba hæc, & ſenſum illorum nos ſic interpretabimur: Sunt quædam quæ ſic generantur, vt materia quæ præfuit, nempe σύγκρισις elementorum, prioris formæ non diſſoluatur: ſed ſubſequente forma ſeu natura perficiatur: vt ſi ex ſanguine fiat caro, dum perficitur κρᾶσις elementorum,

pro

pro natura ſanguinis ſuccedit generatione, natura & forma carnis, vt prior compago elementorum non diſſoluatur. At in his quæ mediante putredine generãtur, prius ſymphyſin elementorum ſolui oportet, quam nouam cum ſubſequente forma, ſeu natura acquirant poſterius. Vt intelligamus priuatione συμφύσεως, priſtinam quoque φύσιν perimi, & noua συμφύσει nouam naturam & formam produci. Ratione autem generationis modi alterius (vt ſi fit è ſanguine caro) σύμφυσις prior elementorum putredine non corrumpitur, ſed perficitur ſuccedente natura carnis. Nam reſpectu materię aut ſubiecti (autore Ariſtotele libro α ἐλαττ. Metaphyſ.) dupliciter generari quidpiam dicitur. Nam vel hoc ex illo generari dicitur, vt ſi perempta priore forma vel materia fiat aliquid: vt ſi perempta & abolita per putredinem temperatura, noua κρᾶσις cum noua forma generetur; vt ſi quid mediante putredine generetur. Aut dicitur generari aliquid poſt illud; vt ſi perfectũ generetur ex imperfecto, vt caro ex ſanguine, ratione συγκρίσεως ſeu συμφύσεως elementorũ; ex imꝑfectiore fit perfectior natura, vt priorem ſymphyſin

necesse non sit dissolui, sed posteriore duntaxat perfici: vt hac ratione materiam generationis non sit necesse χωρισθῆναι τῆς φύσεως, quam prius habuit: alioquin enim quî diceretur perfici potius quàm aboleri? Et hoc quidem modo liquet duo genera esse in generationibus φθειρομένων, quorũ altero formam & materiam cõtingat corrumpi; in altero autem contingat duntaxat formam & non subiectum ipsum penitus corrumpi, sed potius posteriore natura perfici: hæc quidem sine, illa verò cum putredine definitur corruptio; quæ, vt κατὰ μέρος & ἰδίως existens, distinguitur contra absolutam, & quæ ὅλως putredo sine omni dubitatione dicatur; quam posterius definit Aristoteles, vt sit, quando externus ambientis calor internum & vernaculum calorem cum natiua humiditate expellit, & symphysin seu concrementum naturale elementorum dissoluit. Et hac quidem ratione σηπόμενα dicuntur φθείρεσθαι, ὅταν χωρισθῇ τῆς φύσεως, ὡς ἂν εἴποις, τῆς συμφύσεως. Quæ si omnia accuratè perpendisset Simonius ille sapiens, cum reliquis interpretibus tam longa oratione non fuisset opus mihi sententiã hanc Aristotelis
inter-

interpretari. Non omnia Simonij errata reprehendam, ſed quædã duntaxat, & præcipua. Infinitum enim eſſet omnia reprehendere; nec mirum, cùm non ſit Analyticus. Cæterum quod ἡ σῆψις τῶν κατὰ μέρος σηπομένων ſit referenda ad elemēta, hac interpretatione, quam ipſe Simonius propoſuit, probare in ſequentibus in Ariſtotele verbis conatur, vt mox ſcribat, ꝓpter hanc κατὰ μέρος φθορὰν σῆψιν elementis accidere, id eſt, propter has παρὰ φύσιν alterationes. Nuſquam in probatis autoribus, ac ne Ariſtotele quidē σῆψιν appellari talem dyſcraſiam reperies. Nam contrarijs qualitatibus corrumpi non putreſcere elementa dicuntur, niſi pro putredine habere velimus omnem corruptionem violentam; quam tamen φθορὰν (vt ἀντιδιῃρημένον εἶδος) Ariſtoteles diſtinguit contra eam, cuius cauſa ſit putredo, vt quæ ſit εἱμαρμένη, & non βίαια φθορά. Multò minus dyſcraſia ipſa putredo erit dicenda, vt ſubſtantiā non corrumpat, putredo autem omnis ſit corruptio ſubſtantiæ, & διάκρισις quædam τῶν συμφυομένων. Sed quid cauſæ eſt, quòd mox ſubijcit Ariſtoteles: διὸ καὶ σήπεται πάντα τὰ ἄλλα πλὴν πυρός. καὶ γὰρ γῆ, καὶ

ὕδωρ, καὶ ἀὴρ σήπεται· πάντα γὰρ ὕλη τῷ πυρί ἐστι ταῦτα. σῆψις δ' ἐστὶ φθορὰ τῆς ἐν ἑκάστῳ ὑγρῷ, οἰκείας καὶ κατὰ φύσιν θερμότητος, ὑπ' ἀλλοτρίας θερμότητος· αὕτη δ' ἐστὶν ἡ τοῦ περιέχοντος. Ariſtoteles non dicit, ꝙ ipſa per ſe elementa ſint σηπτὰ, ſecundo modo per ſe, ſed ꝙ quarto modo ꝑ ſe ſint σηπτὰ, i. quod ꝓpter ipſa mixta naturalia ſint quoddam σηπτὸν ſeu putreſcibile; quoad videlicet tria elementa reſpectu ignis ſint tanq̃ materia & ὁριζόμενον quiddã, ſeu definitum: ignis autẽ ſeu calor ſit quiddam vt definiẽs illa, vim habens ad generandũ & corrumpendum. Etenim οἰκείῳ & vernaculo calore generari res naturales, alieno aũt & externo calore per putredinem corrumpi, & diſſolui compagẽ συμφυομένων elementorum, inter omnes conſtat. Paulò antè verò diſtribuit elementa, vt tria patibilia & formabilia diceret eſſe, ſed ignẽ impatibilem & informabilem, qui diſtingueretur reſpectu patientium τῷ οἰκείῳ καὶ τῷ ἀλλοτρίῳ, .i. reſpectu patiẽtis mixti corporis, illo ſymphyſin conſtituente, hoc autẽ faciente διάκρισιν τῶν συμφυομένων. Terram autem, aquam & aërem non vult intelligi ſimplicia ipſa elementa, vt q̃ non ſunt ὁριστὰ reſpectu

ignis,

ignis, ſed mixta, vt terrea, aquea, vel aëria, vt in quibus exuperet aërium elementum: vt q̃ facilè vruntur & aquis innatant. Siquidem teſtatur Ariſt. ipſe etiã 1. lib. Meteor. vſurpari vocabula elementorũ in his etiam impuris elementis, vt terra dicatur, qđ tamen reuera terra non ſit, & aqua quæ ſimpliciter non ſit, & aër qui cum alijs aliquo modo ſit mixtus; vt tria hæc quatenus materia ſunt ignei elementi in mixtis, his elementorum voculis denominari & recenſeri ab Ariſtotele exiſtimemus: quoad nimirum cauſa ſunt τῶν σηπομένων φθορᾶς, & non quoad ipſa per ſe elementa putreſcãt. Omnia alia, inq̃t Ariſtoteles, excepto igne putreſcunt, quod videlicet ignis tanquam opifex, & δημιουργὸς omnia terminat, finiat & perficiat, efficaxq́; ſit omnium ad generandum & corrumpendum res naturales, vt ipſe interim à nullo alio elemento finiatur aut determinetur: reliqua autem tria elementa non ſimpliciter, ſed quoad ſunt materia & partes mixti naturalis, propter ſymphyſin definiantur ad vnius ſubſtantiæ naturalis conſtitutionem. Omnia igitur, excepto igne, aut tanquam mixta putreſcunt, aut ſunt tanquam materia, cauſa putredinis, vt elementa ipſa; quæ reſpe-

ctu ignis sunt & dicuntur ὑλικὰ, & quorum exuperantijs differant etiam inter se τὰ σηπτὰ, i. putrescibilia: vt quædam dicantur terrea, quædam aquea, nonnulla autẽ aëria; quatenus scilicet hæc omnia determinationi caloris sunt subiecta. In quibus autem exuperat ignis & calor natiuus, putredini seu corruptioni caloris externi nõ sunt obnoxia: quod ignis scilicet efficientiæ potentioris cuiusdam (cùm sit efficacissimus) non sit obnoxius. Sunt enim quædã, quæ ne à violento quidem igne patiantur aliquid, nedũ vt putrescere possint, vt aurum: tametsi alia quędam sunt, quæ vt ignis violentia pereant, nõ putrescunt tamen, vt vitrum, gemmæ, & innumera alia, quæ chymistarum arte parantur, & à putredine omni vindicantur. Quin etiam ἄσηπτα parantur hæc à chymistis, prius putrefaciendo materiam eorundem, vt nimirum ὁμόφυλα separentur calore externo ab his, quę tanquam περιττώματα admixta esse videntur: vt quod reliquum est ab externo calido non possit κατὰ φύσιν καὶ εἱμαρμένως putredine corrumpi. Et vt in naturalibus σῆψις quædam est τῶν κατὰ μέρος σηπομένων; sic imitatione hac operũ naturæ chy-

mista

mistæ multa faciũt ἄσηπτα ex his, quæ propter σῆψιν κατὰ μέρος φθείρεσθαι dicuntur ab Aristotele. Hactenus satis superque liquet, Simonium de particulari putredine sensum Aristotelis non apposite esse interpretatum. Ex hoc genere particularium putredinum sunt etiam, quando ex corrupto sanguine generatur pus; aut ex crudis & corruptis humoribus in venis, hypostases in vrinis apparentes generantur. Ex corruptis enim noua fit & κατὰ φύσιν σύγκρισις, cùm prius ἀλλόφυλα quædã παρὰ φύσιν essent composita. Quamobrem de putredine non est dubium Simoni, quin alia vermes generentur & chylus, ex putrefacto cibo; & alia sit, qua humores in febribus putrescentes corrumpantur: quandoquidem illa κατὰ μέρος, hac autem omnino seu ὅλως substantia corrumpatur: quod contra tuum errorem hactenus disputando probauimus. Sanguis extra venas contagione alieni caloris corrũpitur, aut prorsus putredine, vt in gangræna: aut corruptus permutatur denuo noua συγκρίσει in speciem puris naturalis. Quod si putredo sanguini potest accidere, multò magis reliquis humoribus à sanguine separatis ac-

cidere poterit: ſiquidem vt ſuo ꝓprio calore conſeruantur, ita alieno corrumpuntur, & putredine diſſoluuntur: propter dyſcraſiam autem externo calore diſſoluuntur & putreſcunt. Si quæ præterea reſtant de putredine humorum dicenda, ea reperiet ſtudioſus lector, in libro quẽ ſcripſimus contra nonnullos, qui negāt Rigoris Galenicā cauſam eſſe verā, quibus repetendis in præſentia ſuperſedendum putaui. Sed quærat forſan quiſpiam, quî fiat, vt neceſſe ſit calore ambientis prouenire putredinem? Cauſa hæc eſt, quod propter ſymphyſin ipſum à ſeipſo nihil patiatur. Itaq; externum quiddam eſſe oportet, ſiue generetur, ſiue corrumpatur quidpiam. In corporibus autem animatis calor ἔμφυτος cauſa eſt interna alterationum illarum, ſiue κατὰ, ſiue παρὰ φύσιν ſe habuerint. In rebus inanimis duntaxat σύμφυτος calor ineſt, quem omnino neceſſe ſit ab externo calore alterari ſeu corrumpi. Habilitas in humoribus eſt, vt à continentibus corporibus in corpore animalis vel κατὰ vel παρὰ φύσιν alterentur. Idem enim eſt, qui exterius ſubit calor ἔμφυτος, qui humorem εὔκρατον conſeruare, & qui δύσκρατον putredine, aut etiam

vio-

violenter corrumpi non patiatur. Quo pat-
est intelligi, Simonium futilissimè calorẽ
febrilem in putridis febribus comparare
calori ἑψήσεως aut ὀπτήσεως; qui nimirum
proportione πέψῃ respondeant ventricu-
li, aut ei quę in venis peragitur. Ergo secun-
dũ Simonium febrilis etiam calor πεπτικὸς
quidã calor erit, qua ratione febris, vt dys-
crasia nõ est, ita nec morbus quidẽ erit. Est
etiã illud Simonij argumentũ insulsum, qñ
in putredine negat naturalem habilitatem
in humoribus esse, vt putrescant. Quod sit
naturalis corruptio ipsa putredo, cum Ari-
stotele fatetur Simonius. Propter dyscra-
siam autem fiunt habiles. At φθορὰν quan-
dam violentam & quandam naturalẽ esse
seu εἱμαρμένην, ipsemet fatetur Simonius.
At negat humorum naturalem esse corru-
ptionem, cuius causa sit putredo: sed nega-
tionis tamen suæ nullum affert argumen-
tum, vt hac negata causa, probet violentam
esse corruptionẽ calorem illum: qđ ipsum
etiam tam nõ probat, quàm præcedẽs non
ꝓbauit. Deinde sic argumentatur. Nonne
« in putrescẽtib. calor minuitur: sed in febri
« citantib. calor augetur? Quid ni? Minuitur
« calor natiuus: augetur calor extern⁹. Nõne

3. Error.

putreſcentia fumant, vt fimeta, & nonnun quam inflammantur etiam, vt de ſtercore columbino refert Galenus, quod putreſcẽs calore ſolis cauſa incendij fuerit domus. At non idem calor eſt σύμφυτος, & putrefaciens, quo σύμφυτος diſſoluitur. Aliud eſt, quo ſic inſtat: Frigore externo putredo nulla prouenit: At febres putridæ quædam incenduntur frigore externo; vt, quãdo meatibus & poris cutis obſtructis, fuligines in vaſis detentæ (quod videlicet difflando nõ expurgantur ſpiraculis occluſis) febrim incendant, aliquando diariam, interdũ etiam putridam. Frigus ergo per accidens cauſa erit putridæ febris; quas cauſas te diſtinguere oportuit Simoni, ſi Analyticus eſſes.

4. Error.

IN CAPVT SECVNDVM *Animaduerſiones.*

RIDICVLVS eſt animaduerſor, qui non cauet, vt non in ipſum animaduertatur. Mederi vis Simoni alijs, iuxta tritum ſermone vulgi prouerbium, & ipſe vlceribus ſcates. Nunc deinceps ſecundi capitis errata examinanda ſunt, & cenſuris quibuſdam caſtiganda, in quo de humoribus humani corporis agit & ſcribit; quod

in ſan-

in ſanguine ſcilicet neque actu neque potentia reliqui tres humores inſint, nempe pituita & vtraq; bilis: quarum altera melancholicum humorem intelligi volo. Qui humores quatuor ſint, quibus ſanguis cõſtituitur nutriẽdo corpori idoneus humor, & ab Hippocr. expoſitum eſt in lib. De humana natura, & præterea omnium conſenſu & confeſſione medicorum manifeſtiſſimum eſt. Quin etiam ſanguinis vocabulo duo ſignificari tanquam homonymo vocabulo, liquet: vt vno nimirum ſignificetur, autore Galeno, ſimplex & purus ſanguis, in quo ſit exuperantia calidi & humidi, & qui tam nutrire non poſſit ſyncerus corpus ipſum, quàm pura bilis aut ſyncera pituita. Altero ſignificetur mixtus ex omnibus humoribus ſanguis, qui materia nutritionis ſit omnium partium corporis nutriti, quod probari aut monſtrari non ſit neceſſe. At verò compoſitus & mixtus ille ſanguis generatur ex chylo, in quo ineſt materia horum quatuor humorum: nempe δυνάμει reſpiciente generationem horũ humorum, & nõ mixtionis actum, quo generati ſimul mixti dicũtur eſſe: vt ſi ex ſanguine generetur lac, vt nõ priores ſint par-

Sanguinis vocabulũ eſſe æquiuocum.

Duplex δυνάμις

tes lactis, ſed poſteriores toto lacte. Non enim vt ex elementis ſanguis aut lac generatur, tanq̃ è ſuis partibus: cùm elementa priora ſint his, quæ conſtituuntur ex elementis, in quę ſunt etiã poſterius reſolubilia, vt liquet definitione elementi. Proinde non omne totum γενέσει prioribus partibus conſtituitur, cùm in quibuſdam ὀσία totius præcedat τῷ λόγῳ ὀσίαν partiũ, vt partes integrales totius σωμάλου poſteriores ſunt toto integrali: vt pectus, brachium, pedes, poſteriores ſunt τῷ λόγῳ eſſentiali. Ita quoque ſanguis prior ὀσία καὶ τῷ λόγῳ eſt partibus, vt totum integrale conſtituentibus ſanguinem. Liquet ergo has partes vt elementa, toto non priores eſſe, ſed ſimul eſſe ὀσία cũ toto: quamuis τῷ λόγῳ, vt diximus, ſint poſteriores. Veruntamen non vt ſeparabiles quædã ſunt partes, vt lac eſt in ſerum, caſeum & butyrum; ita quoque ſanguinis partes ſeparabiles ſunt, vt ſeparatim quiuis illorum ſubſiſtere poſſit humorum. Non .n. niſi quoad περιττώματα ſunt in ſanguine, ſeparabiles videntur eſſe, vt in ſuperpurgationibus etiã (quas Græci vocãt ὑπερκαθάρσεις) colliquationes hæ ſeparatorum humorũ non de ſubſtantia, ſed quæda

Duplex partium ratio eſt reſpectu Totius.

περιτ

περιτ]ώματα ipsius videantur esse; vt postremus omnium vacuetur non syncerissimus sanguis, sed adhuc suis quatuor humoribus compositus, in quo tamen nihil περιτ]ωματικὸν insit, quod possit colliquari aut separari medicamento. Multa esse in substantijs mixtis, q̃ separari nequeant, cõpertissimum est: & multa esse etiã, quæ possint arte quadam separari, & à natura etiam ipsa separẽtur, vt musti partes, feruente musto. At separari in rosa nequit dulce ab amaro, quãuis suo in subiecto vterq; insit sapor. separabiles enim sunt ꝑpter discrepantia subiecta, quæ sunt ὀσίαι quædam, quũ sola ὀσία sit χωριςὸν quiddam, nullum autem accidens, vt sapor, χωριςὸν possit esse aut dici. At nulla arte in rosa dulcis ab amaro separabilis est, quamuis sapores illi non in eodem primo subiecto insint, vt nec lactis partes eidem primo subiecto insunt. Et talia ne à chymicis quidẽ separabilia sunt. Nam q̃uis illi multa, non tñ omnia possunt separare. At dixerit forsan quispiã: Si humores cõstituentes substantiã sanguinis neq; actu sint separati, neq; etiã potentia sint separabiles; sequitur vt neq; actu neq; potẽtia in sanguine inesse dicantur, & hoc modo prorsus nõ

inerunt. Reſpondemus, quatuor humores actu & ſubſtantialiter ineſſe maſſæ ſanguinis, pro eo vt omnia mixta actu ſubſtantiali mixtis corporibus inſunt, nihilominus tamen οὐσίαι illę mixtilium corporum, propter qualitates ſuas alteratas, fractas & confuſas in vnum, non actu ſed δυνάμει dicuntur ineſſe; vt alia ratione actu, & alia δυνάμει, mixto dicantur ineſſe mixtilia; de quo diſputatum in priore libro De ortu & interitu apud Ariſtotelem. Veruntamen non omnia mixta ſunt loco χωριστὰ, vt paulo antè demonſtratum eſt, cùm dulcis in roſa ſapor ab amaro nõ poſſit ſeparari. Ergo inquies, mixta omnino non ſunt χωριστὰ, quod valde abſurdum dictu videatur eſſe? Ariſtoteles lib. iota Metaph. quatuor modos ſcribit eſſe, quibus vnum in partes diuiduum eſſe dicatur. Horum primum eſſe, ſi partes τῷ τόπῳ χωριστὸν quiddam dicantur, vt partes lactis. Aut ſi ſpecie ſubſtantiæ differentes, vt mixti ſanguinis partes, conſtituentes ipſum ſc. humores, inſeparabiles loco ſunt, ſed tamen ſpecie ſeparabiles, vel quæ duntaxat ἐπινοίᾳ diuiduntur, vt Materia & Forma, aut vt ſubiectum & accidens: vel quod tanquam συνεχὲς totum

Quatuor modis vnũ in partes diuiduum eſſe dicitur.

1. modus.

2. modus.

3. modus.

4. modus.

tum in suas partes sit diuiduum. Totidem modis etiam aliquid vnum dici consueuit. Ergo partes sanguinis, vt τῷ τόπῳ non sint, tamen τοῖς εἴδεσι substantiarum erunt & ἐπινοίᾳ separabiles; quibus scilicet, vt elementis (vt demonstratum paulo antè fuit) sanguis nequaquam constituetur. Et vt actu sint in sanguine, propter qualitates etiam suas potentia quoque & non actu inerunt: vt nihilominus propter hanc potentiam separabiles non sint τῷ τόπῳ, quādoquidem posteriores sint substantia sanguinis, qui tamen vt περιττώματα separari à sanguine possunt humores. Humores autem quatuor, sanguinis (quo nutritur solo corpus) qualitatibus quatuor elementorum inter se differunt, quibus etiam qualitatib. inter se mixti dicuntur, vt interim suā crasin naturalem vnusquisque obtineat, cùm quoad sunt separati vel separabiles, nō naturalem crasin habere dicantur, nec sanguinem bonum aut integrum constituere, ac non nisi περιττώματα sanguinis existant; quo nomine separabiles etiam humores à sanguine dicantur esse, eodemq; γενέσει posteriores. Vtile est & bonū (nam finis gratia omnia facit natura) humores

illos propter ἀκρασίαν esse separabiles, sed
temperatos sanguinis humores; prorsus
inutile esset, si possent separari, cùm separa-
tim nullus sit nutriendo corpori accom-
modatus, & ne sanguis quidem ipse purus
& syncerus: vt non sine causa Medici san-
guinem & humores massam sanguineam
constituentes, pro synonymis vsurparint.
Non enim separabiles sunt, nisi quatenus
ἄκρατοι, quibus οὐσία sanguinis non consti-
tuitur, quod videlicet τοῖς περιττώμασι nulla
οὐσία constituatur, autore Aristotele lib. 3.
De generat. animal. Humoribus ergo si-
mul omnibus generatis è chylo, constitui-
tur substantia sanguinis. Singulis sua inest
propria crasis, ipsis scilicet cōsubstantialis,
vt actu substantiæ suæ (vt aliàs omnia mix-
tilia solent) in sanguine insint, qualitatibus
autem suis contrarijs mutuo sint mixti &
promiscui, toti in totis vnam κράσεως spe-
ciem constituendo δυνάμει: id est, non puri
& synceri in sanguine dicuntur esse, non q
separati à massa & concretione sanguinis
seipsis subsistere possint, quemadmodū la-
ctis partes seipsis & separatim (cuius ꝓpter
dyscrasias περιττώματα nulla esse possunt)
subsistentes, proprias & natiuas crases suas
obti-

obtinent. Equidem δυύαμις hæc separationis non in omnib.inest mixtis corporibus. Sunt enim quædã quasi balbutientes mixturæ (quas Arist.appellat ψελλιζομένας μίξεις) in quib. perit quasi & aboletur alterius mixtilis substãtia, in residuo superstite qualitate, quæ sit quasi tinctura residui corporis: vt si amaritudo absinthij misceatur vino, & non ipsum absinthiũ; aut si oleo incoctus succus aliquis absumatur feruore ignis, oleo, sine substantia succi combibente in se qualitatem succi. Sic mixta nemo est qui separare posse existimet. Quamobrem sanguinis etiã humores non sint separabiles τῷ τόπῳ, paulò antè exposuimus. Quod autem pp dyscrasias περιττωμάτων rationẽ habeant, & hoc nomine sint χωριστόν quiddã, in confesso est. Quod si igitur dyscrasia per se causa est in humorib. vt sint à sanguine separabiles, sequitur vt eorundẽ εὐκρασία, per se causa sit, vt sint inseparabiles à sanguine. Neq; est necesse vt oĩa mixta τῶν ὁμοφύλων separatione aboleãtur. Quin etiã sanguis totus, & singuli separati pp ἀκρασίαν humores, pp dyscrasiã pereunt, & abolẽtur aut διαφθορᾷ, q̃ est violenta corruptio, vt si ex bili naturali fiat æruginosa; aut

Si affirmatio per se est causa affirmationis, ex necessitate negatio subiecti erit causa per se negationis prædicati.

ex melancholico humore, atra bilis; aut ex naturali pituita acida ſeu vitrea, pituita; aut ſanguis corrumpatur, vt nutriendo ſit inutilis; quem ſic corruptum Galenus in commentarijs Aphoriſmorum comparat vino, quod corruptione aceti ſit permutatum. Altera humorum ſeparatorum corruptio eſt εἱμαρμένη, cuius cauſam conſtat eſſe putredinem, de qua ſatis ſuperque præcedente capite dictum fuit. De humoribus quæ noſtra ſit ſententia hactenus: nūc quę Fernelij ſit & Simonij penſitemus. Fernelius tres humores in ſanguine negat actu, id eſt, ratione ſubſtantię ineſſe, ſed duntaxat potentia. Simonio videtur quòd neque actu, neq; potentia inſint in ſanguine, vt quibus ſanguinis ſubſtātia nequaquam conſtituatur. Humores ambo iſti appellāt, qui puri, ſynceri & ἄκρατοι, ſeipſis & ſeparatim poſſint ſubſiſtere, quos paulo antè nos ἀκρασίᾳ qualitatum deſcripſimus, qui eſſentia ſeu ſubſtantia ſua differre dicuntur à temperatis humoribus, vt illorū fert ſententia, quoad ijs conſtituatur ſubſtantia ſanguinis. At nos eandem ſubſtantiam dicimus eſſe εὐκράτου καὶ ἀκράτου humoris: ſiquidem non niſi propter qualitates, ſecundum

Opiniones Fernelij & Simonij diſcrepant.

dum magis & minus differant. At quod magis & minus non mutent substantiam, ipsum per se est manifestum. Proinde simplicium humorum, & cum sanguine compositorum, Fernelius negat eandem esse substantiam, quamuis idem aliquid similitudine videantur esse, nempe vt non sint ταυτὰ, sed τοιαῦτα quædam; quoniam εὔκρατος, & non ἄκρατος sanguinis substantia constituatur. Non enim nisi ὁμοφύλοις, mixti ἐσίαν constitui, vt puluere farinæ & lapidis panem non posse confici, inquit: quandoquidem vt ὁμόφυλα, coalescere nequeāt. Veruntamen (optime Ferneli) propter ἐσίαν pulueres isti non sunt ὁμόφυλον quiddam, sed bilis εὔκρατος, & ἄκρατος ἐσίᾳ non differunt, sed duntaxat secundum magis & minus differunt, quibus non mutari ἐσίαν liquet. Etenim humores εὐκρασίᾳ dicuntur ὁμόφυλον quiddam respectu sanguinis, sed ꝑpter dyscrasiam, quiddam ἀλλόφυλον, & non σύμφυτον. Illa sana, hæc autem morbida & περιττωματικὴ dicitur bilis. Quæ cùm ita se habeant, liquet synonymum esse vtriusq; humoris nomen idē, & substantiam vtriusque eandem, sed non eundem modū qualitatis & κράσεως. Quo

Reprehensio Fernelij.

Quomodo humores in massa sanguinea misceantur.

vero existente, sequitur vt actu etiã & substantialiter humores in sanguine insint, quod negãt tamen Fernelius & Simonius. Quod si actu, sequitur vt etiam δυνάμει suis contrarijs qualitatibus tota per tota misceantur, quæ nimirum, vt paulo antè diximus, propria sit mixtiliũ δύναμις. Fernelius autẽ censet, licet actu non insint in sanguine, tñ δυνάμει inesse, quemadmodum quòd causa materiæ generatur ex aliquo δυνάμει prius dicitur esse, quam actu sit, nõ quia τὸ μικτὸν δυνάμει à mixto χωριστὸν dicitur esse.

Duplex ratio δυνάμεως consideranda.

Et ad hanc δυνάμεως rationem Simonius respiciens, humores negat in sanguine δυνάμει inesse. Quo perspicitur, ambos diuersum sentientes, non ad eandem significationẽ δυνάμεως respexisse, & neutrum, quæ consentanea sint vero de humoribus dissentiunt. Nos humores actu & potentia statuimus in sanguine inesse: actu nimirũ ratione substantiæ, & potentia, ꝓpter confusas mixtione horũ qualitates, quoad actu simplices & synceras eas non habent. Proinde δυνάμει inesse humores in sanguine,

Ὁμωνυμίαν δυνάμεως non animaduertũt Fern. & Simon.

secus Fernelius & aliter Simonius interpretantur, neutro legitima interpretatione vtente, vt modò ostendimus. Cæterũ ꝓpter

medio-

mediocres humorum dyscrasias sanguis aliàs pituitosus, aliàs melãcholicus, aliàs biliosus appellatur, vt ob id tamen morbidus non dicatur esse, ꝓpter vitãdam ἀτοπίαν. Ludit Simonius passim, & lectorib. fucum facit ęquiuocatione vocabuli Sanguinis, & humorum. Suprà ostendimus sanguinẽ & humores, pro eisdem tanq̃ synonyma vsurpari, vt significetur vtrisq; compositũ quid ex quatuor humorib. quo solo omnes corporis partes nutriantur, ꝓeo, vt separatim nullo per se nutriri consueuit humore. At humores esse in sanguine nullos (inqt Simonius) q constituãt essentiã ipsius, sed esse in ipsis vt περιττώματα, quæ sanguini accidant, & qui morbidũ sanguinẽ, si exuperẽt, efficiant. Sanguinem autẽ seipso esse humorem, quo solo nutriatur corpus, & nõ ex alijs humorib. esse compositum, quem Auicenna etiam definiẽs, dicat esse humorem & liquidam substantiã in corpore profluẽtem, nutriendo animali aptam. Quamobrem sanguis, inquit, si sit humor, compositũ sc. quiddam ex quatuor humorib. non erit. Et qui compositus ex quatuor humoribus est, sanguis apud Hipp. De natura humana nõ alia ratione cõpositus dicit᷑, quã qua humoris vocabulo qđdã accidẽs sanguinis &

Qualis sit sanguis secundũ Simonium.

περιτ[illegible]ωματικὴ quædam περιουσία significetur: suo autem modo & crasi sanguinem ex elementis solis esse constitutum, quibus reliquorum quiuis sit constitutus. Alioqui enim si sanguis constitutus sit ex alijs quibusdam humoribus, futurum vt reliquorum quiuis ex alijs etiã humoribus sit constitutus. At reliqui non sunt ex alijs constituti humoribus, quare nec sanguis ex alijs erit constitutus. Itaque humorum causa admixtorum secundum Hippocratem (vt scribit Simonius) non essentia substantiæ sanguinis constituetur, sed duntaxat sanitas ipsius aut morbus, quę ambo sanguini accidant. Et tales quidem humores in sanguine inesse, non tantùm potentia, sed etiam actu, vt interim substantia sanguinis nullis humoribus alijs sit constituta. Ludit (vt dixi) Simonius æquiuocatione nominis Sanguinis, quoad videlicet significat, vnum ex quatuor simplicem humorem, nõ ex quatuor alijs compositum humoribus, sed ex quatuor elementis compositum, qui tam non sit vtilis nutriendo corpori, quàm reliquorum trium aliquis nutrimentũ per se non potest dici. Et hoc modo nos etiam negamus sanguinem ex humoribus compo-

Sanguis dupliciter vsurpatur, vt ὁμώνυμον seu æquiuocum.

posi-

positum esse. Alio modo dicitur sanguis compositus ex quatuor humoribus, qui solus vtilis est ad nutritionem, quum reliquorum nullus per se & seipso nutrire possit. Tertia significatione humores sunt, quibus sanus aut morbidus dicitur sanguis, ratione qualitatis aut quantitatis humorum, qua ratione sola humores in substãtia sanguinis esse scribit, non tam potentia, quà sint separabiles, quàm actu, vt aliàs mixtilia sint propter οὐσίαν suam in mixto corpore. Et quia sanguinem, vt verum & vnicum commune nutrimentum, negat quatuor humoribus compositum esse, iccirco in sanguine neque actu neque potentia inesse, appellãdo scilicet sanguinem, qui simplex vnus sit ex quatuor humoribus. Diuidit igitur rem significatam vocabulo sanguinis, in Rem primi & tertij generis, omittendo quod secunda significatione describitur, quod propter paralogismos Simonij admonitos lectores esse volo, qui vt folia Sibyllæ omnia miscet erroribus, vt diuinare vix possit aliquis, quid ab ipso scribatur. Peccat vtriusque argumentum, & Fernelij scil. & Simonij, διὰ τὸ ἐλλιπὲς τῆς διαιρέσεως. Ambo errant in eo, quod δυνά-

μιν generationis non diſtinguunt à δυνά-μει ſeu potentia ſeparationis, quę τῶν μικτῶν propria eſt, & oppoſita actui ſeparationis. Etenim partes mixti συμφύσει ſeu ὁμοφυλία vnam ὀσίαν conſtituunt, qua nimirũ nihil ſeparatum, ſed omnia in omnibus eſſe dicuntur. Hanc ὁμοφυλίαν cõtingit deprauari dyſcraſia mixtilis alicuius partis, ſed non tali corruptela, vt totum vitio laboret, ſed duntaxat, vt pars quædam ipſius bilis, aut alterius humoris. vt in ſanguine ſi propter bilem putreſcentem generetur febris, non tota bilis, ſed pars tantùm ipſius putredine corrumpetur. Tota enim perire nequit, niſi ſimul ſanguis etiã corrumpatur, aut violẽto aut naturali interitu. Etenim τὸ μικτὸν non per accidẽs ſuis conſtituitur partibus, quo argumẽto defendit Hippocrates, ſanguinem nullo tempore eſſe ſine quatuor humoribus, ſubſtantiam ipſius conſtituentibus. Nihilominus tñ craſes conſtituentiũ humorum ſingulorũ alterabiles ſunt, quibus alterationibus nihilominus ſubſiſtant in latitudine ſanitatis: nam niſi ita ſentiamus, errorem τῆς ἀπαθείας nõ vitabimus. Deprauãtur aũt humores multitudine aut qualitate, quarũ efficiens cauſa ſint res non natu-

Hippoc. De nat. humana.

naturales, quibus multifariam corpus animalis afficitur, aut κατὰ φύσιν, aut παρὰ φύσιν, aut ὐ κατὰ φύσιν. Non autem quibusuis dyſcraſijs humorũ ὁμοφυλία ſeu σύμφυσις ſoluitur aut corrumpitur, quum morbidus etiã ſanguis, vt melancholicus, aut pituitoſus, aut bilioſus, nutriẽdo fit, ſed duntaxat exuperantia dyſcraſiæ cauſa eſt, aut διαφθορᾶς aut putredinis, de quib. ſuprà fuit dictum. Sic .n. affecto ſanguine, deſinit eſſe habilis & idoneus ad nutricationem. In venis autem nunq̃ totus putreſcit, ſed violenter totus deprauatur interdum ꝓpter dyſcraſiam ſeu διαφθοράν. In animalibus q̃ fit differẽtia ἐμφύτου καὶ συμφύτου caloris, alio quodã loco expoſuimus. Quin etiã dyſcraſijs non modò vitioſus generatur ſanguis, ſed præterea humorũ quoq; περιττώματα aut ſeparantur à ſanguine, aut cum eodem miſcentur: quę mixtio manifeſta fit differentijs colorũ & ſaporum accidentibus ſanguini: vt verbi gratia, bilis conſtituens ſubſtantiam ſanguinis cum reliquis humoribus, & cõparatione eius bilis, quæ περίττωμα eſt ſanguinis, dilutiſſima eſt, vt colore & ſapore multũ differat ab ea, quę περίττωμα eſt, & ἄκρατος exiſtit. Fit autem ἄκρατος exuperantia δυσκρασίας calidæ & ſiccæ,

qua corrumpitur etiam interdum, vt permutetur in æruginoſam, qua corruptione non niſi æquiuocè bilis appellatur. Alioqui non hoc modo corrupta, temperari & dilui poteſt ſeu concoqui, vt ad ſtatum reducatur naturalem, aut vt ſeparabilis, ſi περίττωμα fuerit, per vrinam euacuari queat dilutione facta, neque colorem neq; ſaporem priſtinum retinens, qui propter ἀκρασίαν ei inerat. Hoc enim modo vindicari à morbo ſuo poſſunt humores, ſi nõ penitus ſint corrupti. Quatenus autem vt περιττώματα inſunt humores, aut ſymptomaticè & παρὰ φύσιν, aut criticè & κατὰ φύσιν excernuntur. Vt autem colore & ſapore differant bilis vtraque, ſubſtantia tamen non differunt: morbus enim & ſanitas nõ mutant eſſentiam ſubiecti, cùm ſint accidentia. Pallida enim naturalis (vt Galenus inquit) eſt bilis, ſed flaua propter ἀκρασίαν caloris & ſiccitatis pro cruda & non naturali eſt habenda. Similis ratio reliquorũ eſt humorum. Satis dictum de ſanguine & humoribus, nunc deinceps ad cenſuram Tertij capitis nos conferamus.

ANIMADVERSIO IN CAP. III.
De differentijs & causis febrium.

QVAE sint differentiæ, & causæ, & species febrium putridarum apud Galenum, notum est: vt falsa tamen & inconsentanea hæc omnia improbat Simonius, quum tamen ipsius omnia mera sint commenta & futilissima somnia, qualia sunt & Petri Rami, quibus contradicit Aristoteli. Ac primum quid dicat de causis considerabimus. Notæ sunt differentiæ causarum apud Medicos, nempe primitiuarum, antecedentium & continentium, seu coniunctarum: Græci προεχῆ καὶ συνεκτικὰ αἴτια appellant. Morbum, qui febris dicitur, definit Simonius, vt sit exuperantia dyscrasię calidæ, quæ insit & accidat substantiæ cordis, cuius symptoma sit diffusus per vniuersum corpus calor febrilis. Vno subiecto, nempe cordis substantia, quoad similare est corpus, definit omnẽ febrim, quo subiecto aliàs à Galeno sola febris hectica definitur: quod Simonius eò facit, quia discrepantibus subiectis humorum putrescentium, negat differre genera seu species febrium, cornicum (vt dicitur) oculos confi-

Definitio febris secundũ Simonium.

gens. Quod dicit & ſcribit, non probat aut demõſtrat: ſatis eſt, ſi Simonius id verũ eſſe affirmet. αὐτὸς ἔφα. Quî fit Simoni, vt non pbaris, tantùm vnũ ſubiectum & πρῶτον δεκτικὸν eſſe omnium febrium? Notiſſimis etiam vulgò φαινομένοις & ſymptomatis propoſiti tui manifeſtiſſimus error refellitur. Sed de hoc aliàs videbimus. Simili temeritate & inſcitia veri me quoque reprehendis, qui propter dyſcrepantiã triũ horum primorum ſubiectorũ, nempe ſpiritus vitalis, ſanguinis & ſolidæ ſubſtantiæ cordis vocabulum Febris homonymũ dixerim, quoad vt πάθος definiatur ἐκ προσθέσεως. Propter hunc errorem nemo verè doctus, ne primis quidẽ labijs, te deguſtaſſe analyticam artẽ exiſtimabit, vt de arte Medica interim nihil dicam. Quod ſi febris omnis ſubſtantiæ cordis ineſt, ſequitur vt omnes ſint hecticæ: aut quæ cauſa eſt, quòd quædam ſit hectica, quædam non ſit? Sed à febre hectica alieniſſimũ eſt, vt ipſius quædam continens ſit cauſa, quam tu affingis in præſentia febri omni, quæ ſit ſuccenſa in ſubſtantia & ſubiecto cordis. Omnia ſine cauſa, ſine ratione, & demonſtratione euertis & peruertis veterum Medicorum dogma-

dogmata, rationibus & argumentis probatissima. Qualia hæc tua sunt, & quàm impudentia postulata, quæ tanquam Dictator aliquis concedenda & confitenda nobis proponis? Quale istud in philosophia peccatum est? quando scribis προσεχῆ seu continentem causam formaliter non differre à subiecto? Quis vnquam causam & effectum pro vna re vsurpauit? vix possum me ex tot erratis expedire, aut quid prius aut posterius reprehendam, videre. Non deerunt fortasse mihi non obesæ naris lectores, qui ista, quæ verè criminor, facilè subodorabuntur, quantumuis tua stupidis & in philosophia rudibus lectoribus arrideant. Quid turpius physico, quàm aliquid sine causa pro vero affirmare? Nullam causam affers, propter quam veterum scripta nobis falsa, & tua somnia & fabulas pro veris habere debeamus. Deinde distinguis febres in continuas & intermittentes, item in symptomaticas seu spurias, & primarias, & per se febres. Genuinam autem & veram, seu primariam febrim sic interpretaris, vt sit, quæ inflammato & æstuante sanguine propter biliosum aut feruidum humorem in corde primò: spu-

Diuisio febrium Simonij.

riam autem & ſymptomaticam eſſe, quæ ſimili æſtu excitetur, ſed remotioribus à corde locis, penetrante ſcilicet per venas & arterias feruore & æſtu illo ad cor vſque, quò cùm venerit, tum demum febris accendatur. Quod ipſum ſi accidat in amplioribus & cordi propinquioribus venis, continuas ꝓuenire febres: aut ſi in remotis multum, excitari intermittẽtes febres. Et quotidianam quidem intermittentem, ſi in venæ cauæ caudice, ſupra gibbas hepatis partes, æſtu ſine putredine ferueat ſanguis. Tertianam, ſi in vaſculis per hepatis ſubſtantiam diuaricatis. Quartanam denique in Meſaraicis inflammato ſanguine, loco à corde remotiſſimo. Quin etiam ſubeuntibus in alia quoq; loca venis, vt in carnoſas partes, poſſe fieri, vt æſtuoſus talis vapor aut ſanguis penetret in cor minus patulis vijs, & febrim intermittentem excitet ſine humoris alicuius putredine. Nullam autem legitimam & genuinã febrim dici, ſi æſtus hic non primò exarſerit in corde. Quæ ſcribis Simoni, valde magna ſunt & impudentia poſtulata, & quæ operoſius & difficilius ſit probare, quàm propoſitum ipſum, nempe nullam à putredine prouenire

nire

nire febrim. Deinde genuinas & simplices febres non distinguit Galenus à symptomaticis, vt tu eas discrepare scribis. Nã symptomaticas Galenus febres appellat, q̃ propter alium quendam morbum, vt propter phlegmonem alicuius partis exarserit, vt si propter phrenitida aut pleuritida, aut iecoris aut splenis inflammationẽ. Genuina autem & legitima dicitur, quę seipso & nullo alio morbo adiuncto exarserit, quarum vtique differentias Galenus tradit in libris duobus de differentijs febrium. Simonianum etiam illud postulatum est, quod intermittentes febres distinguit differentijs locorum, in quibus febrilis hic æstus exardescit, & non differentijs humorũ putrescẽtium, vt Galen. scribit. Simile huic postulatum est, quando scribit, non nisi primum feruente æstu quodam sanguine, in corde legitimam & simplicem febrim accendi, causa continente febris existente feruente sanguine. Sit sanè (nam extra cor si feruidus sit sanguis, non nisi antecedens causa erit febris) at feruoris illius sanguinis continentes causas subiectis & causis distinguere oportuit. Nam aliàs feruet sanguis cordis febriliter, propter spiritum vi-

talem in corde inflammatum, cuius causa secundum Galenum nulla est continens, sed duntaxat primitiua, quibus solis diariæ febres inflammantur. At Simonius negat, spiritum vitalem cordis subiectum esse febris, quia non sit animatum quiddam: simili modo nec sanguinem subijci morbo, id est, febri, quia non sit animatum corpus. Vnicum tantùm censet esse febris subiectum; cordis scilicet solidam substantiam, quia solida tantùm sint animata: sed de hoc errore in sequentis animaduersione capitis disseremus. At nos quod prima sint subiecta, & πρῶτα δεκτικὰ, & φαινομένοις symptomatibus, & apodicticis non fictis rationibus demonstrare possumus. vt quod in diarijs febribus feruor febrilis primò insit in spiritu vitali ipsius sanguinis cordis, nulla existente ipsius aut continente aut antecedente, sed duntaxat primitiua causa, manifestissimis rationibus & φαινομένοις à Galeno est demonstratum. Item quod putrido vapore subeunte in penetralia cordis, cum sanguine commixto (nam vt proprius spiritus cum sanguine, ita quoque contra naturam vapor & halitus cum eodem misceri potest) febris putrida

Quare Simonius neget in spiritu aut sanguine inesse febrem.

trida incendatur, manifeſtiſſimis rationi-
bus & φαινομένοις probatur à Galeno: vt
perſpicuum planè ſit, eius febris τὸ πρῶτον
δεκτικὸν eſſe ſanguinem, & eius duas eſſe
cauſas, nempe antecedentem & continen-
tem; vt antecedens ſit extra cor: conti-
nens autem ſit in ſanguine cordis, putri-
dus ſcilicet vapor cum ſanguine mixtus.
Præterea ſpecies eſt febris, quæ dicitur he-
ctica, cuius diuerſæ ſunt cauſæ & ſympto-
mata etiam, quibus vt notiſſimis differat à
præcedētibus duobus generibus febrium.
Huius autem febris πρῶτον δεκτικὸν eſt ipſa
cordis ſubſtantia, nulla ipſius cauſa conti-
nente exiſtente, vt ſomniat veritatis & de-
monſtrationū ignorans Simonius Electo-
ralis profeſſor. Nam poſtulator Simonius,
nullā niſi in ſubſtantia cordis, vt τῷ πρώτῳ
δεκτικῷ febrim ineſſe cenſet, & eius cau-
ſam eſſe continentem, feruentem ſangui-
nem in corde. Proinde vt Simonius ne-
que cauſas, neque ſubiecta febrium pri-
ma diſtinguit, ita nec febrim formaliter
conſtituentem calorem diſtinguit à ſym-
ptomatico ipſius calore. Etenim febrilis
calor eſt morbus & ἕξις quædam, qui,
vt dixi, tribus primis ſubiectis ineſt,

nempe cordis ſanguini, aut ſpiritui ipſius vitali, aut carnoſæ ipſius ſubſtantiæ. Si calor putridus in ſanguine ſit, tum ſimul coafficiuntur ſolida ſubſtantia cordis & vitalis ſpiritus ſanguinis, qui tamen calor in ipſis morbus non eſt, ſed ſymptoma, & ipſis κατὰ χέσιν ineſt. Aut ſi in ſpiritu vitali vt morbus inſit, in ſanguine & ſolida ſubſtantia κατὰ χέσιν & συμπτωματικῶς inerit. Quod ſi erit in ſolida ſubſtantia cordis, & ei inſit morbus, tum in ſpiritu & ſanguine κατὰ χέσιν, & vt ſymptoma inerit. His quę diximus, conſentanea ſunt omnia φαινόμενα febrium: at ijs quæ ſcribuntur à Simonio, nihil eſt conſentaneum, ſed ipſa & inter ſe, & ab omnibus veris diſcrepant, vt vera nullo modo eſſe poſſint. Nunc deinceps ad Quarti capitis cenſuram nos conferemus.

Animaduerſio in cap. IIII.

NEGAT Simonius in ſpiritu vitali aut ſanguine ineſſe febrim, quia animata non ſint corpora; duntaxat autem in ſolida ſubſtantia cordis febrim ineſſe, vt quæ ſit ex numero animatorum. Suprà quæſo Simoni ſollicitè probaras ſanguinem pro-

pter

pter excrementa inutilium humorum esse & dici νοσώδη: nunc quia animatus nõ sit, morbũ & febrim in ipso inesse negas? An verò spiritus & sanguis instrumenta non sunt animatarum partium, sine quibus nõ possunt præstare & exercere suas energ{e}ias. Sunt partes illæ (vt Galenus appellat) χρείαν παρέχουσαι, & quamuis animatæ non sint, tamen generantur ab animatis, & vicissim animatarum partium vsibus subseruiunt, nam his secundum naturam non habentibus, animal viuere nequit. Hoc nomine morbus in illis esse dicitur, quoad operationis impeditæ aut læsæ sunt causa: tametsi ipsa per se non sint animata. Nec verum est quod dicitur, morbũ & sanitatem non nisi in animatis inesse, nisi de toto animali id dictum fuerit, & non de partibus his animalium. Fernelius porrò differentias intermittentium febrium discernit, & locorum etiam in quibus putrescant differentias describit: quorum præcedente capite etiam mentionem fecimus. Dissentiens ab ipso Simonius, negat vtranq; differentiam veram esse: vt ipsum à seipso dissentientem Fernelium, non moror, sed tamen non sequitur, vt si Fernelius erret,

ob id Simonius ipſe rectè ſentiat. Simonius negat febrium ſpecies deſcribendas humorum putreſcentium differentijs, & cauſa vna cùm ſit continuarũ & intermittentium, nihil intereſſe quocunq; in loco humor febrem incenderit. In hoc omnes differre, ꝙ quædam ſint genuinæ & legitimæ, aliæ autem ſint nothæ & ſymptomaticæ, de qua, quàm falſa ſit, differentia febrium, præcedente capite dictum. Scribit autẽ, tam poſſe feruido ſanguine in corde incluſo procreari febrim intermittentem, quàm poſſit eadem materia continua excitari, ſi fuerit extra cor, pro teſtimonio fidei πρᾶξιν ſuam allegat: qua deprehenderit hæc ita ſe habere: ſed fides huius rei (quamuis domeſticũ ſit teſtimonium) eſto penes autorem Simonium. Αὐτὸς ἔφα. Negas Simoni in contentis cordis ineſſe πάθος febris, vt in ſpiritu vitali, aut ſanguine ipſius, ſed contenti ſanguinis feruorem & διάθεσιν morbidam (quam tamen morbum eſſe negas) & cauſam continentem febris, quæ ſoli ſubſtantiæ cordis ſolidæ inſit, eſſe ſine ratione & demonſtratione contendis, fictámque prætendis experientiam, quum tamen his omnibus manifeſtiſſi-

ſtiſſimè febrium ſymptomata & φαινόμε-
να notiſſima repugnent: quoniam niſi ſub-
iectis proprijs & locis febres diſtinguan-
tur, vera illa φαινόμενα nullo modo eſſe
poſſunt Continuarum & intermittentium
febrium tu vnam cauſam, nempe æſtuan-
tem ſanguinem feruore bilis, eſſe ſcribis:
& legitimam ſeu genuinam eſſe febrim,
ſiue continua ſit, ſiue intermittens, ſi in pe-
netralibus cordis feruere incipiat: ſpu-
riam autem ſeu ſymptomaticam, ſi feruo-
rem concipiat in locis extra cor propin-
quis aut longinquis, quibus etiam conti-
nua aut intermittens poſſit excitari febris.
Febris, quæ exardeſcit primò in corde,
quam tu Simoni præter rationem, legiti-
mam & genuinam appellas, nulla conti-
nentem habet cauſam: vt ſunt hecticæ fe-
bres & diariæ omnes, quarum etiam neu-
tra, neq; continua, neq; intermittens à do-
ctiſſimis Medicis (quorum tu dignus non
ſis, corrigiam calceamentorum ſoluere)
appellatur. Diaria febris, feruore ſpiritus
vitalis, hectica autem æſtu non naturali
ſubſtantiæ cordis definitur. Tu verò Si-
moni æſtuante ſanguine propter bilio-
ſum humorem in penetralibus cordis de-

ſcribis non febrim ipſam, ſed cauſam continentem primariæ ſeu legitimæ febris. Biliosus humor nulla putredine corruptus, ſiue cum ſanguine mixtus per vniuerſum corpus feratur, vt in ictericis, ſiue in eryſipelatibus, cùm ſine putredine partem aliquam occuparit, febrim excitari conſueuit. Quod ipſum in reliquis etiam humoribus vſu venit, vt pituita & melancholia, quibus ne per διαφθορὰν quidem corruptis, vt in vitiligine ſeu λεύκῃ, aut elephantiaſi, febres ſolent inflammari. Non enim ſeipſis, ſed ſolo putrido eorũ vapore in cor penetrante, febrium cauſæ exiſtunt. In ipſo autem corde περίττωμα, ſeu excrementum biliosi humoris ineſſe nequit, nedum vt in ipſo putreſcat, quandoquidem cor ſit focus & officina caloris vitalis, ſpiritusq́;, quibus vegetantur & viuificantur omnia in vniuerſo corpore: nec περίττωμα in ipſo generatur vllum, quàm fumoſus halitus, qui ex neceſſitate generatur in omni calore ſeu igni, cuius fomentum & ὑπέκκαυμα quoddam exiſtit. Eius, ne calor natiuus ſc. ab ipſo opprimatur, excretionem & purgationem molita eſt natura reſpiratione pulmonum, & pulſu arteriarum, vt nullam habeat

habeat interitus ſui cauſam, quam ſi ipſe à ſuo proprio excremento opprimatur: cùm nec ab alio calore potentiore foueatur, neque etiam alieno calore putreſcere poſſit, ipſe ſeipſum à putredine vindicans, quum propter fomẽtum ſuum ab externo & violento calore aboleri queat, aut à frigore extingui. Perfectiſſimus & elaboratiſſimus ſanguis ſpiritu vitali plenus, in corde & arterijs continetur: quem Hippocrates in libro De corde ἡγεμονικὴν τροφὴν appellat. Sanguis ergo cordis arteriarumq́; & ſanguis in venis, quid quantumq́; differãt notum eſt: vt propter dictam cauſam & principatum inſiti ſeu ἐμφύτου caloris, Eraſiſtratus putauerit in arterijs non niſi ſpiritum vitalem contineri, quarũ oſcula ſi ſanguis ingrediatur, & impactus illic φλόγωσιν cõcipiat, tum febrim excitari. In his vtriſque abundantia caloris ἐμφύτου, tanquam in fomento ſuo, ſubſiſtere nihil patitur, quod non in ſubſtantiam ſpiritus vitalis permutare poſſit: vt ignis in foco flãmeus omnia in ſuam ſubſtantiam mutat, perpetuo fumoſis excrementis ſemetipſum purgans ne ſuffocetur: aquam autem & lapidem excludit ipſe ignis, ſiquidem hæc ipſius ὑπεκ-

καύματα esse nequeant. Haud longè secus solus sanguis spiritus vitalis est fomentum & ὑπέκκαυμα, & nullus excrementitius humor biliosus, aut pituitosus, aut melancholicus, qui in spiritum vitalem permutari nequeunt. Qui si essent, perimerent calorem ἔμφυτον, in corde vel arterijs existentem. Monstret ergo nobis egregius Simonius, quî possint excrementa biliosa in penetralibus cordis subsistere, de reliquis non quæro, cùm his per se nullam febris causam adscribat. Loquor autem de bilioso excremento: nam in sanguine cordis omnes humores inesse sentio naturales, sed excrementitios, quibus generentur morbi, illic esse nego, sine abolitione caloris natiui, quo extincto, vita quoq; animalis perimitur. Arcet itaq; putredinis causas calor & spiritus vitalis in corde & arterijs, vt humorum ratione corruptorum febris causa in his nulla subsistat. Vt autem cor & arteria à suis proprijs fumosis excrementis periclitantur, ita quoque propter febriles & putridos humores periclitantur, fumis putridis subeuntibus per oscula arteriarũ in ipsas arterias, & ex arterijs penetrantibus in penetralia cordis. Penetrare autem

tales

tales vapores in cor, & in primis in ipſas arterias, declarant pulſus ipſi ab initio paroxyſmorum compreſſi, & poſtea incompreſſi, magni & veloces, quibus vt φαινομένοις, omnia quæ dicimus, vera eſſe demonſtramus. καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Simonius omnium impurorum humorum cor ſentinam in febribus eſſe, his teſtatur verbis: In ſymptomaticis febribus ſentina " quaſi febrilium humorũ deliteſcit in qui- " buſdam viſceribus (ſecundum Fernelium " & Simonium) & poſtea ex illa quaſi ſabur- " ra, è qua corruptus æſtuansque fomes ef- " fundi in cor promptè commodeque, vel " aſſiduo (vt in continuis) vel per recurſan- " tes vices, poteſt. Itaq; ſecundum te Simo- " ni, vt in ſymptomaticis febribus tuis viſcera Ferneliana ſunt ſentina prauorum humorum, febrim accendentiũ, ita quoq; in legitimis febrib. ſentina quædã talium humorũ continebitur in corde: quæ ſi contineretur, non modò febrim homini, ſed omninò mortẽ conciliaret. Deinde dogma illud vetus, quo in intermittentiũ febrium paroxyſmis cauſa rigoris ſeu horroris, in habitũ & neruoſa corporis mẽbra depelli defendit, vt falsũ & à vero alienũ damnat, quẽ

aliàs errorem Fernelij alio quodam libro confutauimus. Deinde apertè mentitur, quando ſcribit nullam differentiam locorum, in quibus putreſcant humores, diſtinguere febres continuas ab intermittentibus. Quid quæſo vanius Simonio? Poſtea ſuo amico, nempe Fernelio, contradicit etiam (tanta eſt ambitio in αἱρεσιαρχίας) qui in ſynocho humorali (per parentheſin negans Simonius ſynochon nō humoralem, vt qui ſecundum Galenum in ſpiritu vitali duntaxat accēdatur, cuiuſmodi febres nullas eſſe Simonius contendit, propterea ꝙ omnes ſint, ſecundum Simonium, humorales) in proximis cordi amplioribus venis febris incendium contineri dicat, & non etiam putet poſſe fieri, vt in remotioribus etiam venis continuæ ſimiliter febres in eiſdem propinquis cordi venis poſſint ſubſiſtere. Supereſt vltima Fernelij reprehenſio, quam de induſtria omitto, quod ſuperioribus cognitis, nemo ſit tam væcors, qui non huius quoque vanitatem argumenti intelligat. Nunc ad ſequens caput nos conferamus.

Animadversio in cap. V.
De periodis febrium.

IDem facit Simonius, quod aliàs faciunt οἱ τὴν θέσιν φυλάττοντες, i. pertinaciter & non verè ſuum propoſitum defendentes, qui ſolent πρὸς ὑπόθεσιν βεβιασμένοις rationibus vti, vt omnia conſentaneè dicere videantur. Reprehendit eos, qui periodorum in febribus differentias humorũ putreſcentium naturis diſtinguunt, & cum humoribus etiam genera febrium. In diſcernendis febrium ſpeciebus Galenus etiã monet, vt ne præſertim ad periodorum diſcrimina reſpiciamus, ſed potius ad propria ſingularum ſpecierum ſymptomata, quibus per ſe diſtinguantur ſpecies febrium. Vera autem ſunt, quæ hoc loco refert Simonius, adeoq; non per ſe, ſed per accidens differre inter ſe febres periodis: ſiquidem, ipſo autore, non ſemper quotidie à pituita natæ febres inuadant, & bilioſæ interdum quotidie inuadant: idem eſt iudicium de melancholico humore. Quo merito reprehendat hoc loco Galenum, non video. An verò ſi febrium ſpecies periodis nõ per ſe diſtinguantur, ob id vna omnium febriũ cauſa erit, an vnũ πρῶτον δεκτικὸν omnium,

aut ob id putreſcentibus humoribus nulla
excitabitur? Nemo vnquam contra Gale-
num iniquius & impudentius diſputauit.
Vnitate cauſæ & ſubiecti febrium ſuſtuli-
ſti tu omnes febriũ differentias: at multa
eſſe, φαινόμενα & συμπ]ώματα febriũ de-
clarant, quas tamen tu nullas eſſe conten-
dis, quando varietatem cauſarum tollis.
Quocirca vna eademq; ſecundũ te omnium
febrium curatio erit: quum humorib. non
diſtinguantur. Quid quæſo Simoni, calu-
mniaris doctiſſimum & optimè de genere
humano meritum Galenum, qui negat i-
pſe etiam differentijs periodorũ ſpecies fe-
brium per ſe diſtinguendas eſſe, ſed humo-
ribus (quos tu ſua putredine negas cauſam
eſſe febrium) quorum diſcrimina depre-
hendantur per propria quædã ſymptoma-
ta, tanquam φαινόμενα quædam. At vero
in hypotheſibus tuis, quî probabis ideas fe-
brium, vno ſc. ſubiecto & vna cauſa omnes
eas definiendo? Decipis & facis fucum le-
ctori, dum calumniando alios, & tua non
probans, per poſticum, vt dicitur, te prori-
pis, vt ne malæ cauſæ patronus eſſe depre-
hendaris: talis inquam cauſæ, quæ propter
abſurditatem nullis argumentis, ne veriſi-

mili-

militer quidem propugnari queat. Quid absurdius quã vna humoris specie omnes periodos febriũ describere, & vno omniũ, vt dicitur, calopodio vestire pedes? Probas quod Corn. Celsus scribit, discernendas esse febres accessionum & symptomatum differentijs: sed nihilominus eadẽ in quartana, quæ in tertiana, imò etiam q̃ in quotidiana (quatenus nempe humoris natura & conditione nullo modo inter se differentes, tertiani, quartani, quotidianiq́; circuitus redire possunt) facienda. Statuis ergo tu eadẽ facienda esse in curationib. febrium, qualescunq; habuerint periodos, quia videlicet in discrepantibus etiã periodis vna sit humoris febrim excitantis natura, vt eadẽ conditio. Tu ergo quod periodis febrium species non distinguãtur, ob id humorum etiã discrimen aliquod esse negas. Nos aũt cum Galeno, quòd dissimilima febriũ sint symptomata, humoribus etiã & causis differentibus, ꝓuenire febres. Specie differẽtes inter se hactenus defendimus: quam tu viam doctrinæ vepretis & senticetis refertam esse scribis, tuam autem esse facilem & planam, nulla re differentem à methodicorum arte Medica, quę vel vno mense per

disci possit. Hactenus de periodis satis superque dictum.

ANIMADVERSIO IN CAP. VI. *De Rigore.*

PAVCIS, Deo volente, me ex hoc capite expediam, propterea quòd de Rigoris causis iam antè scripserim & exposuerim meam sententiã, contradicendo quorundam erroribus. Simonius probare videtur causam & definitionem Rigoris Galenicam, quam ipse quoque vt veram approbo. Veruntamen displicet hæc mihi, quod propriorum παθῶν duplicẽ definitionem agnoscens, nempe eam, qua causa explicatur, & quæ non nisi figura orationis differat à demonstratione (quam Græci appellant οὐσιώδη) & eam qua simpliciter effectus describitur, vt qua, quid nomine ipsius significetur, intelligamus (ὀνοματώδη definitionem Aristoteles & Galenus ἐννοηματικὴν appellat) negat Simonius definitionem nominis proprij πάθους in principijs demonstrationis habendam: propterea quòd, vt conclusum demõstretur, sed οὐσιώδη definitionem esse in numero principiorum demonstrationis, quæ tamen (vt dixi) nulla

nulla re differat à demonſtratione quàm figura orationis, & demonſtratione ipſa poſterior ſit. Quæſo te Simoni, quî poteſt, quod poſterius eſt demonſtratione, principium eſſe demonſtrationis? Aut ſimplex nominis definitio quî poterit nõ eſſe principium, cùm non niſi ὅτι ἔςι ipſa definitione nominis intelligatur, & non διότι. Prius enim quòd ſit aliquid prænoſci oportet, quàm propter quam cauſam ſit demõſtretur. Inſignis hic error tuus eſt, quem etiam in Antiſimonio meo tibi exprobraui, confutando ſcilicet hunc errorem: quo ſtatuebas definitionem ſubiecti eſſe medium demonſtrationis. Tali analytica tuos errores extruis. Criminatur Simonius Galenum, & accuſat ipſum inconſtantiæ, quod cùm in libro De rigore πάθους huius cauſam eſſe dixerit frigus dolorificum, idem ſcribat lib. 2. De criſib. cap. 3. cauſam rigoris eſſe acrimoniam flauæ bilis, quæ ſtimulando & pungendo neruos, cauſa ſit motus, quo rigore quatiantur membra in febribus. Mediata hæc eſt cauſa, non immediata rigoris: quum immediata (vt frigus dolorificum) poſſit etiam prouenire à pituita & melancholico humore. Sed eo in loco lo-

quitur duntaxat Galenus de Rigore, qui proueniat in biliosis febribus, id est, quarum causa Crises in morbis acutis eueniant, & allegando causam mediatam, non ob id negat, immediatam causam rigoris esse veram, nempe frigus dolorificū: quare non opus erat tot instantijs, quibus probares multis exemplis, biliosum humorē sæpe infestare neruos, vt tamen hanc rigoris molestiā non sentiant: quibus omnibus respondimus eo libro, quē opposuimus his, qui negant veram causam rigoris à Galeno esse expositam. Frustra ergo criminaris quod non intelligis Simoni, aut quod malè intelligendo peruertis. Assentior deinde tibi quando scribis, in ardentibus febribus, in fine rigorem & signum & causam esse sanitatis recuperandæ, quamuis alij aliter sentire videantur. Deinde quòd scribis in genuinis, seu vt ipse appellas in primogenijs febribus, incipientibus paroxysmis, multam crassamque materiam in cor ipsum erumpere, obstruiq; viam, qua calor in partes exteriores à corde, tanquā fonte diffundatur. In genuinis seu primogenijs febribus, initio paroxysmorum scribis, profundi in cordis penetralia multam
cras-

ſam lentamq́; materiam, quâ ab exitu coerceatur vitalis calor, quo impedimento externæ partes refrigerentur, & hac refrigeratione & rigore contremiſcãt. Dic quęſo Simoni, quo authore aut qua ratione fretus, in his febribus dicas multam craſſamque materiam in cor irrumpere, vt quę meatus obſtruere poſſit, vt calor ſpiritusq́; vitalis exire nequeat, haud dubiè ſpiracula quoque penetrantia in pulmonem obturabuntur, quæ per oſcula cordis penetrant pulmones, vt cor fuliginoſum ſuum expurgare nequeat excrementum. ora enim patula eſſe non poſſunt, ſi multa craſſa lentaque materia fuerint obſtructa. Sic affecto corde, quî poterit viuere homo? Cor vnum impatientiſſimum eſt obſtructionum, quum reſpiratione perpetua ei ſit opus, vt non tantùm Medicis, ſed etiam vulgò notiſſimum eſt omnibus. Deinde impurus & craſſus humor, quî non erit cauſa non febris, ſed ſuffocationis potius, in corde exiſtens, cum multo etiam & puro ſanguine cor poſſit ſuffocari? Vt etiam paucus ſit in corde craſſus & lentus humor, quî permutabitur in ſpiritum vitalem, cùm non niſi ex

purissimo sanguine spiritus vitalis generari queat ? & crassus crudusq; sanguis in arterijs quî poterit inesse, quem tenuem & elaboratissimum esse constat, & omnino spiritalem. Notum est, quid in paroxysmorum vitio supprimat arterias, & quæ causa sit reuocationis sanguinis versus interiora: non quòd cor repleatur refluxu illo ad ambas (vt dicitur) vsque aures, sed quòd prope cor grandiores venæ sanguine repleantur, & quòd duntaxat putridus vapor in oscula arteriarũ ingrediens penetret ad cordis etiam penetralia, quibus fumis putridis deprimantur cor & arteriæ, vt liberum spirationis motum non exerceant, donec eo fumo calore natiuo & perspiratione liberentur. Allegas nobis Galenum testem tui erroris, qui lib. 1. cap. 7. De differ. febriũ scribat, initiò paroxysmorum calorem natiuum debilitari; & non in cor ipsum, sed intra aut extra venas excrementa humorũ putrescere ac succendi. Ergo falsum dicis, & falso testimonio deuincire tibi vis Galeni authoritatem, in veris à Galeno dissentiens. Historias quidem tuas practicas ego vero pro fabulis numero. Quomodo quæso matrona illa tua, quam allegas, ex pitui-

ta ter-

ta tertiana exquiſita laborauit? nos exquiſitam tertianam cum Hippocrate & Galeno, non agnoſcimus, niſi ex bile generatã. Tertiana (inquit Hippocrates) exquiſita, ſeptem periodis, quod tempus eſt longiſſimum, iudicatur. Tu verò Simoni ex pituita natam, & quatuor menſes duraſſe ſcribis. Aliàs bilem non putridam feruoris febris cauſam eſſe ſcribis, nunc pituitam eſſe dicis: quæ ſi non putreſcit, quomodo febrẽ poteſt accendere, aut ſi putreſcit, quid eſt, quod tu contendis, putreſcentibus humoribus nullam febrim accendi? Vide quàm omnia tua ſint lubrica, & incerta, & ἀσύστατα. Qui cenſent Galenum pro cauſa horroris ſeu rigoris defendiſſe motum vitalis caloris, quo viciſſim & alternis ac reciprocè intra & extra magno impetu, tanquam Euripo quodam agitatũ, eos acuratè confutatos lector in prius allegato libro de rigore reperiet, vt denuo ea non repetenda eſſe videantur. Quod confluxu ſanguinis ad interiora refrigerentur exteriora, manifeſtum eſt. Sed calore interno refrigerato cordis, quod nõ rigore corripiatur quiſpiam, ſed potius ſyncopa, nõ minus liquet. Item quòd in paroxyſmis rigorificis æſtuẽt

interiora calore, ſitis declarat: quamuis pulſus eo tempore ſint compreſſi & debiles, tamen calor non eſt debilis, aggregato circa cor ſanguine: qualis aggregatio non eſt in continuis febribus, propterea quòd propter πάθος neruorum, humorum putreſcentium motu atque irritatione offenſorum, ad interiora calore vitali refluente, frigoris dolorifico ſenſu cum rigore moleſtentur mēbra exteriora. Quare conſtat fontem caloris, id eſt cor, non refrigerari (vt cenſet Simonius) ſi externæ partes refrigerentur, ſed calere magis ꝓpter ſanguinis multitudinem, eodem tamen non libero, & ſoluto à ſuis proprijs & à putredinis fuliginoſis excrementis. Non enim vt quibuſdam videtur, refrigeratis exterioribus, fontem etiam caloris neceſſe eſt refrigerari. Non autoritas vana & arrogās, ſed veritas certa & indubitata vincat. Sed operæ precium eſt audire à Simonio in primogenijs, vt ipſe vocat, ſeu legitimis febribus, quarum primordium eſt in penetralibus
„ cordis (vt ſcribit Sim.) quænam cauſa poſ-
„ ſit eſſe rigoris, ſi ab initio paroxyſmi cor
„ ſit multis craſſis viſcidiſq; humoribus op-
ple-

pletum. His, opinor, refrigerato corde, ſan- "
guis & calor in externis ad interiora ver- "
ſus cor confluunt. At ſecundum te, Simo- "
ni, cauſa eſt febris non humor lentus & "
craſſus, ſed feruidus, cor ipſum inflam- "
mans. Ergo in febri legitima ſimul cor calebit & frigebit, quo nihil dictu abſurdius. Tam efficax & potens eſt tua analytica, vt ſimul pro veris queas concludere contraria, nec mirum ſi tibi libri noſtri Demonſtrationum diſpliceant. Deinde aliud comminiſceris figmentum, cauſæ (ſunt enim omnes tui λόγοι πλασματώδεις μάχοντες αὐτοὶ ἑαυτοῖς καὶ τοῖς εὐλόγοις) quo probes internas verſus partes caloris & ſanguinis fugam ſeu ceſſionem, nempe quòd acres humores ſubſiſtentes circa Ferneliana illa viſcera & membranas eorundem, eximio quodam ſenſu præditas (ſi dijs placet) quibus ſtimulatis & diſpunctis, vt fiat in omni dolorifico ſenſu, ab exterioribus ad loca viſcerum calorem & ſanguinem confluere, quibus externæ partes deſtitutæ corripiantur motu rigoris. Cauſa fortaſſis hæc eſt in lypirijs febribus, vt internis partibus inflammatis, & ad ſe propter phlegmonem trahentibus

calorem, externæ partes refrigerentur. Contra causam hanc disputauimus eo in libro, in quo rigoris causam Galenicã contra multorum instantias defendimus. Si pro eo, vt tua fert opinio continens causa febris est humor æstuosus & feruidus, quî poterit causa esse punctionis seu irritationis, & versus interiora reuocationis caloris & sanguinis, cùm calor feruidus cordis nõ contrahat, sed diffundat calorem & sanguinem versus exteriora? Vides in tuis rationibus nihil inesse sani: & vt nihil firmum & constans, ita nec verum quicquam. Aliquando febris causam esse scribis multos crassos & lentos humores: num in his etiã erit acrimonia, vt sensiles illas membranas & viscera dolore quodam stimulent? Adscribam tua verba, vt ipse temetipsum, & non alium tui testem erroris habeas. Sic autem scribis: Reuocatur autem calor, vt
„ in symptomaticis & primogenijs febri-
„ bus, cùm per eas acris & malignæ materiæ
„ incursione, vellicatæ viscerum, quæ circum
„ præcordia sunt membranæ, sensu eximio
„ præditæ, magnaque societate cum princi-
„ pibus tum externis corporis partibus con-
„ nexæ, à se ad vicinas alias, & vicissim ad a-

lias

lias hæ noxium humorem excludere ni- "
tuntur: quo fit vt corpore vniuerso in sub- "
sidium quasi accersito, sanguinis & caloris "
ad se vndecunque multum attrahere pos- "
sint, quo destitutæ partes eius, externæ præ- "
sertim, rigeant, &c. Depulsis malignis hu- "
moribus ex parte vna in aliã, hac fluctua-
tione sanguinem, qui sic ab externis parti-
bus corporis ad interiora profluat, quasi
subsidium ferendo, & deserendo externas
partes propter frigus neruorum excitare
rigorem. Heus tu Simoni, Rigoris forma-
lis seu continens causa est in febribus pu-
tridis, refrigeratio dolorifica in carnosis &
externis partibus, secundum Galenum: ef-
ficiens autem causa est humor acris, pun-
gens & stimulans neruos: qua vexatione
& molestia propter συμπάθησιν corde affe-
cto, sanguis cum spiritu & calore versus in-
teriora ad fontem suum impetum faciens,
causa sit priuatiua (vt absens nauta euersæ
nauis) refrigerationis simul neruorum &
rigoris totius corporis. Causa hæc multis
rationibus & causarum inductionib. pro-
babilis est. Recenset etiam causarum illa-
rum species Simonius: vt si ex multa po-
tatione rigor proueniat, causa est frigus in

neruis, ob caloris natiui in neruis verſus fontem depulſionem. Nam ob ebrietatem periclitatur cor, quo periculo ad interius reuocatur ſanguis ab externis partibus: q̃ reuocatio cauſa ſit rigoris, & ſuffocationis calidi natiui in corde. Rigor etiam propter offenſionem oris ventriculi corripit hominem, quod ſenſu præ cęteris internis viget, refrigerato etiam hoc modo nonnihil ore ventriculi. Et nonnunquam reddita vrina corripitur quis horrore, quia ſubitò hac excretione refrigeratur veſica, cùm ſit exſangue & membraneum corpus. Et quando in carnoſis partibus pus generatur, rigores & febres oboriuntur, quia putreſcente ſanguine corrupto, acris vapor ferit neruoſas partes, vt hac moleſtia priuentur calore influente, & propter frigus illud corpus horreat. Nonnunquam aſperum, auſterũ vel acidum q̃d guſtando toto corpore horremus, ꝓpter συναίσθησιν, quo coafficitur cor: vt nonnunquam etiam horremus, ſi vlceroſas partes acrioribus medicamentis moleſtemus. Omnia enim ſubitanea vehementer commouẽt cor & cerebrum, ſed non ſine moleſtia ſenſus. Et tales qui-

dem

dem ſunt quaſi momentanei horrores ſeu rigores, à moleſto quodam ſenſu propter συμπάθειαν cerebri & cordis excitati. Nam ſine moleſto ſenſu nullus eſt horror, quo ſimul etiam cor afficiatur, in quo appetitus eſt, quo reguntur animalium inſtrumentorum motus. Nam quòd phantaſia aut intellectus non primum ſit κινητικόν in animalibus, demonſtratum ab Ariſtotele eſt libro tertio De anima. Quo fit, vt videntes, aut audientes, quo vehementer cor afficitur ſeu appetitus, horreamus aut contremiſcamus, animali principio motus compatiente. Et propter ſenſum etiam cor affici, non deſiderat probationẽ aliquam, vt ſemper non ſit neceſſe ſpiritum cum ſanguine exagitari. Proinde non fixis ſed mobilibus & quaſi motione quadam titillantibus neruoſa loca humoribus acribus, horrores euenire conſtat: quod ipſum manifeſtum eſt in corporibus cacochymicis, ſi balnei aut ſolis calore quieti humores exagitẽtur. Nam ſedati & quieti ſi maneant, horrorem aut rigorem non ſentiunt. At immobilibus & defixis in loco quodam, ſi doloris cauſa fuerint, inflammando locũ cauſa ſunt, vt à locis ſic affectis

non verſus fontem ſanguis refugiat: ſed contra potius cauſa ſunt, vt à fonte ſpiritus & ſanguis ad ipſa loca affecta confluat. In febribus humorum negat efficientē cauſam rigoris Simonius ſubſiſtere in externis & tremulis partibus, ſed in viſceribus Fernelianis, de quibus dictum à nobis in lib. De cauſis falſis rigoris: cuius aliquoties iam mentionem fecimus. In his, inquit, malignam materiam & acrem, propter dolorem (quoniam ſint exquiſito ſenſu præditæ partes illæ) ſanguinis externi affluxum excitare, qui cum ſpiritu ſuo & calore verſus interiora, quaſi ſubſidio dolentibus affluens, deſtitutis ſanguine & calore partibus carnoſis & externis, cauſa ſit ipſius ſimul refrigerationis & rigoris. Hanc alieniſſimam cauſam à vero eſſe, aliàs demonſtrauimus. Nos autem rigoris cauſam non tam formalem & continentem (quam Cicero in libro De fato efficaciter antecedētem interpretatur) ſed etiam efficientem antecedentem in externis partibus ſubſiſtere, & non in internis viſceribus, ſtatuimus, quæ cauſa ſit, vt moleſtatis neruis cōcilietur dolorifica refrigeratio, vnà cum rigoris ſenſu, quam alioqui formalem cau-

ſam

ſam Simonius cum Galeno approbat, quæ tamen hypotheſis ipſius cauſæ febris humoralis aduerſetur. Nam ſi febris cauſa ſit continens, vt ipſe Simonius ſentit, humor feruidus & æſtuoſus in ſanguine, vel in ipſo corde, vt in legitimis ſeu primogenijs: ſiue extra cor in venis aut viſceribus incluſus, vt in ſymptomaticis, tum ſic habente humore his in locis, nulla rigoris poterit eſſe cauſa in febrientibus. Feruidus enim humor omnis refrigerationi contrarius eſt, quæ refrigeratio, continens, vt diximus, cauſa exiſtit rigoris. Deinde quàm abſurdè illud à te dicitur, per vaſa ſeu venas deferri venenatum humorem interdum, qui parietes vaſorum (ſic loquitur Simonius) lancinando & acrimonia mordendo cauſa ſit rigoris. Si maneanr intra venas humores, quis negat ijs continuas, i. ſine rigore febres excitari: quod ipſum tu cum Fernelio pro vero defendis, continuas ab intermittentibus diſtinguendo. Quin etiam acres humores ſi extra oſcula neruorum in neruoſas partes expelli tibi cõcedamus, niſi putreſcant, febrilis horroris cauſam & demonſtrationem nullam habebis. Nam compertiſſimum eſt, horrores & rigores

multos esse, qui tamen consequentes non habeant febres, propterea quòd vaporibus putridis cor & arterias non impleant. Aut tu, si placet, aliam afferto causam, propter quam in his rigorem sequatur febris, in alijs non sequatur. Ergo hypothesis tuæ causæ febrium omnium rigoris demonstrationem nullam explicabis, quocunque te præstigijs tuarum rationum conuerteris. Plerisque, quæ inutiliter commemoras, non veterum dogma verum, sed tuum falsum fictúmque nouum refellis, & te alienа à vero scribere commonstras, vt alio non sit opus, qui tuum errorem redarguat. Paulò pòst Simonius subtexit etiam rigoris causas frigidas, & quot quibusque modis frigus externum, aut calidum etiam externum mediante interno frigore rigorem corporibus incutiat. Quæ vt ab alijs exposita, tanquã physica problemata quędam omitto: nihil enim faciunt ad probandam febris continentẽ causam, quam somnians Simonius commentus est, vt solus tanquam Tiresias sapere videretur: reliquorum autem Medicorum & philosophorum manes, quasi vmbræ volitare existima-

ſtimarentur. Non negat Simonius melancholicas,& pituita quoque excitatas febres poſſe eſſe: ſed quî erunt, cùm feruidi & æſtuoſi non ſint humores iſti ſine putredine? At putreſcere in febribus humores negat Simonius. Deinde nulla legitima aut primogenia erit febris, cùm humor nullus in corde queat putreſcere, ſiquidem omnes extra cor putreſcentes febrim incendant, vt hoc modo ſymptomaticas omnes eſſe oporteat, quandoquidem autore Galeno omnis febris putrida ῥευματικὸν quoddam πάθος exiſtat, humore putreſcente certo quodam in loco collecto. Omnia, vt vides Simoni, pugnant inter ſe, & ἄλογα ὄντα μάχεται, καὶ αὐτὰ ἑαυτοῖς, καὶ τοῖς εὐλόγοις. Ἐροῦμεν οὖν ταῦτα μηδὲν ὑγιὲς εἶναι, καὶ οὐδὲν ἄλλο πλὴν τὸν μακρὸν τοῦ Σιμονίδου λόγον. Sed qualis tu ſis, & qualia argumenta, ſtudioſi veritatis tum ex hoc ſcripto, tum ex Antiſimonio noſtro cognoſcent. Quàm ergò tu falſis argumentis veterum dogmata deſtruis, tam fallacibus viciſſim tua falſa propoſita aſtruis, vt haud ſciam inſcitiam ne tibi magis an impudentiam exprobrare debeam. Confutauit hunc errorem

tuum D. Bruno Seidelius, vir meo iudicio, licet non tuo, doctissimus & mihi amicissimus, contra quem scribis, inertissimis rationibus veritatem argumentorum ipsius refellis. Barbarus certè & ferox es, qui te propter φιλαυτίαν omnibus præponas, & propter temeritatem & ferocē audaciam omnibus opponas. Rides argumentantem Brunonem, sed non refellis, aut falsa ipsius argumenta esse demonstras. Negas putredinem (quæ sit naturalis & εἱμαρμένη corruptio) causam esse febris, quę propter corruptos humores generetur, sed causam esse violentam corruptionem humoris: vt si humor feruida quadam dyscrasia corrumpatur, aut si aquea & terrea feruido & contra naturam calore afficiantur. Externi enim caloris hoc proprium est, vt aut violenter corrumpat, aut naturaliter putrefaciat. Negas humores in febribus, neque intra neque extra venas posse putrescere, (hoc loco nobis opus non est analysi modalium syllogismorum, quorum tu ignorantiam exprobras Seidelio, quia videlicet non sit analyticus, qualis tu es) sed nō probas, quod non possint putrescere, quo tanquam iniquo postulato vsus, mox alterum

con-

concludis, nempe humores in febribus calore externo violenter corrumpi, quam tu corruptionem appellas ἔκκαυσιν. Huius ἐκκαύσεως biliosum humorem in causa scribis esse. Assumptum tuum in tuo Baroco est valde impudens postulatum: quo posito, sequitur vt corruptio humoris in febribus humorum non sit putredo. Omnia implicas sophismatis & æquiuocationib. vt mirum non sit, Platonem sophistam appellasse δυσθήρατον ζῶον. Respondes deinde ad instantiam, qua possit aliquis dicere: Si non putrescit humor, neque intra neq; extra venas, sequitur vt omnino non putrescat, quod quidem dictu absurdum esse videatur. Respondes putrescere humores posse, sed extra corpus animatũ si fuerint. Corpus enim animatum, quatenus sit animatum non posse putrescere: sed posse dyscrasia affici & corrumpi etiam, & quia tantùm violenter intra aut extra venas corrumpatur, iccirco eos non putrescere. Postulatur etiam hoc & non probatur. Concedimus animatum quia animatũ, & quatenus, nõ putrescere, sed dyscrasia corrumpi posse duntaxat, & duntaxat inanimata putrescere: vt pes, quoad animatus est, pu-

trescere nequit: sed gangrænæ dyscrasia corrumpi potest: deinde autem sic corruptus & anima priuatus, putrescere solet. At humores, vt bilis, aut pituita, aut melancholicus, humores animati non sunt Simoni. Quid igitur prohibet, quo minus putrescere possint? At vero cum, te ipso autore, nec sanguis, nec spiritus nihilominus in corpore animato possint putrescere, qui violenter corrumpi possunt? Constat διαφθορὰν esse in humoribus, vt in sanguine: qualis est leucophlegmatia propter pituitam, aut propter melancholicum succum in elephantiasi, aut propter bilem, vt in Gallico morbo. In reliquis etiam humoribus, vt si pituita in acidam aut salsam, aut bilis in æruginosam, aut melancholicus humor in atram bilem permutatur dyscrasijs, quibus tamen manifestum sit, febres non ex necessitate incendi. Quod si his corruptelis Simoni febres non generentur (cùm duo duntaxat sint genera corruptionum, vt tu fateris) necesse erit, vt putrescentibus intra vel extra vasa humoribus, accendatur febris. At verò cui dubium sit, vt suo natiuo calido quiuis humor nascitur, quin eodem debilitato crasis ipsius natiua vnà
cum

cum ſubſtantia diſſoluatur. Humores hi putredini obnoxij, vt περιττώματα quędam putreſcunt: vt bilis περίττωμα vt inutile ſeparatur à ſanguine, item melancholia & pituita, cum quo ſimul ſecundum naturam generantur inſtrumento caloris natiui venarum, facientis & generantis ex chylo ſanguinem. Si redundent in ſanguine, κακοχυμίαν efficiunt, non autem putreſcere ſolent, etſi portio quædam à ſanguine ſeparetur, ſiue intra ſiue extra venas ſeparatio hæc facta fuerit, putredine corrumpi poſſunt. Pars enim, verbi gratia, bilis, non tota bilis putreſcit, quæ pars σύμφυτον ſuum calorem (quum ἐμφύτῳ animalis calore non amplius regatur) amittit. Vt caro etiam mortua propter priuationem caloris ἐμφύτου, σύμφυτον quoq; ſuum proprium calorem diutius retinere nequit. Quo paulatim langueſcente, quodcunque aliud calidum externũ ipſum ambiat, humidum ipſius natiuum vnà cum reliquijs proprij caloris à mixto corpore expellit, vt quod reliquũ eſt, terreum quid ſit & cinereum, aut fimus quidã, ſi redundet humidum aqueum. Intelligis opinor Simoni (de quo etiam dictum à nobis in lib. De calido

& humido natiuis) humores in corpore animato vindicari à putredine, calore cordis ſeu totius ἐμφύτῳ, & non proprio ἐμφύτῳ, vt alias quoque partes ſolidas, quæ duntaxat pro animatis habentur, quæ putredine corrumpi nequeunt, niſi quoad σύμφυτος illorum calor langueſcens ab externo & alieno paulatim diſſoluitur. Alia eſt violentæ corruptionis cauſa, de qua ſatis ſuperq́; dictum. Vides opinor & intelligis, niſi planè ſtupidus ſis, me legitimis cauſis & demonſtrationibus vti ad probandum dogma Galeni; te autem tuum falſum propoſitum ne veriſimilibus quidem, ſed captioſis fallacibusq́ue rationibus tueri vix poſſe, & contra errorem tuum ſentientes & ſcribentes, tam non refellere quàm tua propria ſomnia ꝓbare demonſtrando non potes, quantumuis poſtulatis impudentiſſimis vtaris, vbiq; & in omnibus. Satis ergo hactenus omnia vera expoſui: nunc eorum, quæ tu falſa & fallacia ſcripſiſti, tuis proprijs verbis teſtata faciemus: quæ ſic habent in tuo examine contra D. Brunonem ſcripto. Febrifici humores, inquis, afficiuntur, non ſecundum naturam ſuam. Quia ſi naturæ ſuæ ſinantur, nunquam eo modo

modo corrumpentur. Et cùm geniti ſint v ‹‹
nione confuſioneq́ue humidi cum ſicco, ‹‹
vincente calore potiſſimum. At qui viciſ ‹‹
ſim apti ſint, ſua natura duntaxat corrum ‹‹
pi diſſolutione humidi à ſicco, defectu ca ‹‹
loris, quæ vera putrefactio eſt. Ergo cor- ‹‹
ruptio illa febrificorum humorum: ſiue, vt
Galenus iudicat in 2. Aphor. part. 17. in ea
declaratione vini acidi, qua vtitur, ſiue fa-
cta ſit, ſiue adhuc fiat, certè nunquam pu-
tredo fuerit. Mirum in modum, Simoni,
decipis incautos lectores his ambagibus &
circuitionibus falſorum & inconſentaneo-
rum argumentorum. Cui quæſo dubium
ſit, quin humores ſecundum naturam ha-
bentes, non corrumpantur. At ob id nemo
tibi conceſſerit, ſi corrumpantur humores
intra aut extra venas, non poſſe corrumpi,
niſi διαφθορᾷ per dyſcraſiam: vt vinũ aliàs
corrumpi dicitur, ſi degeneret in acetum,
quæ putredo non ſit vini, ſed ei ex dyſcraſia
quadam eueniens violenta corruptio ſit:
cui corruptioni comparat etiam Galenus
διαφθορὰν ſanguinis: quæ vt ſine putredine,
ita quoque ſine febri poteſt eſſe, de quo ſu-
prà. At paulo antè demonſtratum à nobis
eſt, non ſolùm διαφθορὰν, ſed etiam putre-

dinem humoribus, quoad ſint in corpore animato, poſſe accidere. At in corpore animato, inquit Tubertus (cui tu aſtipularis) nequit ineſſe putredo. Concedo: ſed in humoribus poteſt ineſſe (vt paulo antè eſt demonſtratum) putredo, quoad non reguntur amplius ἐμφύτῳ calore, quo priuati, σύμφυτον calorem ſuum diutius retinere nequeunt, vt nec caro mortua poteſt. Sed docti illi viri diſcrimen non intelligunt inter ἔμφυτον & σύμφυτον calorem animatorum, & eò tanq̃ Andabatæ cæcis oculis digladiãtur, futiliter diſputando. Pòſt, Simonius quaſi victor monſtrarit humores putredine ſua non excitare febres, diſtinguit modos externi caloris & frigoris, quibus κατὰ aut παρὰ φύσιν fieri aut affici quidpiã dicatur. Peccat etiã non leuiter in eo Simonius, ꝙ non diſtinguit calorẽ generantem οὐσίαν ab eo qui perficit. Nam calore πέψεως, πεπάνσεως, ἑψήσεως, itẽ ὀπτήσεως, perfectiones quædam & non generationes ſignificantur. Oppoſitis intelligũtur imperfectiones, quæ proueniunt à qualitate oppoſita. Horum καθόλου (vt ſpecierũ) nullum genus eſt, vt Simonio falsò, atq; etiam Vicomercato videtur, ſed cõmune quiddam ana-

analogicum existit, quo communi nõ ταυ-τὸ quiddam, vt species ratione generis esse dicuntur, sed ꝓpter similitudinem vnũ dicuntur, & τοιαῦτα quædam esse. Nam Aristoteles horũ vt τῶν εἰδῶν in Meteor. lib. 4. καθόλυ & genus esse negat, & τοιαῦτα quædam, & non ταυτὰ quædã existere, scribit. In Græco ꝓ ταῦτα legendum ταυτά. Nequaquam autẽ (vt Simonius censet) πέψις horum trium genus est, sed his vt quartum analogicũ adnumeratur, pertinens ad nutrimentum animatorũ. In animalibus prima πέψις, est & dicitur ἐκ μέρυς σῆψις: vt si è cibo generetur chylus. Altera est πέψις, i. ratione caloris ꝑfectio chyli, qua paratur, vt ex ipso sanguis generetur, vt nulla pars chyli propter putredinem sit inutilis. Tertia est, qua vel quando calore natiuo perficitur sanguis, vt possit substantiæ nutritarũ partium assimilari. Quæ perfectiones caloris tribus reliquis significentur, cognoscendũ ex Arist. His tribus (Simonius contra Vicomercatũ disputando) non cẽset adnumerandã πέψιν, vt quartũ perfectionis caloris, non speciem, sed genus. Horum .n. quatuor (vt dixi) genus non est perfectio caloris, quod eius sc. vnum, ac πρῶτον δεκτικὸν nullũ sit: siquidem ꝓpria accidentia

aut πάθη, omnino ἐκ προσθέσεως necesse est
definiri, vt notum est ex physicis. Negat
autem Simonius, πέψιν esse his tribus (vt
dixi) adnumerandam, quia proprium sit
πάθος animatorum. At πάθη quæ consi-
derentur in quarto Meteor. non quatenus
animatum sit, sed quoad mixtũ sit aliquid
ex quatuor elementis censet. Præclara me
hercle ratio, & Simonio digna, quasi verò
πέψεως vocabulo πάθος animati corporis
significetur, & non potius πάθος mixti cu-
iusdam, quæ mixtura etiam sit in corpori-
bus animatis. Quod si πέψις non erit ex
numero perfectionis seu perficientis calo-
ris, non etiam πέπανσις erit, quæ & ipsa a-
nimatis attribuitur, quatenus mixtũ quid-
dam sunt ex elementis. At πέψεως subiecta
ne animata quidem sunt, vt ea, quorũ πέ-
πανσις dicitur: siquidẽ nec chylus, nec san-
guis, nec cibus in ventriculo animatũ quid-
dam sunt. Hac diuisione perficientis calo-
ris analogi, in sua (vt sic loquar) analogata,
dictator Simonius D. Brunonem conatur
in ordinem redigere, vt calorem febrilem
non à putredine ꝓuenire fateatur Bruno.
Siquidem ab externo calore proficiscatur
putredo, & omnis putredo externi caloris
effi-

efficientia definiatur, vt hoc nomine aut πεπάνσις, aut ἑψήσις, aut ὀπτήσις, ſit annumeranda putredo, quarum tamen ſpecierum nulla ſit calor putrefaciens: ſequitur ergo autore Simonio, vt calor febrilis, qui excitatur calore externo, non ſit calor putrefaciens, quia calor omnis externus aut maturat, aut elixat, aut aſſat. Quartum ego etiam adijcerem, ſi permitteret Simonius, vt is eſt, qui concoquit. Putrefaciens horum nullus eſt: quod, vt inductione notum, nemo ambigit. Proinde febrilis calor cùm ſit externus calor, humorem alterans & afficiens: neceſſe eſt, vt alteratio hæc partim elixationi, partim aſſationi ſimilis exiſtat, violentis ſcilicet & non naturalibus caloribus his exiſtentibus. Equidem fatemur putrefactionis cauſam eſſe externum calorem, ſed non vnum aliquem ex his tribus perficientibus, ſed corrumpentem κατὰ φύσιν calorem oppoſitum, ex quo ſubſtantia rei generatur κατὰ φύσιν. Nam vterq; calor alterando efficax eſt, vnus ad generandum, alter ad corrumpendum per putredinem, quæ naturalis & εἱμαρμένη dicitur corruptio, vt aliàs fuit dictum. Qua diuiſione efficientis caloris, quo aut genera-

Peccat Simonius ppter τὸ ἐλλιπὲς diuiſionis.

tur aut corrumpitur quid ſimpliciter: non autem quo perficitur quidpiam κατὰ φύσιν, intelligimus contineri putredinem humorum in febribus, & non maturatione, aut elixatione aut aſſatione, quibus ſignificatur calor perficiens & non corrumpens aliquid: ſub quarum vnam ſpeciem tu febrilem cauſam reducere fruſtra conaris: quas tamen vt vltimas duas, tanquam artificioſas, quodammodo naturales, i. imitantes naturam, cõſtet eſſe: febrilis autem calor (etiam ſecundũ te) omnino cũ ſit violentus, ſequitur vt nec elixationi poſſit, nec aſſationi comparari. Deinde quid abſurdius dictu, quàm bilioſum humorem tanquam ignem, elixando vel aſſando pituitã, aut melancholiam, generare febrem aut pituitoſam, aut melancholicam. Etenim bilioſus humor neque multitudine, neque qualitate (vt in διαφθορᾷ) contra naturam ſe habens, febris cauſa exiſtit, vt manifeſtum eſt in Ictericis, aut valde calidis & bilioſis exiſtentibus: quos tamen febricitare non ſit neceſſe. Exuſtam calore multo bilem, vt vitellinam aut praſinam Galenus crudam, cùm alia ſit naturalis, vt pallida,

quam

quam ipſe ὠχρὰν appellat: Generari autem hanc crudam interdum in venis etiam, docet in prognoſticis argumento vomitus, quum acutè febricitantes euomant praſinam aut æruginoſam, ne ſic quidem exuſta bile qualitatis cauſa febrem inflammare neceſſe eſt. Quod ſi (vt ſuprà fuit demonſtratum) διαφθορὰ humorum ipſa per ſe non eſt cauſa febris, neque enim redundantia (vt bilioſiſſimo ſanguine præditi, non etiam ex neceſſitate febricitant) quare ſequitur vt propter accidens putredinis humores ſint cauſa febris: quum ſine putredine nihil aliud quàm dyſcraſiam ſanguini concilient, è qua poſtea alij quidam morbi generantur, & non febris. In acutis & ardentibus febribus aut vniuerſa bilis in venis ſimili dyſcraſia laborat, & propter διαφθορὰν inflammata eſt, aut pars ipſius quædam inflammata, febris eſt cauſa. At ſaluo & incolumi animali vniuerſa bilis nequit corrumpi. Quare propter portionem quandam corruptam duntaxat, febris exardeſcet acuta, vt nimirum ſine putredine bilis inflammetur. At quòd ne hoc quidem modo acuta febris aut bilioſa exardeſcat, liquet:

quandoquidem nulla maior bilis poſſit eſ-
ſe corruptio, quàm ſi calore degeneret &
vſtione in atram bilem, qua corruptione
bili affecta non febrim acutã ſed maniam
ſine febri excitari experimur. Quo mani-
feſtiſſimum eſt, exuſtione bilis, & violenta
corruptione febrim non generari. At nul-
la alia eſt præterea præter violentam cor-
ruptio bilis, quàm ea, quæ accidit ei cauſa
putredinis. Quod autem æruginoſa bilis
obſidens os ventriculi adoleſcentis cuiuſ-
dam, cuius mẽtionem facit Galenus in A-
phoriſmis, febrim & ſpaſmum excitauit,
cauſa fuit quòd calor bilis propinquam ori
ventriculi, arteriam magnam inflamma-
uit. Nam per vomitum reiecta bili, ſimul
ſpaſmus febriſq; deſierunt, vt diariæ ſimilis
fuerit hæc febris. Ergo ſecundum te Simo-
ni, non niſi violenter & non putredine cor-
rupta bilis febrim excitabit. Iam oſtendi-
mus, quod ipſa per ſe corrupta non poſſit
facere febrim: deinceps quòd non poſſit
etiam elixando, aut aſſando reliquos duos
humores, vt pituitam & melancholicũ ſuc-
cum excitare febrim. Conſtat pituitam,
vt aqueum humorem, aduerſiſſimum eſſe
belioſo humori, vt aqua ſolet eſſe igni, &
vbi

vbi plurima pituita sit in sanguine, ibi bilem non esse multam, aut si sit quædam, nihilominus vt dilutiorem, neque assare, neque elixare posse pituitam. Similis ratio est, si dicas, Melancholicum humorem assari, qui si assatur, in atram bilem conuertitur: & hac corruptione, vt diximus, non est necesse exardescere febrem melancholicam. Quæ cùm ita se habeant, etiam his duobus humoribus non violenter (quocunq; modo corrumpantur) sed putredine corruptis, febres excitari oportebit. Intelligis opinor Simoni, quale pondus sit argumenti tui, quo captare D. Brunonem instituisti frustra, & quod soluendo sic te implicui, vt nullo responso te possis absoluere, nisi nugando & mentiendo aliquid: E culina tua Simoni te proripiens: deinde accusas Brunonem, quod dixerit aut scripserit, sanguinem posse putrescere. Quid ni possit? Extra vasa profusus, an non σύμφυτος ipsius calor perit, quo corrupto, quis nescit ipsum putrescere, cuius putredo quã sæua in quibusdam locis symptomata excitet discere ex Galeni libris De locis affectis, potuisti. An verò caro cum sanguine in gangrænis non putrescit? An non quan-

do ex putrido ſanguine in phlegmonibus fit pus, ſupra putredinē hanc ἐκ μέρους φθορὰν appellauimus? Non laboro quid tu, aut Fernelius ſcribat, ſi nulla eius, quod ſcribitis, ratio vera affertur.

Sanguis qui vehiculum eſt caloris ἐμφύτου non putreſcit, quoad vaſis ſuis continetur: hunc calorem ſi amiſerit, σύμφυτος ipſius calor, putreſcendo corrumpitur. Iam nos intelligimus, quæ ſit putredinis cauſa ſecundum Ariſtotelem melius & planius, quàm tu, quare noli pro tua inſolentia quoſuis tam temerè contemnere & criminari Simoni, non omnes putant te eruditiſſimum virum, quantumuis Simon Simonio valde placeat.

Si calor σύμφυτος ſanguinis in cauſa eſt, vt ſanguis non putreſcat: ſequitur, vt externus & alienus calor paulatim, & non violenter craſin diſſoluens, ſit cauſa corruptionis. At corruptio hæc ſecundum Ariſtotelem putredo appellatur. Alijs exprobras, quòd neſciant quid ſit putrefactio ſecundum Ariſtotelem: vide ne in te cudatur faba hæc, vt vulgo dicitur.

In quibus exuperet caliditas & humiditas παρὰ φύσιν, ea inprimis obnoxia eſſe putre-

putredini, lippis (vt dicitur) & tonſoribus notum eſt. Frigida & ſicca enim, quòd minus putreſcant, inconfeſſo eſt. Nam exuperante alieno & externo calore, neceſſe eſt σύμφυτον calorem diſſolui: præſertim ſi natiuum humidum exuperante humore crudius exiſtat. Etenim ex Ariſtotele notum eſt, exuperantiam aquei aut aërei elementi cauſam eſſe cruditatis, & quibus concoctio impediatur, calorq; natiuus debilitetur. Quibus ſic habentibus, oportebit, ſi exuperent calidum & humidum ἔμφυτον, hanc ſcilicet exuperantiam longè ſaluberrimam & naturaliſſimam eſſe, pro eo vt ſanguinem, ſperma, calidum & humidum natiuũ in omnibus partibus, præterea in aëris elemento: in quibus omnibus natura & eſſentia ipſa ſeu forma, cauſa eſt temperamenti huius. Quo factum eſt, vt non ſine cauſa Galenum reprehenderim, qui qualitatum hanc συζυγίαν ſimpliciter inſaluberrimam cenſuerit, non diſtinguens eam quæ κατὰ, ab ea quæ παρὰ φύσιν corporibus ineſt, propter accidens ſcilicet quoddam pronuncians temperamentum calidum & humidum, eſſe naturis rerum infeſtiſſimum. Qui plura

Contrariorũ ſunt contraria cauſa.

volet,legat librum tertium De demonſtra-
Fol. 78. tionibus, quos libros meos, à me ſcriptos
paſſim ſycophanta Simonius calumniatur,
quos tamen propter ruditatem ſuam non
intelligit, vt declarant ſcripta ipſius,quæ i-
pſi ſcilicet ſcriptori ſummā analyticæ do-
ctrinæ inſcitiam exprobrant: etiamſi nul-
lus ſit, qui homini vano & mendaci ſe op-
ponat. Habes & intelligis opinor, quid
pſeudodemonſtrator tuus de te ſentiat, &
de tuis vaniſſimis dictis & factis. Ne requi-
ras poſthac Simoni à Brunone, quam ob
cauſam per exuperantiam & παρὰ φύσιν
calida & humida, quæ alijs exuperantijs
qualitatum prædita ſunt, facilius putre-
ſcant: tibi ſi non placet cauſa, verioribus ſi
potes refellito. Quæris etiam ſi calidum &
humidum παρὰ φύσιν exuperet in ſangui-
ne, quî fiat, vt non facilimè putreſcat, ſi ta-
lis intemperies præcipua ſit cauſa putredi-
nis humorum? Equidem in vaſis nec pu-
treſcit, nec putreſcere poteſt, quia ſpiritus
vitalis ὄχημα eſt, & calidi natiui quaſi in-
ſtrumentum & officina. Nam, vt Moſes in-
quit, Anima & vita in ſanguine eſt anima-
lis, hoc enim nutriuntur & vegetantur o-
mnia. Si quid non conſentaneis rationi-
bus

bus defendit Bruno, tam ipſi non aſſentior, quàm tibi, ſi fabulas & ſomnia tua ſophiſtica pro demonſtrationibus vendites.

Poſthæc, negas putredinem in viuentis corpore vllius humoris poſſe excitari. Aſſentior tibi, quod ſemper dixi, adhuc dico, ſubſtantiam viuentem violenter perimi poſſe, ſed quoad viuat nihil poſſe putreſcere. Nam putredinis calor non ἐμφύτῳ ſed συμφύτῳ calori opponitur. At tu ipſe Simoni contenta, vt ſpiritus & humores, non eſſe animata concedis. quare ſequitur vt ſanguis putreſcere poſſit. Quamobrem intra vaſa non putreſcat, cauſam paulo antè expoſuimus. At quòd reliqui humores, tam intra, quàm extra, & quòd ſanguis extra tantùm putreſcere queat, abundè ſatis antea fuit demonſtratum. Verum tu Simoni, quoad ſint in corpore animato, nulli putredini obnoxios humores eſſe, nulla ratione & demonſtratione hactenus probare potuiſti: ſed inuicta hactenus pertinacia contendis, humores in febribus nullis putreſcere.

In peſte mihi videtur propter venenatam contagionem præſertim ἔμφυτον & vitale calidum affici, & non præcipuè σύμ-

φυτον humorem calidum. At solus (inquit
Aristoteles) ignis, cui proportione respon-
det vitalis calor, non putrescit: non enim
alio calore ἐμφύτῳ aut συμφύτῳ conserua-
tur. Quo fit vt spiritus aut solidæ substãtiæ
cordis pestis febris esse dicatur. At si sol-
uatur calor ἔμφυτος, cui dubium sit, quin
ἔμφυτος etiam humor calore dissolui inci-
piat, & pesti humorũ putredo adiungatur.
Sed hæc alio loco & tempore diligentius
sunt examinanda. Quod sanguineis & ple-
thoricis magis est infesta pestis, causa hæc
est: ꝙ pestifera affectio maximè sit opposi-
ta vitali & ἐμφύτῳ calido quadam ignota
nobis antipathεία. At in sanguineis, cogna-
tus huic calido, seu calori humor, inest plu-
rimus, quem pestilens venenum non mi-
nus violenter, quàm spiritum ipsum cor-
rumpat. Definio nunc sanguineos πολυ-
αιμίᾳ: nam εὐαιμίᾳ præditi, vt tempera-
tissimi valido robore cordis & spiritus ma-
gis resistunt omni pestilẽti contagio. Non
putrescere sanguinem in vasis iam antè de-
claratum fuit. In aëre qui naturâ calid⁹ est
& humidus, pestis diritas inest: à quo ꝓpter
similitudinẽ naturæ insitum & vitale cali-
dũ facilimè afficiatur, siquidẽ quibus san-
guis

guis etiam humidior & calidior fuerit plus iusto, hi aliàs etiam morbis sunt magis obnoxij & in primis pesti. De pure quæris, an sit putredine quiddam generatum? Negas, & πέψει quadam generatum esse scribis, nempe οἰκείῳ θερμῷ definitum quiddam. Nos dicimus esse inchoatam seu imperfectam, καὶ ἐκ μέρους putredinem, quia σύμφυτος sanguinis calor putredine corrũpatur calore externo, vt in gangræna: nisi ἔμφυτος animalis calor denuò κατὰ σύγκρισιν nouam puris generationem moliretur. Alium esse ἔμφυτον, & alium σύμφυτον calorẽ suprà monui. Quando aũt è sanguine caro generatur, σύμφυτος calor ipsius nõ destruitur, sed perficitur: hoc.n.modo posterius ex priori dicitur generari, priore neq; violenter, neq; putredine corrupto, sed ꝑmutato ex imꝑfectiore substãtia in perfectiorem. vt in animatis, ita quoque in alijs quibusdã duplex calor est: vt in vino si ἔμφυτος pereat, fit acetum: sin autẽ σύμφυτος corrumpat͛, vappa fit, & putrescit, vt ex putrescente etiã muscæ & vermiculi generentur. sed de his dictũ satis. Quo perspicitur Simoniũ toto cœlo errare, quãdo puris generationẽ scribit similẽ esse elixationi aut assationi, quib,

artificio quodam, & ad vſum humanum accommodato, humidum & calidum σύμφυτον non perimitur, ſed perficitur: quando autem pus fit, calor σύμφυτος ſanguinis aboletur, & generatione puris alia συμφύσει priora elementa miſcentur. Similis generationi puris eſt ſedimentorum in febribus, quæ cum vrina excernuntur, concoctio. Quædã portio humoris (quo febres generantur) iam actu ipſo putret, & vt putreſcentium, σύγκρισις per διάκρισιν exhalat & diſſipatur. Alia pars eſt, quæ iam non putret, ſed ſequente paroxyſmo conceptura ſit putredinem, quam ſubinde febrilis conſtitutio parturiat, vt materia hæc non τύφεσθαι, ſed ὑποτύφεσθαι dicatur. vt quando ἔμφυτος calor deſtituit humorẽ, & σύμφυτος diſſolui incipit, non perfecta ſed inchoata putredine. His putredine humoribus magna ex parte abſumptis & diminutis, ſemicorruptum humorem calor ἔμφυτος alterans & concoquẽs, perfectè per putredinem corrumpi non ſinit: verum noua quadam συγκρίσει præparat & alterat, vt inſtar puris à ſana parte humorum ſeparari queat, vt hypoſtaſis talis in vrina, ſimilima puris generationi videatur. Fundamentis elixa-

elixationis aut aſſationis ſuæ culinariæ Simonius non poterit rationem explicare, propter quam circa declinationes febrium tales hypoſtaſes in vrina appareãt. His cognitis facilè quis Simonij ἀπορίας, quas obijcit fol. 44. Examinis ſui, diſſoluet. At Simonius, Simone teſte, ſcit omnia: ſuo enim proprio teſtimonio eſt vir eruditiſſimus: Galenus autem plurima ignorauit, aut imperfectè expoſuit.

Poſtea de aceto diſputans, ſtatuit ipſum putredine vini generari, & non vini violentam quandam eſſe διαφθοράν. Suprà quodam loco Simonius laborantem διαφθορᾷ ſanguinem ſecundum Galenum acido vino ſimilem dixit, quo acore non putreſcere vinum, nec ſanguinem ſic corruptum, vt nutritioni fiat inutilis, pro putrido numerandum. Iam nunc contrarium ſentiens, putredine vini generari acetum ſcribit. E vino generatur acetum quando calidioribus & tenuioribus è vino exhalantib. partibus, frigidioribus aqueis & terreis reſiduis, ſapor acidus reſtituitur, quē ſaporem ſuccus habebat, antequam vini ſubſtantia perficeretur. Etiam ſuo quodam συμφύτῳ calore acerba & acida eſſe, & generari di-

cuntur. Quamobrem putredine vini acetum non generatur, ſed corruptione violenta, quã nos διαφθορὰν appellamus. Duplicem in vino etiam paulò antè diximus ineſſe calorem: vnum ἔμφυτον, alterũ σύμφυτον: quos ambos eſſe in corporibus animatis manifeſtiſſimum ſit. vt in carne, ſi per mortem ipſius ἔμφυτος calor perimitur, non etiam σύμφυτος peremptus erit, quem poſtea tamen aut violenta perimit corruptio, aut εἱμαρμένη, quam putredine definimus. Adducti quidam hac analogia, acetum (vt eſt apud Galenum) mortuum vinum appellarunt. At mortuum & putridum eſſe, ne Simonius quidem idem eſſe dixerit. Quamobrem acetum vera putredine non generatur. Pro te deinde allegas Gordonium, Gentilem, Buccaferreã, quos non moror, quid dixerint aut ſcripſerint à ſeipſis diſſentientes: in nullius enim verba iuratus veritatem ſequor.

Reprehendit deinde Simonius D. Brunonem, quòd putredinem humoris definiens, dicat, propter eam, calorẽ & humiditatẽ ipſius aboleri. fol.51. Examinis. Humor in paroxyſmo putreſcens extincto ipſius ſymphyto calore, & eodem cũ inſita humi-

humiditate effumante, si quid reliqui manet cinereum & terreum existit, vt docet Galenus in quodam commento Prognosticorum: docens causam & explicans, propter quam erraticæ febres degenerent in melancholicam. Potest etiam fieri vt simul terrestris quoq; materia dissoluta compage elementorũ exhalet, iuxta illud Hippoc. Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie etiam soluuntur. Crassis putrescentibus horum residuum est fimus, & terra. Sine putredine, ignis & ignea exhalant. Solus enim est, qui nequeat putrescere: quoniam alieni caloris non est patiens: cùm per se & seipso sit calidus, solius ὑπεκκαύματος indigens. At quæso te Simoni, biliosus humor quî poterit esse ignis aut igneum quiddam, cùm ipse etiam patiatur à calore mutationem: vt si fiat ex naturali vitellinus, aut prasinus, aut æruginosus, aut permutetur etiam in atram bilem? Hæ differentiæ omnes humorum calore, qui proprius est ignis, constituuntur: qua ratione etiam igneum quiddam esse nequeunt, cuius quoddam est ὑπέκκαυμα, vt quod perpetuo ardore semper exhalet, & materiam consumat. Quo no-

Aph. 4. Sect. part. 63.

mine etiam sæpissimè Hippocr. febrilem calorem πῦρ appellat: quòd flammeo quasi ardore totum corpus perurat, & fuliginoso halitu materiam, in qua exarsit, consumat. Flammam enim ῥεῦμα quoddam esse docet Aristoteles. Cùm ergo per se differentiæ corruptæ bilis non flagrent, necesse erit vt non proprio, sed alieno calore, quo nimirum putrescant etiam & quasi comburantur. Nam putrida quædam exardescere, ipsa experientia est notum. Non autẽ ipsos per se corruptos humores flammeos esse, hoc ipso testatissimũ est Simoni. quòd, dum ex prasina aut æruginosa fit exustissima bilis, quæ nimirum atra est, non corripi homines febri, sed alijs quibusdam affectibus experimur: vt mania, aut elephantiasi: quo humore si non febris (si non putrescat) multò minus reliquis minus calidis, febris per se generabitur. Has tu rationes Simoni non considerans, temerè & inconsideratè pronuncians, biliosum humorem, vt feruidum æstuosumque, vel ipsum per se febri inflammare corpus sine putredine, vel tanquam ignem admotum alijs humoribus elixando eos, aut quasi assando, febrium differentias constituere, opina-

pinaris: quibus omnibus ne fingi quidem aliquid poteſt abſurdius. Habes Achillem, quo omnes ſtructuræ tuæ & machinæ ſophiſticæ ſubuertuntur. Conſideremus iam tuum ſophiſticum & plumbeũ argumentum, quo Galenicam cauſam deſtruere conaris, ſapiētiſſime Simoni, vt te ſecundum te appellem. Sic autem argumentaris: Si putredine minuitur calor, imò etiam extinguitur, quî poterit putredo cauſa eſſe febris, cùm calor in febri auctior, ardentiorq́ue ſubinde fiat? Quaſi verò idem ſit calor humoris σύμφυτος, qui minuitur & decreſcit, & calor externus ac putrefaciens, quo natiuus ille cum ſua natiua humiditate profligatus, fuliginoſo halitu in aërem euaneſcit. Fuliginoſus ille quidem & putridus halitus penetrat per oſcula arteriarũ ad cor vſque, ipſumq́ue inflammando febris πάθος generat: deinde ſymptoma eſt calor febrilis per vniuerſum corpus diffuſus, ἐνέργειαν caloris natiui ſeu ἐμφύτου impediens. Non ergo augetur calor natiuus, neque putreſcentis humoris, neque etiam natiuus ſanguinis aut cordis calor, ſed vtriſque calor non naturalis augetur: quod cum definitione putredinis non pugnat.

Verum tu ſophiſticè & inſidiosè diſputas, quando calores illos non diſtinguis, & æquiuocatione voculæ captare moliris tui libri ſimplices & rudes lectores.

Deinde non pudet te Simoni, qui ſummus vis haberi & exiſtimari philoſophus, quando definis febrim genere caloris natiui: cùm genus febris ſit morbidus & δύσκρατος calor, in corde præter naturam accenſus. Verum tu ſcribis calorẽ natiuum, exuperantia auctum eſſe febrim. Hæc tua ſunt verba. „ Nihil enim aliud eſt febris, „ quàm calor naturalis immodicè auctus. Nonne Simoni, calor naturalis συμμετρίᾳ definitur, quæ nimirum συμμετρία in latitudine ſanitatis contineatur. Si idem ſit etiam ἀσύμμετρον quiddam, ſimul idem ſanum & morbidum erit. Quo liquet, calorem naturalem non eſſe genus febris, ſed ſubiectum eſſe, in quo poſſit ineſſe calor febrilis. Alius eſt calor naturalis, & alius calor febrilis: differuntque non tantùm ſpecie, ſed etiam genere: cùm ille ſit naturalis, hic contra naturam. Quamobrem augeri naturalis calor per febrilem non poterit; nam comparabilia ſeu συμβλητὰ (autore Ariſtotele libro 7. phyſic.)

ὁμο-

ὁμοιὸδῆ esse oportet. Augetur ergò, quia superat, & quasi supprimit actionem caloris natiui: vt omnes morbi aliàs impediunt actiones naturales, aut potentias actionum naturalium. Galenus definit febrim, vt sit calor ἔμφυτος in igneum mutatus: non quòd substantia caloris natiui sit mutata, sed συμμετρία ipsius tanquam sanitas, sit mutata in asymmetriam, tanquam in morbum. Quædam enim symmetria vt accidens in calido natiuo tanquam substantiam eius constituente inest, quæ nimirum morbo permutabilis est. Præstigijs ergò æquiuocorum Simoni ne posthac fucum feceris miseris lectoribus. Intelligis opinor, quàm præclara hæc sit tua causa, qua probare moliris, iccirco putredine febres non excitari, quia in febribus his sit multus calor, & in putrescentibus calorem illum diminui, & extingui. Non distinguis Simoni calorem naturalem à putredinis calore. Ab examine tui Examinis, Simoni, reuertor ad Synopsin, in qua vt multa reprehensione digna omitto, ita nonnulla mihi satis fuit in præsentia coarguere, vt docti viri, qualis sis disputator, te agnoscant. Quando distinguis

febres subiectis primis in hecticam & humoralem, nonne ipse à te ipso dissentis: qui (vt opinor) cap. 3. dixeras, vnicum πρῶτον δεκτικὸν esse omnium febrium solidã cordis substantiam, & me, quòd cum Galeno tria posuissem, tanquã pseudophilsophum reprehendebas: sic enim sapiens Simonius subinde me appellat in suis putidis scriptis, & errorum nugarumq; plenis. Quàm tibi ipsi non constes, omnes intelligunt, modò ais, modò negas. Præterea ephemerã sub humoralium febrium genere collocauit dictator, non vt demonstrator, Simonius, nullas afferens rationes: quum tamen manifestissimis φαινομένοις & causis toto genere distinctas febres esse, demonstrent Galenici. In humoralibus principem causam omnium Simonius statuit feruidum calorem, in bilioso humore excitatum, qui possit etiam alios afficere & assare, vel elixare: his enim culinarijs vocibus causas febrium explanat. vt sit suapte natura igneus humor, flaua bilis: quæritur, quænã causa in ipso febrilem hunc ardorem excicet, quo cor etiam inflammetur? profectò necesse est, vt παρὰ φύσιν calor quidam bilem ipsam alteret. Non enim vt lignum

aut ſtramen, ita bilis flammeum concipere poteſt ardorem, cum ſit humor: & καυστὸν non ob id inflammabile quiddam erit. Itaque ſine flammeo ardore bilis incaleſcit ab externa cauſa, vt ab intemperie venarum calida, aut calidis eſculentis & poculentis, aut alijs quibuſdam, quibus calor ipſius augeri poteſt. Sed patiens bilis talis alterationis ꝓpter æſtum & feruorẽ hunc incrudeſcit & ſpiſſior fit, conſumpta humiditate ipſius, & ex ſpecie naturali permutari ſolet in vitellinam, & poſtea in praſinam, vel æruginoſam, & poſtremò omnium in atrã bilem. Quibus mutationibus omnibus, quòd febris non incendatur, experientia notum eſt: de quo ſuprà etiam à nobis dictum fuit. Et quidẽ humoris huius violentæ ſunt corruptiones iſtæ; quibus ſi febris non excitatur, ex neceſſitate naturali corruptione, nempe putredine, febrim excitari oportebit. Nam ſi bilis omninò ſecundum naturam ſe habeat, nullius ſcilicet morbi cauſa eſſe poterit. Feruentis porro in ſanguine & corde æſtus (nempe febris) in cauſa eſt nequaquam bilioſus humor, calore nõ naturali ſic immutatus, ſed ſpiritus vitalis inflammatus (cuius cauſæ

multæ ſunt in Ephemeris) quod φαινομε-νοις ſymptomatum teſtatiſſimum eſt: aut propter putridum vaporem per arterias in ſanguinem cordis tranſmiſſum, & cum eo commixtum, excitatur febrilis calor: aut propter cordis hecticum feruorē, quo nimirum per ſe cor ſit affectum, ſpiritus autem & ſanguis cordis κατὰ χέσιν afficiantur in hectica febri. Intemperies calida hæc eſt cordis, extra latitudinem ſanitatis, qua cor afficitur in hectica febri, cuius cauſam externam eſſe oportet, cùm nulla ſit ipſius coniuncta cauſa. Sed æſtus & feruor ſanguinis cordi cõmunicatus, propter externas cauſas oboritur, vt in diarijs quoq;, cauſa in ſpiritu vitali æſtuãte dicitur ineſſe. Tam autẽ alieno calore ſpiritus quàm aër poteſt feruere: quemadmodum etiam ſanguis putrido habitu poteſt inflammari. Bilioſo autem humore (vt diximus) igneo calore corrupto, nullam ex neceſſitate prouenire febrem, manifeſtis φαινομένοις & rationibus eſt demonſtratum. Quod ſi reliquorum humorum, nullus febriliter incaleſcere inflammata bile poſſit, ſequitur vt etiam propter bilem nullus reliquorum poſſit eſſe cauſa humoralis febris. Hippo-

crates

crates febrim πῦρ & ἔγκαυσιν appellat, vt interim causas ipsius non distinguat, vt posteriores distinxerunt.

Autore te Simoni bilis flaua feruore corrupta, omnium reliquarum febrium humoralium causa erit, corrumpendo scilicet eos. At quæso te, quæ corruptio est pituitę? an non notæ sunt pituitæ duæ corruptelæ, quarum vna est si fiat acida, quæ à calore nequit prouenire: altera est salsa, quæ corruptio etsi à calore proueniat, tamen esse potest, vt febris tamen non sit. Præterea vt corrumpatur melancholicus succus à feruido calore & bilioso, tamen corruptelam hanc febris non sequitur, sed morbi alij quidam, vt mania aut elephantiasis. Sed obsecro, quæ sanguinis corruptio esse possit sine putredine? num quia in pus degenerat, sanguis corruptionem aliam non habet, quàm si extra locũ suum concrescat in grumum? sed intra vasa negas ipsum putrescere, quamobrem in grumum concrescet: quod propter calorem natiuum in venis, sanguis non patitur, sed propter frigus. Tertia est διαφθορὰ sanguinis, propter quam acescenti vino ipsum comparat Galenus, quæ tamen febris

non ſit cauſa, ſed aliorum quorundam affectuum, de quibus aliàs diximus. Corrumpetur ſcilicet ſanguis in bilem aut melancholiam, & hoc modo non ſanguinea, ſed bilioſa aut melancholica febris excitabitur. Attamen in ſynocho quodam putreſcere ſanguinis ſerũ ſeu ἰχῶρα non negamus; nam conſentaneum non eſt, ſi quis ſerum in bilioſum humorem mutari corruptione opinetur. Sed de his dictum ſatis in præſentia.

Folio 104. ſuæ ſynopſεως, ſeu potius παραφόρησεως, ſuppreſſo nomine meo egregius ſycophanta, contemnens libros Demonſtrationum (quos tamen ipſe non inttelligere ſe ingenuè confitetur) reprehendit: quòd in his negarim ſanguinem putreſcere in ſynocho, ſed potius dicendum, quòd ichor ipſius putreſcat, & ſanguis ſi periclitetur putredine, tum magis id periculi impendere in peſtilentibus febribus, vt quibus fons caloris natiui infeſtiſſimè opprimatur. Quàm ſit ignarus analyticæ artis, declarant omnia ſcripta ipſius, & præſertim meus Antiſimonius. Vt ſcientia vincatur à multis, tamen arrogantia, & impudentia, & leuitate, nemo ipſum ſuperare pote-

poterit. Ardentes febres (quas nominant καύσους) à bile flaua putreſcente intra venas excitari, conſtat inter omnes, excepto cerebroſo Simonio, qui in febribus negat eſſe putredinem humorum, ſed aſſationes & elixationes quaſdam ſomniat eſſe, ſine omni ratione & demõſtratione, quantumuis indoctis in analytica doctrina ſeſe venditet. Quod ichor in ſynocho non putreſcat, hoc argumẽto probat Simonius, quia ichor ſanguinis ſit frigidus & aqueus, cuiuſmodi humoribus tepidiores febres generentur, cùm tamẽ in ſynocho maximus ſit calor. Reſpondemus Simonio, ichoras humorum (vt quodam in commento ſcribit Galenus in 6. Epidem.) cognatas habere qualitates ſuis humoribus, quorum ſint ichores (ſuum enim vnumquenq; habere ἰχῶρα) quamobrem ſanguinis etiam ichor calidus erit & humidus, & non frigidus, qualis eſt aqua hydropicorum. Deinde admiſcetur ei non parum bilioſi humoris: præterea etiã quod in ſynochis nõ parua ipſius copia, ſed affatim & quaſi confertim putreſcat; vt propter hanc copiam, non niſi vnũ habeat paroxyſmum, & paucis terminetur diebus. Quibus omnibus cauſis fit, vt

calidiſſima ſit febris, quem calorem etiam & anguſtiam augeat multitudo ſanguinis plethorica, quæ in alijs febribus non ſit. At ſecundum te bilis ferueſcens coquet elixando ſanguinem in ſynocho, propter ichorem ipſius, aut ſanguinem ipſum elixatum: quod ſi dicas, nullum diſcrimen erit inter ſynochon & καῦσον, quæ tamen febres differunt ſymptomatibus. Quamobrem inflammatione ἰχῶρος definietur ſynochus, quod tamen negas in tua culina, coquus febrium. Deinde, quæ cauſa erit feruoris bilis, cùm bilioſi non ſint plethorici, & bilis multitudine & qualitate ſecundum naturam ſe habeāt. At bilis incorrupta quî poterit æſtum vel ardorem concipere. De peſtilentibus febribus tibi reſpondeo quid mihi videatur, non quid tibi aut alijs placeat, qui in omnibus à Galeno diſſentiunt. Scribis tantā cognationem & affinitatē eſſe inter peſtem & febrim, quanta ſit inter podagram & febrim. Multos .n. peſte extinctos fuiſſe ſine febri, quemadmodū etiam multi pereant febri, & ſine peſte tamen, vt vnū duntaxat alteri videatur accidere. Secundò ſcribis, peſtem putredini nihil habere ſimile. Multa dicis & ſcribis

Simo-

Simoni, ſed nihil probas: imperitus enim es Demonſtrationũ, quas tu, vt è triuio ſophiſta quidam, contemnis. Multò te & Fernelio doctior fuit Galenus, qui libro 3. De pręſagijs ex pulſib. putredine peſtilentem febrim finit. Putredo autem hoc loco non vſurpatur, vt ſignificet perfectam corruptionem (vt eam definit Ariſtoteles) ſed incipientem & inchoatã, qua corporis propria craſis deſtruitur, aëreo quodammodo veneno exiſtente, per pulmonum & arteriarum ſpiracula cor ipſum afficiens, & ad ipſum penetrans. Galenus putredinẽ eſſe probat, qua peſtis excitetur, ſeu peſtilens febris, cùm aut cordis ſit, aut humorũ cordis, aut ſpiritus vitalis cordis, ſubiectis etiã hæc febris differre videatur. Putredo hæc peſtilens nõ eſt perfecta, ſed inchoata, videlicet calor quidam venenatus, vim in ſe habens vt poſſit putrefacere, id eſt, corrumpere ſubſtantiam cordis & ſanguinis, quatenus perempta eſſentia vitæ propter extinctum ἔμφυτον calorem (qui vitalis eſt) poſtea ſequatur corruptio etiam συμφύτου caloris, qui putredine diſſoluatur, qua videmus omnia mortua (niſi comburantur) aboleri. Sed animatũ, quatenus animatũ,

vt cor, nulli poteſt ſubijci putredini. Neq; etiam ſanguis (tametſi inanimatus ſit) putreſcere intra vaſa, nedum in cordis penetralibus poterit: quod videmus ſcilicet, priuato ſanguine calore ſuo, quem habet à corde (qui ipſius eſt ἐπίκτητος) & extra vaſa in grumum concreto, & hac ratione putredini obnoxio, propter putredinẽ ſuam, veneni inſtar habet: vt ſi concreſcat in ventre aut veſica, ſæuiſſimis ſymptomatibus perimens hominem: cui dubium ſit, quin ſi non corruptus, multò minus putreſcens ſanguis, vllo modo in corde eſſe poſſit? Quare peſtilenti veneno adſcribimus putredinem, non qua putrefaciat cor, aut ſanguinem, ſed qua extinguendo ἔμφυτον calorem (proprietate occulta) poſſit mortis cauſa eſſe, & poſt mortẽ σύμφυτον horum calorem perfecta putredine diſſoluere. Quanquam autem cor & ſanguis in hac febri non putreſcant, ſed craſis ſubſtantialis ſeu vitalis in his duntaxat corrumpitur, non tamen ſine putredine quorundam humorum in pulmonibus, & circa præcordia exiſtente, corrumpitur. Quod ipſum declarat fœtidus halitus & planè corruptus, qui inſeparabilis ab hac febri cõſueuit eſſe,

auto-

autore Galeno lib.3. De prænotionibus ex pulſ. At verò nemo eſt qui negat, quin talis fœtor in animalis corpore proueniat ex putredine, vt cuius partes omnes putreſcẽdo fœteant; & excrementa ipſa, nempe reliquiæ ciborũ fœtent, propter putredinem ciborum, vt quam σῆψιν ſuprà appellauimus κατὰ μέρος φθοράν. Ergo putridi iſti halitus expirantur à venenato aëre, putrefaciente humores in pulmonibus, qui peſtifera putredine affecti, ſpiritum vitalem in primis contaminant, cum quo miſcentur propter aëreæ ſubſtantiæ συγγένειαν. Is deinde venenata & putrida qualitate, vel ſolidam cordis ſubſtantiã, vel in ipſo contentum ſanguinem inficit, vt præcedente libro ſcribit Galenus. Si putridus vapor ἕξιν & ſolidam ſubſtantiam cordis alteret, humores ipſos, non alterando in ſe contentos, peſtilens ſc. febris hectica appellabitur: quam nec ipſe patiens interdũ ſentiat, nec animaduertant eam Medici, quòd videlicet nec in pulſu, nec in vrina ſigna ipſiꝰ appareant. Febrim quidem eſſe oportet, quòd videlicet putrido & alieno calore ſit generata. In habitu autem cordis ſubſiſtẽs, in cauſa eſt, vt ægrotus ſe laborare non in-

telligat, propter ęqualem dyſcraſiam. Cùm autem febrilis & putridus calor circa cor accenſus, magnitudine, celeritate & frequẽtia pulſum alterat, quia ἕξις cordis multùm infirmatur his motibus arteriarũ ſymptomaticis detrahitur tantum, quantum à robore virtutis cordis detractũ fuerit, quo fit, vt pulſus ſolito, id eſt, naturali non ſit maior, aut crebrior, quamuis nonnihil velocior appareat. Quo fit, vt pulſu non deprehendatur talis febris. Et cùm non in humoribus, ſed ἕξις cordis præſertim ſit accenſa, ne humoribus quidem alteratis, & à naturali ſtatu multum deficientibus, vrinæ ſpecies febrim ſignificabit. Quó fit, vt ob imperitiã Medici multi exiſtiment, nonnullos laborantes peſte, etiam ſine febri oppetere mortem. Nam plerũque talium ſubitanea mors exiſtit, vt paucis etiam horis è medio tollantur, improuiſo interitu, vt teſtatur Galenus. Vt ergo nulla peſtilens ſine putredine eſt, ita quoque nulla ſine febri eſt, quod putridus ſcilicet calor ſit cauſa febris coniuncta, ad cordis vel ſpiritum, vel ad ſubſtantiam & humores penetrans. Veruntamen non conceſſe-

cessero tamen putrescre ob id vel spiritum vitalem, vel cor ipsum, vel humores ipsius: (nam viuo animali id fieri nullo modo posse, suprà fuit demonstratum) nam siue intra, siue extra venas putrescat aliquid, id non, nisi excrementitium quiddam est, vt sanguis etiam est, qui sanguis amplius non est, sed priuatione vitalis caloris in grumum concreuit. Et alij quoque humores, non nisi quatenus περίττωμα sunt, putredine corrumpuntur. Simonius autem cum Fernelio mihi videntur hallucinari, quando scribunt pestem quandam sine putredine esse, cùm nulla possit esse sine putredine: quamuis videantur quidam (vt paulo antè diximus) propter imperitiam Medicorum (vt Galenus scribit præallegato libro) qui cùm nulla febris signa deprehendant, neque tactu corporis caloris exuperantiam percipiendo: (nam plerunque, vt idem Galenus testatur, tactu tepidæ, & vt ipse loquitur, χλιαροὶ πυρετοὶ apparent, propter caloris natiui imbecillitatem, qua non possunt vehementer exardescere) prę-terea etiam nec in pulsu, nec in vrina signa cōspicua semper apparēt, iccirco sine febri cos mori indocti medici opinantᷣ. vt ab hac

parte vulgus & idiotæ (autore Galeno) peritiores videantur eſſe, qui hoc vno ſigno peſtilentes febres deprehendant, quando tetrum & fœtidum anhelitum animaduerterint eſſe: vt cætera febris ſigna deſint, ſine putredine & febri anhelitus talis nequit eſſe, cùm omnia putredine corrupta in homine fœteant, & omnia fœtentia quoque in homine ſint putredine corrupta. Id conceſſu & approbatione omnium ſumitur à me: ſoli autem Simonio non videntur vera eſſe, quę omnibus vidētur vera eſſe. Prętereà nemo eſt, qui neget, quin putridus vapor, ſi cor afficiat (nam παρὰ φύσιν calore afficit) febris cauſa exiſtat. Simonius peſtem, quia ſit morbus totius ſubſtantiæ, idcirco febrim & dyſcraſiam calidam eſſe negat. Quid ſentiendum ſit de morbis totius ſubſtantiæ, & quòd tales non poſſint eſſe ſine dyſcraſia patientium partium, alio quodam libello demonſtraui. His omnibus perſpicuum, Simonium expertem Analyticæ artis, toto cœlo, vt dicitur, errare, ſi dicat & ſcribat, peſtilentem morbū per ſe ſine putredine & febri eſſe. Nos autem, quando dicimus in Demonſtrationibus noſtris, vt in ſynocho putreſcat ichor ſanguinis,

guinis, ita in pestilente febri putrescere san guinem, non sic accipiendum est, quòd vt ichor, ita quoque sanguis putrido & pestifero vapore afficiatur, & turbetur, vt inutilis nutritioni fiat. Quo accidit, vt febre hac laborantes (vt in alijs acutis) tenui diæta ægrotantes non sint tractandi: quod vt Auicenna monet, ita quoq; idipsum Hippocrates in Epidemijs testatum fecit. Magna enim corruptione laborans sanguis (tametsi non verè putrescat) ad nutritionẽ corpori fit inhabilis, vt naturalibus instrumentis generato & præparato nouo sanguine, cor corpusq; vniuersum reficiendum esse videatur. Deprompsi hactenus ex arca (vt tu ridens scribis) Demonstrationum mearum, quibus perspicuum sit, me rectè sentire, te autem vt sophistam vertumnũ, toto cœlo, totáque Philosophia & Medicina errare. Fac igitur, vt resipiscas monitus.

Scribis postea, quòd biliosi humoris flammam nutriat in synocho ichor sanguinis. Paulò antè dixeras ichorẽ, vt aquam, aduersari ardori febrili, & ὕδωρ esse πολεμιώτατον τῷ πυρὶ secundũ Hippocratem. Ecquis autem vnquam dixit, flammam aqua nutriri. Quicquid in buccam aut men-

tem venerit, dicis aut ſcribis: modò ais, modò negas, & tamen omnia tua vis haberi pro oraculis. Hæc igitur cauſa non erit, vt tanta flamma æſtuent correpti ſynocho.

Poſtea de intermittentibus ſcribis, quod videlicet earum ἴδιον ἀχώριστον ſymptoma aut ſignum non ſit horror vel rigor, quod nonnulli ſcilicet in talib. paroxyſinis ſymptomata hæc non ſentiant, ſed quandam in præcordijs oppreſſionem, ſeu ponderis cuiuſdam moleſtiam. Iſtud eò accidit Simoni (vt oſtendimus in lib. De cauſa rigoris) quòd videlicet in paroxyſmis putredini obnoxius humor aliquando extrudatur per oſcula interiorum venarum in partes internas, quæ & ipſæ nutriuntur ſanguine, & non in partes externas muſculoſas, maiore ſenſu præditas, quàm ſint interna viſcera prædita, quibus Fernelius & Simonius acerrimum & exquiſitiſſimum ſenſum affingunt, ſed falsò. Admodum autem abſurdum eſt, vt in continuis febribus febrilis calor interpellatur rigore. Id tamen fieri non negamus in Hemitritæo. Quod ſi interdum in non compoſita continua

tinua febri idem eueniat, idipſum propter accidens quoddam eueniet: vt ſi aut propter multitudinem materiæ, aut propter robur naturæ expultricis, portio quædam vitioſæ materiæ extra venarum oſcula expellatur. Cùm alioquin fieri poſſit, vt ex intermittentibus poſſint fieri continuæ febres. In phyſicis loquimur de his & demonſtramus eadem, quæ plerunque & in plerisque fieri conſueuerunt. Quare nihil eſt quod ſcribis, & quo te opponis Galeno ἀντιλογικώτατ[illegible] Simoni. Diſce, docendus adhuc. Multa prætereo, quæ optimo iure poſſunt reprehendi; ſed Ariſtoteli obſequens, iudico εὐηθὲς quidem eſſe, non curare quid quiſque gregarius autor dixerit aut ſcripſerit ἀλόγως, καὶ ἀνοήτως. Rectè autem feceris, ſi petulantiam & arrogantiam ingenij tui coërcueris, & in Demonſtrationum noſtrarum libris te exercueris; quos ſi tu intelligeres, tam contemptim non aſpernareris. Promittis aliquot centurias nugarum, id eſt, Animaduerſionum, quibus errata Medicæ artis ſis emendaturus; ſed opinor eo modo, quo P. Ramus ſcripſit indoctiſſimas & inertiſſimas animaduerſiones in Ariſt. philoſophiam,

vt vobis vtrisque ne fingi quidem possit a-
liquid impudentius, quantumuis multos
habeatis vestræ vesaniæ sectatores.

Subsequitur synopsin tuam libellus De
humoribus, à quodam discipulo, te docen-
te, in schola exceptus, in quo tanquam pro
aris & focis dimicas, non ex quatuor scili-
cet humoribus sanguinem esse constitutũ,
quia sanguis sit humor nutriendo vniuer-
so corpori idoneus: humores autem notos
illos, vt περίττωμα nullius partis posse esse
nutrimentum, & quibus exuperantibus
sanguis etiam inhabilis fiat ad nutricatio-
nem, qualem sanguinem Aristoteles ap-
pellet morbidum seu νοσώδη, qui, vt tibi vi-
detur, sanguis nõ sit. Si sanguis est (vt con-
cedis) ἀνομοιομερὲς corpus, necesse est o-
mnino, vt ex quatuor humorib. differen-
tibus inter se quatuor qualitatibus primis
constituatur. Illos quatuor notis his & vsi-
tatis appellationibus distinguimus, & qui-
bus etiam, si fuerint ἄκρατοι, περιττώματα
significantur, humores, sed non vt æquiuo-
co vocabulo specie differentes. Etenim o-
mnes quoad partes sunt optimè temperati
sanguinis, & ipsi temperatissimi sunt sin-
guli humores: vt temperatissima pituita
est,

eſt,& bilis flaua, & melancholicus ſuccus, qui ritè temperati, & omnino ſecundum naturam habentes humores, quibus conſtitutus ſanguis fieri nequit, quin ſit naturaliſſimus. Conſueuit autem venarum & cordis optimo temperamento, & diæta conuenientiſſima, optimus & temperatiſſimus ſanguis generari. Intemperatus & ἄκρατος ſanguis contrarijs cauſis generatur. Dyſcraſiæ autem ſanguinis non etiã corrumpunt ſubſtantiam ſanguinis: vt ſi bilioſior ſit, aut pituitoſior, aut magis melancholicus, ob id ſanguis & quidem naturalis eſſe non deſinit, niſi ſanitatis latitudinẽ negare, & ἀϛπάθειαν introducere velimus. Dein extra latitudinem etiam ἄκρατος & νοσώδης ſanguis non deſtruitur & deſinit ſanguis eſſe, quòd πάθος ſcilicet morbi nõ perimat eſſentiam ſubiecti, vt morbidus ventriculus aut caro eſſe deſinit, quamuis ſanitate & morbo ipſum per accidens differat à ſe ipſo. Nam vt Galenus alicubi inquit: Non idem eſt caro, & melancholica caro. Quippe caro ſimpliciter οὐσίαν ſignificat, ſed melancholica caro ſignificat πάθος quoddam in οὐσίᾳ. Et melancholica item, bilioſa aut pituitoſa caro, non minus

vitioso sanguine nutritur, quàm sana carò sanguine sano. At verò tu Simoni νοσώδη seu morbidum sanguinem negas esse sanguinem, nulla fretus ratione, sed ne autoritate quidem Aristotelis, quem allegas: nam propter morbum non desinit aliquid esse, quod prius erat. Præterea sanguinem talem excrementum esse scribis maximo errore. Morbido sanguine nutritur corpus, vt in vitiligine aut elephantiasi: sed excremento nihil nutritur. Vide obsecro quã sint iniqua tua postulata, & quàm pugnent cum receptissimis sententijs doctissimorũ hominum. Nulla autem causa est, propter quam sanguis, aut humor alius quispiam sit inutilis ad nutritionem, quàm corruptio ipsius, quã suprà à Gręcis διαφθορὰν appellari ostendimus, quam similitudine vini acescentis, siue acore corrupti ostendimus. Nec si vinũ sit ὑδαρὲς aut ὀλιγοφόρον, ob id vinum esse desinet. Ridiculum illud quoq; est, quod scribis, quia bilis, aut pituita per se non nutrit, aut melancholicus succus, ob id humores illos non esse partes sanguinem constituentes. Id commune habent tres humores cũ simplici sanguineo humore, qui separatus ab illis tribus, per se non nutriet

nutriet corpus; alioqui enim fruſtra cum alijs mixtus eſſet; ſed natura (vt ſcis) nihil facit fruſtra. Mixtos præterea negas quatuor humores, quia ſeparabiles non ſint. Vt concedamus ſeparabiles non eſſe, cauſa nimirum quædam eſt, ꝓpter quam neque natura, neq; arte ſint ſeparabiles, ſed ſemper concreti. Nam in vaſis propter calorem σύμφυτον & ἔμφυτον, vt ὁμόφυλα ſeparari nequeunt, & natura etiam humores illos ſeparabiles eſſe noluit: quod videlicet ſeparati nullum vſum habeant: vt partes lactis, vt totũ lac, ita quoq; ipſæ vtiles ſunt ad nutritionem. Multa miſcuit natura, quę ſeparari ne arte quidem aliqua poſſunt: quamuis chymici alioqui multa ſeparent, quæ natura non ſeparat. Eò tandem confugis, vt non quatenus ijs conſtituatur ſanguis, ſed quatenus ſint περιττώματα, non eſſe partem ſanguinis, neq; ijs vt περιττώμασι conſtitui ſanguinis ſubſtantiam. Quid ni nos quoque idipſum concedamus. Atq; prius non fuerint pars ſanguinis, quã dyſcraſia vel venarum, vel diætę gignerentur, id verum eſſe arbitror. Non enim caſeus aut butyrum, quæ corrupto lacte incipiunt eſſe, quia poſterius aliam ſpeciem acqui-

runt, ob id ſubſtantia eorundem in lacte prius non fuerunt. Aliam autem qualitatem ſeparata acquirunt, quam prius non habebant, quando adhuc mixtione confuſa erant, quod in chymica arte ſeparatis manifeſtiſſimum eſt. Quædam ἄκρατα in ſanguine non ſeparantur, ſed diæta & calore naturali reſtaurantur, quæ vulgò πέψεις humorum appellantur, qua craſis ſanguinis in integrum reſtituitur. Separantur autem inutiles humores vt περιττώματα, aut ſymptomaticis aut criticis excretionibus. Definiunt criticas temperatis, & concoctis humoribus, qui partim in ſanguine manentes craſin ſuam recuperant, partim vt redundantes ſeparati à ſanguine, expultrice facultate venarum expelluntur. De his craſibus δυσκράτων humorum in ſanguine multa ſcribit Hippocrates, in libro De vetere Medicina, quæ breuitatis cauſa commemorare nolo. Hactenus ſanguinem ex quatuor humoribus conſtitutum eſſe probauimus, & humores illos ſingulos ipſos per ſe quemque è ſua materia generari, & aut temperatiſſimis temperatiſſimum ſanguinem cõſtitui, aut intemperatis ſanguinem intemperatum, & eoſdem aut dyſcra-

ſia

ſia morbidum facere ſanguinem, aut διαφθορᾷ ſua, eosque aut vt περιττώματα ſeparabiles eſſe, aut totã maſſam ſanguineam corrumpere, vt ſanguis fiat νοσώδης, aut prorſus inutilis ad nutricationem. His quatuor humoribus exceptis, nullos alios eſſe ſanguinem conſtituentes, aut in ſanguine redundantes, omnes vno ore antiquiſſimi & recentiſſimi Medici confitentur: ſolus autem Simonius negat, qui neque actu, neque potentia tres humores in ſanguine mixtos ineſſe pertinaciter, non conſtanter defendit. Specie enim differre humores exiſtimat intenſione & remiſſione qualitatum, vt mixtam terram aut aquam, ſi arbitretur quiſpiam ſpecie differre, quo nihil dictu abſurdius. Nos περίττωμα (verbi gratia) Bilis dicimus ſubſtantia non differre à bile, quæ pars ſit ſanguinis ſubſtantia, ſed duntaxat ἀκρασίᾳ qualitatũ calidæ & ſiccæ, quam ſubſequatur etiam acrimonia & amaritudo. Omnino enim neceſſe eſt, ſi deprauetur ſanguis exuperantijs illorum humorum, vt antea συμμετρίαις eorũdem conſeruetur, & ſecundum naturam ſe habeat. Teneris Simoni, qd ad illa reſpõdes? Nihil. Quare ne poſthac errores tuos tam

Si negatio ſubiecti eſt cauſa per ſe negationis prædicati, ſeqtur vt affirmatio ſubiecti ſit ꝑ ſe cauſa affirmationis prædicati.

pertinaciter defendito, ſed cede doctioribus, & Galenum atque Hippocratem ſequere, & illorum veſtigia pronus adora, & ne putes illos chimęras quaſdam proponere, quales tuæ ſunt ſomniator chimæræ (vt tu ſcribis.) Conſidera obſecro, quàm ſis mirabilis & deſultorius diſputator. Petis vt tibi concedamus, ſanguinem aut ὁμοιομερὲς & ſimplex corpus compoſitum tantũ eſſe ex materia & forma ſua, vt flãma ſit compoſita ex fumo calidiſſimo, ſeu exhalatione & calore flammeo: ita ſanguinẽ è ſua materia & ſanguinea forma cõſtitutum quid eſſe, non quatenus vnum quid ex pluribus diſſimilibus conſtitutum, vt plurium cauſa humorum id mixtum & cõpoſitum dicatur. Ipſum enim ſanguinem propter vnitatem hanc ſubſtãtiæ nutrire, & propter nutritionem appellari etiam ſanguinem, non propter partes ſuas, quarum nulla per ſe poſſit nutrire corpus, ſcribis. Non equidem negamus vnam materiam formámque ſanguinis eſſe, quibus ſubſtantia ipſius conſtituatur, ſed nihilominus nihil impedit, quo minus materia ſit ipſius ex diuerſis partium ſeu humorum naturis conſtitutum quiddam: quamuis partes illæ ſeparatim

tim nutriendo non ſint, quemadmodum nec ſanguis ipſe ſyncerus & ſecretus ab alijs humoribus nutriendo aptus ſit. Vnitas materiæ & formæ in corpore non impedit, quo minus caro etiam ſit compoſitum quid ex quatuor elementis, nec lactis quia eſt vna materia & forma, ob id conſtitutũ diſſimilibus partibus ipſum eſſe negabimus. Et lac ipſum quatenus totũ, nutriet, & in ſanguinem permutabitur, non quod diuiduum quiddam eſt, in butyrum, caſeum & ſerum, quorum nullum per ſe vt lac nutrire poteſt, quamuis alio quodam modo nutriant. Deinde humores illi quatenus ſint vocabula excrementorum, hac ratione neq; ſanguinem conſtituere dicuntur, neq; etiam nutriendo ſunt. Tu verò ſemper his humorum vocabulis vteris pro excrementa ſanguinis ſignificantibus, cùm Hippocrates & Galenus, alijq́; his vtantur etiam partibus, propter ſymmetriã ſuam totum ſanguinẽ conſtituentibus: vt ſi quis dicat, butyro, caſeo, ſero, lac ipſum conſtitui. Dein alio argumento vult oſtendere Simonius, quod tres humores non conſtituant ſanguinẽ, quia natura certis inſtrumentis illos humores, expurget, vt bilem

& melancholicum ſuccum. Reſpondemus quòd expurget quantitate redundantem, & qualitate prauam atq; inutilem. At quod non omnem ex eo manifeſtum eſt, quod differentiam hanc Simonius ipſe quoque admittat, qua ſanguinis diſcrepantes habitus denominari ſoleant ab his humoribus: vt cùm bilioſus quidam dicitur eſſe, quidã melancholicus, & quidam pituitoſus, quibus in latitudine ſanitatis etiam nutriantur corpora, quinetiam extra latitudinem ſanitatum. His omnibus non probas quod vis, ſed apertè demonſtras te in his diſputationibus veræ & ſolidæ philoſophiæ, adeóq; Analyticæ artis ignarum & imperitũ eſſe. Vaſa expurgãtia bilem & melancholicum ſuccum, negas creata duntaxat eſſe, vt ijs multitudo & exuperantia humorum detrahatur ſanguini, ſed vt omnis ὀσία humorum: vt ijs humoribus prorſus vacet maſſa ſanguinis, vt videlicet bilis flaua, eſſentia & ὀσία differat ab humore calido & ſicco, qui ſit vnus ex conſtituentibus ſanguinem, item vt melancholicus ſuccus tota ſubſtantia differat ab eo, qui in ſanguine humor frigidior & ſiccior ſit comparatione aliorum. quod ipſum ſit etiam de pituita

tuita iudicandum. Quos humores nos vt redundantes propter dyſcraſiam qualitatum,& non ſubſtantia differre dicimus ab humoribus bene temperatis, & ſubſtantiam ſanguinis conſtituentibus. Quòd autem non omnis exuperantia ſeu dyſcraſia corrumpat ſubſtantiam ſubiecti, manifeſtum eſt: alioqui enim omnis morbus perimeret partem laborantem, & quauis dyſcraſia morbidum aliquid diceretur, vt ſecundum Heraclitum, ne momento quidem vllius rei eſſentia durabilis exiſteret: quam momentaneam ſubſiſtentiam Galenus quodam in loco appellat ἀςπάθςαν. Quod autem non omnis dyſcraſia ſanguinis naturam & ſubſtantiam perimat, ex eo cognoſcitur, quòd bilioſo etiam et melancholico & pituitoſo nutriuntur corpora, de quo ſuprà quoque dictum fuit. Tametſi nullo horum vt ſeparato (vt etiam temperatiſſimus ſit) corpus nutriri queat, nedum ſi propter intemperiem περίτlωμα fiat. Magna autem intemperies nulla eſt, quæ non ὀσίαν ſubiecti corrumpat & perimat. Sumis ergo Simoni, quod tibi probandum erat, & ex tuis poſtulatis impudentibus eſt, quo ſtatuis δύσκρατον humo-

rem à ſe ipſo temperato ſubſtantia differre. Perinde enim eſt, ac ſi quis ἄκρατον & ὀλιγοφόρον vinum ſubſtantia differre dicat, & Æthiopem à Germano, aut maſculum à fœmina. His labyrinthis omnibus propter imperitiam philoſophiæ & analyticæ artis implicaris, quam prius etiam ex commentarijs mearum Demõſtrationum diſcere debuiſſes. Ergo humores iſti propter quantitatem, & propter dyſcraſiam ſeparantur à maſſa ſanguinea, non quod ſubſtantia differant ab his humoribus, quibus vt partibus maſſa ſanguinea conſtituitur. Nutritio morbida eſt, propter ſanguinem morbidũ, vt in vitiligine in λεύκῃ, in Leucophlegmatia morbo, elephantiaſi & ſimilibus. Quin etiam deprauantes humores naturalem habitum ſanguinis, naturali ὁρμῇ ſeu impetu expurgantur, vt ſi alba pituita in Leucophlegmatia per aluũ profluat, ſoluitur intemperies ſanguinis, quod fit etiam in biliosis fluxionibus, item menſtruis purgationibus & hæmorrhoidum fluxu &c. ſecundum Aphoriſmum Hippocratis: Nigra bile vexatis hæmorrhoides fluentes ſolutio eſt. Conſtat his Simoni omnibus, humores cum ſanguine mixtos

eſſe,

eſſe, ſiue temperatiſſimi ſua natura fuerint, vt εὐαιμίαν conſtituant, quales ſunt in εὐεξίᾳ; ſiue propter quandam dyſcraſiam in latitudine ſanitatis ἕξιν quandam exuperantiæ humoris alicuius in ſanguine efficiant, ſiue morbida exuperantia ſint cauſa morbidi ſanguinis, & morbidæ etiam nutritionis. Nullo autem modo verum eſt, quod dyſcraſia, quæ non corrumpit ſubſtantiam humoris, mutat ſubſtantiam humoris, cuius rationem & demonſtrationem ſuprà expoſuimus. Quamobrem non erat, vt vel Hippocratis ſentẽtiam damnares de humoribus, vel Galenum chimæras quaſdam finxiſſe ſcriberes, quando ſanguinem cum omnibus veteribus Medicis & recentioribus ſcribit, compoſitum eſſe ex quatuor humoribus, primis qualitatibus inter ſe differentibus: quod tu ipſe etiam verum confiteris eſſe, non tantum ab alijs, ſed ipſe quoque à teipſo diſſentiens. Quamobrem hortor te, ne poſthac ſcribas Animaduerſiones in doctiſſimos & præſtantiſſimos autores, & quorum autoritatem & veritatem omnis poſteritas ſequatur, propter quas Animaduerſiones in te ipſum ſit animaduertendum, tanquam

falſarium & erronem, qui vel non intelligas eorum, quæ rectè ſunt ſcripta, veritatem, vel ſi intelligas, propter ſtultam ambitionem & αἱρεσιαρχίαν ſtultiſſimè & vaniſſimè crimineris, quales ἐναντιολογίας etiam iners philoſophaſter P. Ramus, contra Ariſtotelis philoſophiam ſcripſit.

FINIS.

IN-

INDEX EORVM QVÆ IN HIS SCHEGKII TRACTATIBVS VISA SUNT *memorabiliora.*

dis

I.

materia

Morbi

Errata, quæ partim exemplaris, partim operarum culpa irrepsere.

P.13, v. vlt. item p.16, v.21, 22, 24, 26 perperā ſcriptum τὸ δέ τι, pro τόδε τι cōiunctè. p.45 v.23, pro σκέψιν l. σῆψιν. p.48 v.15, pro acc. *ſubſtantiam* repone nominatiuum. p.61, v. 14, l. *permutabile* p.80, v. 10, pro *accidentis* procul dubio legendū *continentis*. p. 82 v.9, pro *pedem* l. *pedis*. p.90, v.21, l. *formam*, pro *forma*. p.91, v 4, l. ἐριστικοῖς. p.116, v.4, tolle interrogationem. p.174, v. penult. pro præterito *comparauimus* repone futurum. p.209, v.9, l. *in ſuperpurgationibus*. p. 215, v.16, pro indicatiuo *generantur* ſubſtitue ſubiunctiuū. Eadem pag. v. penult. l. *illa*. p.224, v. 13, l. *priſtina tamen*. p. 229, pro præterito *demonſtrauimus* repone futurum. p.275, v. 7, pro ᾗ repone ᾗ, id eſt *quatenus*. p.312, v.5, pro *quadam* l. *quemadmodum*. p.315, v.13, pro *compoſitum* legendum videtur *compoſita*. p.320, v.19, pro *poſſit* bis poſito, l. *poſſint* p.369, v.19, pro *etiam* l. &. p. 448, v. 21, pro *externa*, *l.* *externam*. p.469, v. 4, pro *habet* procul dubio legendum *tamen*. p. 487, v.15, l. *frigore*. p.489, v. penult. pro *quietus* l. *quietes*. p.496, v. penult post συνεκτικὸν tolle diſtinct. p.499, v.2, indiuisè l. *perfrictionum*. p. 502, v. vlt. l. *ſanguinis*. p.517, v.15, pro *quies* l. *quietes*.